AS
244.
.U82
1828/29

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE.

Ann. CIↃIↃCCCXXVIII—CIↃIↃCCCXXIX.

Utrecht.

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE,

Ann. CIƆIƆCCCXXVIII — CIƆIƆCCCXXIX.

JANO KOPS,

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

BERNARDO FRANCISCO SUERMAN.

SENATUS GRAPHIARIO.

TRAIECTI AD RHENUM,

APUD IOANNEM ALTHEER,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.

1830.

General

HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

Responsiones ad quaestiones propositas:

GERARDI MOLENKAMP, *ad Quaestionem Theologicam.*

ARNOLDI CAROLI COSMAN, *ad Quaestionem Juridicam.*

GERARDI BACKER, *ad Quaestionem Medicam.*

ISAÄCI DE VULLER, *et* ARNOLDI JANI VAN BEEK CALKOEN, *ad Quaestionem Litterariam.*

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

Ann. CIƆIƆCCCXXVIII—CIƆIƆCCCXXIX.

§. I.

In Academia Rheno-Traiectina inde a die XXVI *Martii*, *A.* CIƆIƆCCCXXVIII. *usque ad diem* XXVI *Martii*, *A.* CIƆIƆCCCXXIX *docendi munus obierunt.*

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY,
GERARDUS MOLL,
IOANNES FREDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER,
IANUS KOPS, *h. t. Academiae Rector.*
THEODORUS GERARDUS VAN LIDTH DE IEUDE, *Professor extraordinarius.*

PHI-

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITTERAS HUMANIORES

Philippus Guilielmus van Heusde,
Iohannes Henricus Pareau,
Antonius van Goudoever,
Adamus Simons.

. . . .

THEOLOGIAM

Iodocus Heringa, E. F.
Gabriel van Oordt, *honorifice et ex voto suo dimissus*,
Hermannus Bouman,
Hermannus Iohannes Royaards,

IURISPRUDENTIAM

Hermannus Arntzenius,
Ianus Richardus de Brueys,
Cornelius Adrianus van Enschut.

ME-

MEDICINAM

Ianus Bleuland,

Nicolaus Cornelius De Fremery.

Bernardus Franciscus Suerman, *h. t. Senatus Academici Graphiarius.*

Ianus Isaacus Wolterbeek,

Iacobus Ludovicus Conradus Schroeder van der Kolk,

Philippus Franciscus Heyligers, *Professor extraordinarius.*

LECTORES.

Samuel Nyhoff, *Linguae Graecae,*

Gerardus Dorn Seiffen, *Litterarum Humaniorum,*

Marie Franciscus Xavierius d'Angely, *Litterarum Gallicarum,*

Carolus Thompson, *Litterarum Anglicarum,*

Iustus Henricus Koch, *Linguae Germanicae.*

MAGISTER ACADEMICUS ARTIS GLADIATORIAE,

Lambert de France.

§. II.

Quaestiones ad certamen litterarium, singulis disciplinarum studiosis, in Academiis et Athenaeis universi Belgii, anno CIↃIↃCCCXXVIII, *fuerunt propositae, his formulis:*

QUAESTIO MECHANICA.

Exponantur atque exemplis illustrentur methodi, quibus linearum, superficierum, atque corporum centra gravitatis calculo definiantur.

QUAESTIO CHEMICO-OECONOMICA.

Quaeritur Analysis Chemica comparata carnis bovinae, vitulinae, ovinae et porcinae, ut inde efficiatur, quaenam praecepta in singulis his carnibus, sive integris, sive illarum extracto, diu atque etiam per itinera longa, conservandis, sint sequenda.

QUAES-

QUAESTIO THEOLOGICA.

Probetur, Doctrinam Christianam, *cum sanae* rationis *de Deo rebusque divinis decreta pure traderet, divina auctoritate confirmaret, varia ratione illustraret, ad homines consolandos emendandosque adhiberet, atque ad permultorum notitiam propagaret; et* Theologiae, *quae dicitur,* Naturali *valde profuisse, et vero de genere humano, hoc quoque nomine, optime meruisse.*

QUAESTIO JURIDICA.

Quaeritur, qua ratione fiat, ut secundum Naturae jus, ex pacto, nulla accedente praestatione, jus et obligatio perfecta oriantur.

Ad quam quaestionem ita respondeatur, ut, paucis ante declarata pacti natura, tum praecipua scriptorum de hac juris et obligationis perfectae caussa et fundamento sententiae explicentur et disquirantur, ac tandem, quid verius videatur argumentis probabilibus doceatur.

QUAES-

QUAESTIO MEDICA.

Succincte enarrentur praecipua Recentiorum experimenta Cl. Bell, Magendie, Eschricht, Schöps *et* Bellingeri *de actione nervi Olfactorii, Trigemini et Facialis, nec non de utriusque radicis nervorum spinalium officio, ut denique e disputatis concludatur, quaenam probabiliter sit actio horum nervorum.*

QUAESTIO LITERARIA.

Disputatio de Platonis Phaedone, qua primum sermones Socratis cum amicis breviter, sed tamen apte et ex dialogi ratione enarrentur: tum petantur inde et explicentur, quae ad animi immortalitatem probandam prolata sunt argumenta: tandem quae sit eorum argumentorum in Philosophia theoretica *vis et auctoritas, efficiatur.*

§. III.

§. III.

Lectionum, inde a feriis aestivis A. CIↃIↃCCCXXVIII. *usque ad ferias aestivas A.* CIↃIↃCCCXXIX. *habendarum, haec fuit ratio constituta.*

In FACULTATE MATHESEOS ET *PHILOSOPHIAE NATURALIS*, docebunt.

Elementa Matheseos I. F. L. SCHRÖDER, d. martis, mercurii, iovis et veneris; hora VIII.

Physicam Mathematicam, duce Poisson, I. F. L. SCHRÖDER, diebus mercurii et saturni hora IX.

Stereometriam atque Trigonometriam Sphaericam, adhibitas ad Geographiam et Astronomiam, I. F. L. SCHRÖDER, die iovis et veneris hora IX.

Geometriam Sublimiorem, inprimis *Theoriam Curvarum* I. F. L. SCHRÖDER, hora auditoribus commoda.

Phy-

Physicam experimentalem G. MOLL, die lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Astronomiae primas notitias G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. IX. vel alia, auditoribus magis commoda.

Astronomiam theoreticam et practicam G. MOLL, iisd. d. h. III.

Elementa Hydrotechniae, ad presentem conditionem Patriae adplicata, si sufficiens numerus auditorum adsit, belgico sermone, exponet G. MOLL, hora deinceps indicanda.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, h. XII.

Botanicam et Physiologiam plantarum I. KOPS, die lunae, martis, iovis et veneris, h. X.

Zoölogiam Universam, N. C. DE FREMERY, diebus iovis et veneris, h. XI.

Anatomiam comparatam TH. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus mercurii et saturni, hora auditoribus commodâ.

Mineralogiam et Geologiam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, et martis, hora XI.

Oeco-

Oeconomiam ruralem I. KOPS, diebus lunae, mercurii et iovis, hora I. saturni, hora XII.

Disputandi exercitationibus, die saturni hora I, alternatim praeerunt Professores in Facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis, singuli in partibus sibi demandatis.

In FACULTATE THEOLOGICA.

Theologiae Naturalis selecta capita uberius illustrabit H. BOUMAN, diebus jovis et veneris, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae, inprimis *recentiorem*, tradet H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis hora XI, et die mercurii, hora VIII.

Historiam Dogmatum Christianorum narrabit H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, hora II.

Historiae Ecclesiasticae Belgicae loca selecta, inprimis quae *Societatem* et *Jus Ecclesiasticum hodiernum* spectant, explicabit H. I. ROYAARDS, die mercurii, hora II.

Col-

Collocutionibus cum provectioribus *de locis Historiae Ecclesiae et Dogmatum* vacabit H. I. ROYAARDS, die iovis, hora II.; cum Candidatis, de *Historia Ecclesiastica et Doctrina morum Christiana*, die mercurii, hora I., aliave auditoribus commoda.

Disquisitionibus, probationi academicae praeviis, vocabit H. I. ROYAARDS, die lunae, hora XII.

Hermeneuticam Novi Foederis, diebus lunae et martis, hora X, tradet H. BOUMAN.

Scripta nonnulla Paulina interpretabitur H. BOUMAN, diebus lunae et martis, hora IX.

Jesaiae illustriora vaticinia explicabit H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, hora XI.

Theologiam dogmaticam docebit I. HERINGA, E. F. diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Collocutionibus de *Theologia populari* vacabit I. HERINGA, E. F. die iovis, horis vespert. a VII. ad IX.

Dis-

Disquisitionibus, cum provectioribus instituendis, probationi, sive academicae, sive ecclesiasticae, praeviis, insignes horas destinabit I. HERINGA, E. F.

Theologiam morum Christianam docebit H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, hora I. et die mercuris, hora IX.

Praecepta *homiletica* tradet I. HERINGA, E. F. *diebus lunae et iovis*, hora VIII.

Exercitationes oratorias sacras moderabitur I. HERINGA, E. F. die saturni, hora I. vel alia magis commoda.

Officia doctorum et antistitum in Ecclesia Christiana exponet I. HERINGA, E. F. diebus martis et veneris, hora VIII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet I. HERINGA, E. F. die veneris, hora XI.

Commilitonibus *orationes* habentibus *sacras* praeses aderit I. HERINGA, E. F. die mercurii, hora XII, H. BOUMAN, die lunae, hora I. et H. I. ROYAARDS, die iovis, hora I.

Publicis *disputandi* exercitationibus praesunt, alternis hebdomadibus, die mercurii, ho-

hora I. alternatim, I. HERINGA, E. F., H. BOUMAN, et H. I. ROYAARDS.

G. VAN OORDT, etsi suo rogatu, honorifice a Rege dimissus est, lubentissime tamen sua officia et consilia, quoad ejus fieri possit, offert commilitionibus. Orationes sacras habentibus praeses aderit, diebus et horis et sibi et commiliti onibus opportunis.

In FACULTATE IURIDICA, docebunt.

Institutiones H. ARNTZENIUS, diebus martis, mercurii, iovis et véneris, hora I.

Pandectas Westenbergio duce H. ARNTZENIUS, diebus martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, hora X.

Ius Belgicum ad ductum linearum Iur. Civ. Holland. descriptarum a Cl. N. Smallenburg, I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Historiam Iurisprudentiae Romanae H. ARNTZENIUS, diebus martis et iovis, hora XI. veneris, hora IX.

Encyclopediam iuris I. R. DE BRUEYS, die-

diebus lunae hora X, mercurii et veneris, hora XI.

Elementa oeconomiae politicae I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis et iovis, hora XI.

Ius naturae C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X., duce Haus.

Ius publicum universum et belgicum C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XII.

Ius gentium, inprimis *practicum*, horis commodis

Ius Criminale universum et belgicum C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, praeërunt Professores in facultate Iuridica.

In FACULTATE MEDICA, docebunt.

Anatomiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, hora IV.

Physiologiam I. L. C. SCHROEDER VAN

DER KOLK, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ VIII. matutinâ.

Dissectionibus Cadaveris Anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeërit quotidie J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

Doctrinam de cognoscendis et curandis hominum morbis I. I. WOLTERBEEK, quater, hora XII.

Therapiam generalem, et apparatum medicaminum, exponet I. I. WOLTERBEEK, quater, hora I.

Pharmaciam, vernaculo sermone, N. C. DE FREMERY, diebus iovis et veneris, hora II.

Examen aegrotantium, et Semeioticam, I. I. WOLTERBEEK, in Nosocomio academico, hora X.

Institutionibus Clinicis morborum internorum vocabit I. I. WOLTERBEEK, singulis diebus, in Nosocomio Academico.

Praxin chirurgicam tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Op-

Operationes chirurgicas demonstrabit B. F. SUERMAN, tempore hyemali, quater per dierum hebdomadem, hora V.

Institutionibus clinicis in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Theoriam artis obstetriciae I. I. WOLTERBEEK, die martis, iovis et veneris hora IX.

Institutionibus obstetriciis, imprimis practicis in Nosocomio habendis vacabit I. I. WOLTERBEEK.

Politiam medicam tradet N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, Professores in Facultate Medica praeërunt.

I. BLEULAND, licet propter aetatem septuaginta annorum honorifice rude donatus, commilitonibus, qui explicationem accuratiorem speciminum Anatomicorum et Pathologicorum in Musco praesentium desiderabunt, sua officia, quantum valetudo permittet, offert.

Ph. F. HEYLIGERS; quando ipsi per valetudinem licebit, Chirurgiam denuo et Artem Obstetriciam traditurus est.

 In

In FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM, docebunt.

Logicam I. F. I. SCHRÖDER, die lunae, hora II. atque die saturni, hora VIII.

Loca Selecta ex Metaphysices Doctrina I. F. L. SCHRÖDER, diebus iovis et veneris, hora II.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora X. interpretando cum Ciceronis libros de legibus tum Horatii Epistolam ad Pisones.

De optima cum puerorum instituendorum tum Literarum Humaniorum docendarum via disputabit, A. VAN GOUDOEVER, diebus Mercurii h. I. et saturni h. XII.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae. mercurii, iovis et saturni, hora IX.

Exercitationibus Oratoriis praeërit A. VAN GOUDOEVER, die Mercurii, hora XII.

Literas Graecas tradet PH. G. VAN HEUSDE, interpretandâ cum Plutarchâ Demos-

mosthenis vita et Iliad. Rhaps. VI. diebus martis *et* veneris, hora XI: tum Demosthenis oratione *de Corona*, diebus lunae et iovis, hora XI.

Literas Hebraicas docebit I. H. PAREAU, ita ut *Grammaticam* exponat, diebus lunae et iovis, hora IX. eademque hora, diebus martis et veneris, quaedam tractet *Capita* e *Regum Libris.*

Literas Chaldaicas et *Syriacas* I. H. PAREAU, diebus lunae et iovis, hora XI.

Literarum Arabicarum initia I. H. PAREAU, diebus martis et veneris, hora XI. et *carmina quaedam Arabica antiquiora* tractare perget die mercurii, hora IX. aut alia commodiore.

Antiquitatem Hebraicam tradet I. H. PAREAU, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Historiam gentium, praesertim Orientalium PH. VAN HEUSDE, d. lunae, martis, iovis et veneris h. XII.

Historiam literariam Historicorum Recentiorum, PH. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni hora XI.

Historiam Patriae, A. SIMONS, d. mar-

martis, mercurii, iovis et veneris; hora VIII.

Historiam Coloniarum Belg., diebus et horis, auditoribus commodis. A. SIMONS.

Literas Belgicas et Eloquentiam, A. SIMONS, d. martis, mercurii, iovis et veneris, hora II.

Poëtarum principum Belg. Sec. XVIII. selecta loca, A. SIMONS, d. martis et veneris, hora IV.

Praecepta styli bene Belgici tradet A. SIMONS; d. martis, horâ XII. mercurii, horâ XI. iovis, hora IV. et veneris, horâ XI.

Disputandi exercitationibus sermone Belg. praeërit, alternis hebdomadibus, die iovis, hora IV. A. SIMONS.

Disputandi exercitationibus praeërunt, alternis hebdomadibus, die saturni hora I. alternatim Ph. G. van HEUSDE et A. van GOUDOEVER.

G. DORN SEIFFEN, *Lit. Human. Lector*, diebus lunae et iovis, hora V., *Grammaticam Graecam* exponet; iisdem diebus ho-

hora VI., aut alia, auditoribus magis commoda, *de rhythmica ratione, tam in Graecorum, quam Latinorum, poëtarum carminibus* aget.

I. H. KOCH, Linguae Germanicae grammaticam et historiam literariam interpretabitur, horâ auditoribus commodâ.

Literas Francicas tradet F. M. D'ANGELY, diebus lunae et iovis, hora V.

Literas Anglicas tradet C. THOMPSON, diebus lunae et iovis, hora IV.

L. DE FRANCE, Academicus gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, ab hora I. in II. diebus Mercurii et Saturni ab hora I. in IV., et, feriarum tempore, singulis diebus Iovis, ab hora I. in II., unicuique patebit.

§. IV.

§. IV.

Inde a die XXVI Martii, a. CIↃIↃCCCXXVIII, usque ad diem XXV Martii, a. CIↃIↃCCCXXIX. Dissertationes, sive publice, sive privatim, defensae sunt hae.

Anno CIↃIↃCCCXXVIII.

Die XXIX *Martii*, IANUS KOKER, ex pago *Broek in Waterland*, *privatim* defenso specimine Anatomico-Physiologico de subtiliori membranarum serosarum Fabrica, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude Medicinae Doctor *creatus est.*

Die XXI *Aprilis*, OCTAVIUS, FRANCISCUS BYRDE, *Rheno-Traiectinus*, Medicinae Doctor, *privatim* defenso specimine Chirurgico-Medico, de Hydrocele, variisque methodis ejus operationem instituendi, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die XXX *Aprilis*, IOHANNES, HENRICUS, GUILIELMUS SWELLENGREBEL, *Roterodamensis*, Juris utriusque Doctor, ob doctrinae praestantiam, *privatim* defenso specimine

ae Historico-Iuridico de Fontibus Iuris francici, cum universe, tum in Heredum ordine succedendi.

Die II *Maii*, Ianus, Clazinus, Adrianus Pels Rycken, *Bredanus*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defenso specimine iuridico, sistente Quaestiones ex codice legum civilium, ob magnam doctrinae praestantiam, *cum laude*.

Die VI *Maii*, Nicolaus, Adrianus van Velsen van Voorthuizen, e vico *Abkoude*, Iuris utriusque Doctor, ob doctrinae praestantiam, *privatim* defensa disputatione iuridica, de Parte bonorum, iure hodierno certis cognatis reservata.

Die VII *Maii*, Iohannes, Franco Beyen, *Iselostadiensis*, Medicinae Doctor, *publice* defensa Dissertatione Medico-Practica de Tussi convulsiva, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die XVI *Maii*, Diedericus, Arnoldus, Philibertus van Tuyll van Serooskerken *Rheno-Traiectinus*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defenso specimine Academico iuris Criminalis de Poena Exsilii, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die

Die XXXI *Maii*, IANUS, PETRUS STRICK VAN LINSCHOTEN, *Rheno-Traiectinus*, ob doctrinae praestantiam Iuris utriusque Doctor, *privatim* defensa Dissertatione Historico-Iuridica, de Venatione et Iure venandi, tam antiquo quam novo.

Die III *Iunii*, IANUS, IOHANNES, FREDERICUS ALEWYN, *Amstelaedamensis*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defenso specimine Oeconomico-Politico, de Necessitudine inter tres in civitate divitiarum fontes, agriculturam, mercium fabricationem et mercaturam, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die XI *Iunii*, CORNELIUS, AGATHUS DUKER, *Rheno-Traiectinus*, Iuris utriusque Doctor, *publice* defensa Disputatione Iuridica, de Rescissione emptionis venditionis ob vilius pretium, ex historia iuris illustrata, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die XI *Iunii*, HENRICUS NAGTGLAS, *Rheno-Traiectinus*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defenso specimine iuridico, exhibente animadversiones ad locum Codicis Civilis, de obligationibus, quae ex conventione oriun-

oriuntur, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die XIII *Iunii*, IANUS, GERARDUS OTTEMA, *Doetichemo-Gelrus*, Philosophiae Theoreticae Magister et Literarum humaniorum Doctor, *publice* defenso specimine philologico de Sophoclis Antigona, ob summam doctrinae praestantiam, magna cum laude.

Die XIV *Iunii*, IACOBUS, CORNELIUS VAN THIELEN, *Brielo-Hollandus*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defensa Dissertatione Iuridica de Accessione, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die XXV *Iunii*, CORNELIUS DRONSBERG, *Amstelodamensis*, Iuris utriusque Doctor, *publice* defensa Dissertatione Iuridica, de Re Monetali, imprimis de legibus et delictis monetalibus, horumque poenis, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die XXX *Iunii*, UNICO, ALLARD VAN ALBERDA VAN BLOEMERSMA, *Groninganus*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defenso specimine Iuridico, exhibente Quaestiones iuris varii argumenti, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Eodem die, LEONARDUS HAMMING, *Arnhe-*

hemia Gelrus, Philosophiae Theoreticae Magister et Literarum humaniorum Doctor, *publice* defensa Dissertatione Historico-Litteraria, de Iasone, Pherarum Tyranno, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die I *Iulii*, Petrus, Cornelius van der Velden, *Rheno-Traiectinus*, Iuris utriusque Doctor, *publice* defensa Dissertatione Iuridica, sistente Quaestiones ex Codice Civili Francico, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die II *Iulii*, Gerardus Simons, *Thamensis*, Math. Magister et Philosophiae Naturalis Doctor, *publice* defensa Dissertatione Physica, de Dilatatione liquidorum per calorem, ob summam doctrinae praestantiam, magna cum laude.

Die III *Iulii*, Henricus Heylidy, *Rheno-Traiectinus*, Iuris utriusque Doctor, *publice* defensa Dissertatione Iuridica, de Vi probationis, quam habet confessio criminis rei, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Eodem die, Iohannes Paré, *Harlemensis*, Theologiae Doctor, *publice* defensa Dissertatione Theologica, de Iohannis Euange-

gelio non prorsus dissimili prioribus Euangeliis, nec ob dissimilitudinem repudiando, ob summam doctrinae praestantiam, magna cum laude.

Die IV *Iulii*, SALOMO, IACOBUS VAN LIER, *Rheno-Traiectinus*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defenso specimine Iuridico, de Conditione resolutoria, secundum codicem legum civilium, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Eodem die, GUILIELMUS SERRURIER, *Trans-Isalanus*, Iuris utriusque Doctor, *publice* defenso specimine Iuridico Animadversionum ad locum Gaii de Potestate, manu et mancipio, ob summam doctrinae praestantiam, magna cum laude.

Eodem die, EVERARDUS, IANUS, IACOBUS VERWEYDE, *Amstelodamensis*, Iuris utriusque Doctor, *publice* defensa Disputatione Iuridica, de eo, quatenus actiones, virtutis legi contrariae, delictis in civitate sint accensendae, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Eodem die, FERDINANDUS, LEONARDUS BEELS, *Steenbergensis*, Iuris utriusque Doctor, ob doctrina praestantiam, *privatim* defenso

cum hoste communi, a gentibus in bello sociis, iure, seorsum condatur.

Anno CIƆIƆCCCXXIX.

Die XXVII *Ianuarii*, HENRICUS, ADRIANUS, REGNERUS VOSMAER, *Haga-Batavus*, Iuris utriusque Doctor, *privatim* defensa Dissertatione Iuridica, de Societate nominata, sive de mercatoribus communi nomine societatis, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

Die III *Februarii*, PETRUS, CONSTANTINUS, ANTONIUS, CATHARINUS REIGERSMAN, *Rheno-Traiectinus*, Iuris utriusque Doctor, ob doctrinae praestantiam, *privatim* defensa Dissertatione Iuridica, de legibus et institutis belgicis, cum antiquioribus, tum recentioribus, quae spectant curam in mercibus, ex auro vel argento fabricatis, publicae cautionis ergo adhibendam.

Die IX *Martii*, IOSEPHUS FERENTZY, *Stephanopoli-Pannonius*, Theologiae Doctor, *publice* defensa Disputatione Theologica, de Consilio et causis proditionis Iudae, ob magnam doctrinae praestantiam, cum laude.

§. V.

§. V.

Anno CIƆIƆCCCXXVIII.

Die XXVI *Martii*, Academiae Curatores, Viri amplissimi, in Senatu convenerunt, quorum Praeses, IANO KOPS, Viro cl., in sequentem annum Academicum Rectori designato, *postquam solenne iusiurandum praestiterat*, novam Magistratus dignitatem est gratulatus, et anni nunc exacti Rectori, ANTONIO VAN GOUDOEVER, Viro cl., pro fide et cura, quam in Academiae rectione patefecerat, gratias egit. Gratulationi humaniter respondit instantis anni Rector.

Mox schedulae a Graphiario combustae sunt, eorum nomina continentes, quibus in certamine litterario praemium reportare haud contigerat.

His peractis, Curatores, universo Senatu comitante, ANTONIUM VAN GOUDOEVER, Virum clar., in cathedram deduxerunt, ex qua Orator primum dixit, „*de* FRANCISCO PETRARCHA *Literarum humaniorum, saeculo* XIV. *instauratore praecipuo.*" Deinde ea enarravit, quae, ipso rectore, Academiae evenerant, sive laeta, sive tristia. Porro praemia tradidit Victoribus in certamine litterario, LEONAR-

do Ioanni Frederico Ianssen, Guilielmo Christiano Slingerland Conradi, Theologiae in hac Academia studiosis, et Guilielmo van Lynden, Iuris in hac Academia Candidato, uti et honorifica testimonia iuvenibus Ioanni Everardo de Voogt, Theologiae in hac Academia studioso; Antonio Henrico van der Kemp, Iuris in Academia Lugduno-Batava Candidato, qui, sorte, praemio caruerant, atque Gerardo Molenkamp, Theologiae in hac Academia studioso; cui secundi honores in certamine contigerat. Tum quaestiones in proximum annum Academicum, a singulis ordinibus propositas, praelegit. Denique munus Rectoris abdicavit, sibique ab augustissimo Rege datum successorem proclamavit ac salutavit.

Anno CIƆIƆCCCXXIX.

Die IX *Martii*, in conventu Curatorum, Rectoris, Adsessorum et Graphiarii lecti sunt in subsequentem annum Academicum Adsessores quatuorviri Ianus Richardus de Brueys, Bernardus Franciscus Suerman, Ioannes Fredericus Ludovicus Schroeder et Philippus Guilielmus van Heusde. Graphiarii munus demandatum est Antonio van Goudoever.

Iano

JANI KOPS

ORATIO,

DE

EMOLUMENTO, QUOD EX BATAVORUM ET BELGARUM CONJUNCTIONE IN UNUM REGNUM, AGRICULTURAE PER TOTAM PATRIAM ACCESSERIT:

DICTA PUBLICE

DIE XXVI MARTII, A. CIↃIↃCCCXXIX.

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS SOLEMNI RITU DEPONERET.

Agriculturam in nostra patria maximi momenti esse habendam, publicamque salutem arcto vinculo cum ea esse conjunctam, tam omnium consensu hocce tempore verum habetur, ut nulla demonstratione amplius indigeat. Hanc adeo artem, uti etiam ceteras industriae partes, omnem curam, exhortationem et tutelam sibi suo jure quodammodo postulare, quis dubitet? etenim per proximos triginta annos hoc toties probarunt; tam diversa ratione ostenderunt; tam multis rebus factisque perspicuum reddiderunt viri hujus disciplinae studiosissimi, ut hi, quibus de Neerlandicae Agriculturae prae-

 tans-

stantia atque utilitate nondum persuasum sit, apertis oculis nihil se velle videre profiteantur.

Quoties autem ipse in diversis muneribus, ad hanc disciplinam et artem spectantibus; quoties, inquam, perversas istas et praejucatas nostratium opiniones, quas de hac arte reperiebam, tollere conatus (1) fui, quas quidem ob supra jam dictas causas amplius impugnare supersederem, si in nostra patria priscus rerum status fuisset conservatus. Jam vero quoniam tot et tantae priori reipublicae accesserunt provinciae, ut nova inde orta sit oeconomiae politicae administratio, novamque acquisivit formam; novi quoque dantur et se offerunt nobis rei adspectus, ex quibus Agriculturae nostrae ratio considerari meretur. Mirum ergo nemini videri debet, si ex industria disquisiverim, quos effectus hicce novus rerum ordo in

(1) In diversis disputationibus et prolatis sententiis, quae passim inveniuntur in opere a me edito, A°. 1808-1814. *Magazijn van vaderlandschen Landbouw*, zes deelen, uti quoque in oratione inaugurali, cum professoris munus auspicarer. A°. 1816.

in agriculturam nostram habuerit; quanta emolumenta haec inde perceperit, et quomodo haec industriae pars a cujuscumque ordinis viris in nostro regno jam consideranda esse videatur.

Cum Magistratus me verba ad vos facere jubeat, hujus diei solemnitati non alienum, meae provinciae accommodatum, vestrisque auribus *A. H. haud indignum videtur*, si in hoc argumento nostra versabitur oratio: inprimis quod illa septentrionalium Australiumque provinciarum conjunctio ad unum regnum, ab hinc aliquot annis sit facta, atque adeo experientia et usu satis superque extra omnem dubitationis aleam sit positum, quantum incrementi Agricultura ex hac ceperit conjunctione; quapropter non de incerto quodam et futuro rerum eventu agemus, sed praeterita respiciemus, quae nobis satis materiae ad hujus rei contemplationem suggerent. — Dicam ergo de Emolumento, quod ex Batavorum et Belgarum conjunctione in unum Regnum, Agriculturae per totam patriam accesserit.

Difficilem sane provinciam aggredior, me il-

illam utriusque populi ad unam gentem consociationem, tamquam Agriculturae utilissimam, vobis ob oculos ponere velle: est autem haec ipsa diversarum provinciarum conjunctio, quae tam in australi quam septentrionali regni nostri parte, non eodem apud omnes fruitur favore. In gravi ergo et ardua materia versatur oratio, dum res attingam, de quibus homines non solum in diversas abeunt sententias, sed etiam opiniones maxime praejudicatae reperiuntur. Quid autem ego rem tractare deterrerer, quae, uti mihi persuasum habeo, immensa commoda atque emolumenta nostrae affert patriae. Anne ego, qui per triginta tres annos, in omni regiminis forma, in rebus ad agriculturam pertinentibus pro viribus meam operam praestiti, nunc me deterreri paterer, quo minus ejus defensionem in me recipiam, et tanquam dubius pedem retro referrem, cum mihi constet, me in certamine non succubiturum esse?

Niholominus A. H. ad vestram benevolentiam, ea, qua par est, modestia confugio. Audite, quaeso, me integritate, viris gravi-

viribus propria. Quid? quis vestrûm me ad vos verba facientem ante condemnet, quam audiverit? Quis in re tanti ponderis prius sententiam ferat, quam meam orationem ad finem perduxerim? attamen ne vestra patientia abuti videar, operam dans, ut me humanitate, benignitate atque attentione auscultatis, vos etiam atque etiam rogatos esse *velim*.

Agriculturam hoc in argumento latissimo sensu esse accipiendam, nec solum diversi generis plantarum cultionem, sed etiam universae rei pecuariae curam significari, cuique patebit: estque haec Agricultura, cujus statum tam apud Belgas, quam apud Batavos vestrum in conspectum breviter ducere constitui, qualis sese habuerit apud singulos ante provinciarum conjunctionem, et qualis sit ejus conditio, postquam hi populi ad unam gentem consociati fuerunt.

Utrique populo primarius quidem fons erat, ex quo largissima scaturiebant emolumenta, sed ipse fons cuique diversi erat generis. Quidquid enim mercatura ad Batavorum salutem valebat, id Agricultura Bel-gis

gis tribuebat, quod quo clarius pateat, rem paulo accuratius ad examen vocemus.

Ne cogitetis, me in mercaturae laudem hic exspatiari velle: silentio enim praetermitto, priscae reipublicae incolas suam insignem magnitudinem, laudatam carissimamque libertatem, immenses opes divitiasque, egregias artes atque doctrinas, mercaturae referre debuisse accepta: quis enim vestrum haec omnia non mihi assentitur? Silentio vero praeterire, quantum veteri illi mercaturae ac navigationi Agricultura debeat, vetat religio; estque hanc solam ob causam, cur cum maxime de mercatura mentionem faciam, et quae pars tantum in considerationem nostram venire debet.

Pauperes et exiguae humanae culturae istae regiones sunt dicendae, quae, agricolae laboribus male respondentes, nihil amplius, quam quo sibi quisque prospiciat, proferre solent; nam ubi agricultio largum copiae cornu in industrium rusticum effundit, ibi multi fructus ad aliorum, rei rusticae non operam dantium, usum acquiruntur: qui ergo sibi supersunt, eos aliis tradere,

re, cuique offerre solet agricola, dummodo pretium justum inde consequatur. Quaeso A. H. quomodo ergo agricola ipse mercaturam agat, animadvertite; et quo plura loca ad suos fructus vendendos illi patent, quo felicior merces eo transportandi datur occasio, eo magis rustici prosperitas augetur, crescunt ejus opes. Numquam ejusmodi *agricolae timor obrepit, ne ejus agri nimios proferant fructus*, cum florenti mercatura mille paratae sint manus, ad id, quod sedulo rustico ex fructibus supersit, accipiendum et alias in regiones magno cum lucro transvehendum. Singula itaque mercaturae incrementa ruricolae quaestum afferre solent. Quum Mercator in aliis orbis terrarum partibus, in remotissimis regionibus, sibi lucri vias aperuit, agricola aliquam commodi et lucri partem ex hoc incremento sibi in futurum prospicit et sperat. Quum merces eaedem, quas quoque *ejus* agri proferunt, aliunde a mercatoribus invehuntur, agricola inde ne minimum sentit damnum, probe sibi conscius, magna suae patriae emporia inde mirum in modum crescere, nec dubitat, quin major

jor mercatura etiam fructus ex suis horreis sit postulatura. — Haec omnia luce meridiana clarius antiqua illa in prisca republica agricultura probavit.

Praeter nostram enim rempublicam nullum invenitur regnum, nisi forte Angliam excipere velitis, in quo pro exigua soli magnitudine, tanta copia seritur et nascitur plantarum, diverso domestico usui inservientium, quae quidem plantae ideo inprimis ad mercaturam faciunt, quoniam in ceteris terris, ubi agri non plura quam necessaria hominibus alimenta proferunt, plane desunt; quaeque adeo inde, speciali mercatoriarum plantarum nomine, sunt insignitae. Hae autem quantum lucri agricolae afferre solent! Quae opum divitiarumque magnitudo ex nostra Rubia tinctorum, illo praestanti ad pannum colore inficiendum radice, in nostram patriam quotannis redundat! quantum auri ex nostro Lino, tam suis pretiosis filis, quam utilissimo semine afferebatur, praesertim antequam Gossypium ejus locum inprimis occupaverat! Qua pecuniae summa remuneratur cultoris labores Brassica Napus suo oleo,

quod

quod tam copiose è semine contunditur! Quot nummi singulis annis colliguntur ex Cortice Quercino, ad corium praeparandum inserviente! quid dicam de innumeris Avenae modiis, qui a peregrinis appetuntur! Praecipuas tantum ex utilissimis nostrae telluris plantis hic commemorare lubet, quarum abundantiam nostri mercatores in alias mittunt regiones. *Non tamen ideo silentio praetereo*, *primo loco forsan nominanda*, Butyrum et Caseum, peregrinis et incolis aeque praestabilia, quibus quidem industriae fructibus an aliae merces, si paucas excipias, plus divitiarum mercatoribus attulerint, fere dubito.

Quas ergo gratias Septentrionalium Provinciarum agricolae nostris mercatoribus reddere tenentur. Recognoscite quaeso A. H. breviter mecum, id quod ex veris documentis patefactum est (2), hujus seculi initio, quum nostra navigatio tantopere premebatur et coercebatur, tanta fructuum ex dictis provin-

(2) Vid. opus supra citatum. *Mag. van Landb.* Vol. VI. p. 219 et 220 cum tabula adnexa.

vinciis exportatio exstitit, ut, abstractis fructibus, qui ejusdem generis aliunde erant invecti, eorum pretium fere summam sedecim millionum florenorum quotannis aequipararet, quae quidem summa parum a pretio rerum differt, quae Anno 1826. ex toto nostro regno ad nostras Indiae orientalis colonias transportatae sunt (3). Quidquid igitur septentrionalium provinciarum incolae agricultura valebant, impigris mercatorum curis et laboribus acceptum referre debent.

Aliud beneficium mecum recordemini velim, quod ex eodem mercaturae fonte in agriculturam redundavit: summae illae divitiae effecerunt, ut magnae paludes citius siccarentur, et agri qui alluvionis beneficio accesserant, firmis promptius aggeribus cingerentur. Hinc in provincia Hollandiae, mercatura tam florente, circiter sexaginta quinque millia jugerum (4), quae in ingentibus pa-

(3) Quum redituum publicorum Praefectus verba faceret de commodandis pecuniis in usum nostrarum Coloniarum in India Orientali, A°. 1827. tota prioris anni e patria in illas Colonias exportatio aestimata fuit *f.* 17,500,000.

(4) Vid. *Verhandeling over de Droogmaking van de Haar-*

paludibus latebant, siccata, uberrimos sedulo agricolae fructus attulerunt. Etenim mercatores, ita est eorum solertia et prudentia, providere videbantur, nummos, hoc modo erogatos, brevi cum foenore esse redituros. Nec spes eos fefellit, imprimis cum ex Imperantium indulgentia, magnae immunitates huic labori et ipsis agris fuerint concessae.

Quanti ergo mercatura a septentrionalium provinciarum agricola aestimanda sit, quis est, qui hoc mecum non confiteatur. Si vero rogetis, an agriculturae ex tam prospera rerum conditione omnes, quos potuerit, fructus perceperit? utinam hoc affirmare possem. Mercatura, quid enim non confitear? nostrae quondam reipublicae primarius salutis fons merito habebatur: non vero erat unicus. Prudens mercator etiam norat, quanti Agricultura esset facienda, et quovis modo eam promovere studebat. Quot vero fuerunt, qui eam susque deque habendam esse sig-

Haarlemmer Meer, door F. G. Baron van Lynden van Hemmen, in tabula operis, p. 34. adnexa.

significarent? quot fuerunt, qui divitias, ex patriae fructuum abundantia congestas, invidis intuerentur oculis? Quot palam profiteri haud erubuerunt, propriorum fructuum inopiam majora commoda mercatoribus afferre, quibus hoc modo merces ex aliis Europae partibus apportandi, patriaeque inopiae succurrendi major daretur facultas? Quidquid fructuum ex nostris agris collectorum, mercatori quaestum afferebat, exigui momenti et inter tantas divitias, ex magna illa mercatura ortas, fere ne nominatu quidem dignum habebatur.

Num ergo mirum videri potest, si ejusmodi perversis opinionibus, praecipuarum rerum, ad rem rusticam et rusticorum opera pertinentium, summa esset ignorantia atque imperitia, imprimis oppidanis? Hinc ille neglectus, quin imo contemtus rusticorum vitae operumque, ex illa inscitia solum originem ducens, suamque saevam vim in remotiores exercens provincias. Nonne etiam huic imperitiae tribuenda est illa segnities tarditasque, qua summus Imperans ad Agriculturam sustentandam et excitan-

tandam procedebat, unde plus tertia parte nostrarum terrarum incultum et desertum jacere pateretur (5)?

Quispiam forsitan hic objiciet: Quid? Tune ergo tam parvi pendis omnia illa utilissima instituta, a summo Imperante variis temporibus in Agriculturae commodum acta? Absit, A. H. ipse potius ea vobis enumerabo; *quippe illae immunitates in siccatis paludibus*, de quibus supra jam dixi, in incultos agros excollendo latius extendebantur et augebantur. Communium agrorum divisio per aliquod tempus jubebatur. Oppertunum et prudens consilium capiebatur ad funestae bubuli pecoris pestilentiae occurrendum, eamque depellendam, summaque cura in hunc aliosque pecorum morbos conferebatur. Rusticis tribuebatur occasio, qua equorum atque boum foeturam emendarent. In Agriculturae usum peculiares pecuniae colligebantur. In singulis Provinciis viri, qui rei rusticae praeessent, eligebantur. — Singulorum in nostra patria rusticorum instrumento-

(5) Vid. adnotationem, N°. 16.

torum Museum magnis cum sumtibus constituebatur.

Omnia haec pleraque alia a nostro optimo Rege confirmata sunt, et praeterea rem rusticam ad eas referri doctrinas, quae publice in Academiis docerentur, Gulielmo, Patri Patriae placuit, nec immerito Ars veterinaria hic etiam nominanda: quippe iis, qui hanc artem docerentur, amplissima schola fuit aperta, medicisque veterinariis, in ea doctis, annuum stipendium publice erogatur.

Verum enim vero haec omnia, quando initium sumserunt? Scilicet hocce seculo, eo quidem tempore, quo, Eheu! summae calamitates nostram antea tam amplissimam, tam florentem mercaturam premebant, et in dies imminuebant: eo tempore Agricultura unicum attamen tutum agnoscebatur refugium, quo nostra publica salus inprimis defendi posset. Tum novas internas vires, antea neglectas, agriculturae revera inesse ad labantem rempublicam sustinendam, plerique animadvertebant et in id consentiebant. Tunc mercatores, quos gnavus agricola collegerat fruc-

fructus, gratis accipiebant animis: itaque res adversae, uti semper, sapientissima suppeditabant praecepta, rebus prosperis vili pensa, neglecta, irrisa.

Fuerunt tamen, quid enim dissimulem? aliae quoque causae, quibus id efficiebatur, ut omnia haec consilia et instituta Agriculturae summam afferrent utilitatem: primum quod in nostra patria foederata illa regiminis forma mutaretur, qua tot tantaque consilia, quae ad Reipublicae salutem promovendam valebant, antea plane impediebantur: deinde huc spectant ingentia pretia, quae per aliquot annos ex agrorum cultura percipiebantur. Hae vero causae numquam effecissent, ut ejusmodi instituta, quae modo commemoravi, agriculturae tam salutaria fierent, si mercatura assiduo floruisset. Etenim mecum recognoscite effectus mercaturae, post receptam libertatem rursus florere incipientis, num ex eo tempore idem ardor, idem Agriculturae studium, quod antea, quum patria re adversa affligibatur, inter nostrates patuit? Utinam hoc affirmare ausim!

In veterem rerum statum in Septentrio-

 na-

nalibus regni provinciis contemplando diu versatus fui; quandoquidem sic quoque fundamenta erant ponenda, in quibus ceteras orationis partes exstruere possem.

Oculos nostros nunc convertamus in Belgas. Agriculturae, ut supra dixi, primarius his fons fuit, qui jam longe ante Carolum V, et eo imperante (6), quum Belgium una cum Septentrionalibus provinciis antiquam constituebant Neerlandiam, largiter scaturiebat, unde salus in omnes permanabat. Tum enim ob praestantem agrorum culturam Belgae insigne jam adepti erant nomen; quam quidem magnam gloriam, eo jam tempore acquisitam, in hunc usque diem eximie tuiti sunt et conservarunt. Non his Belgas, neque Hollandos, testes citare lubet; nam peritissimi rei rusticae investigato-

(6) Vid. L. Guicciardin, *Description de tous les Pays-Bas, traduit de L'Italien*, Fol. 1609, et C. Gregoire, *Essai historique sur l'etat de l'Agriculture en Europe, au seizième siècle*, p. 115, quo auctor praedicat est in opere: *Le Theatre de l'Agriculture* d'Olivier de Serres, edit. in 4to A°. 1804.

nes et expertissimi in Anglia (7), Germania (8), Francia (9) et Helvetia (10), uno quasi ore confitentur, nusquam terrarum in agrorum cultione plus curae adhiberi; nusquam plures fructus inde in rusticum redundare, quam in Belgio; et plurimorum ille annorum experientia in hac arte insignis, Arthur Young, Anglus, nullam fere rei rusticae *peritiam comparasse sibi ante videbatur*, quam Belgium peragraverat, summaque cum diligentia eorum agros et culturam conspexerat.

Verum enim vero missis his omnibus testimoniis, ipsa re hanc Belgarum gloriam tueri placet. In Flandria orientali fere septua-

(7) Nempe Arthur Joung in variis operibus, John Sinclair, et inprimis, *the rever.* Thomas Radcliff, *A Report on the Agriculture of Eastern and Western Flanders.* London 1819.

(8) J. N. Schwerz, in opere: *Anleitung zur Kenntniss der Belgischen Landwirthschaft*, 3 Vol.

(9) Franc. de Neufchateau, in annotatis ad opus, No. 6. citatum: *Le Theatre d'Agriculture.* Vol. I. pag. 182-204.

(10) vid. *Bibliotheque universelle, section Agriculture, Janvier et Fevrier l'An* 1821. pag. 253-270.

tuaginta millia jugerum Neerlandicorum, ut vulgo, vicies quater centena millia modiorum Neerlandicorum Tritici et Secalis Cerealis proferre solent; quae quidem copia cunctas incolarum necessitates tantum superat, ut e frumento, e provincia exportato, detracto etiam quod cerevisiae et juniperi coctoribus opus sit, sex vel septem milliones florenorum quotannis redeant (11). Forsitan vero tam largas messes singulari hujus terrae foecunditati tribuetis. Est sane magna his agris foecunditas: sunt enim, praesertim in occidentali Belgii parte, magis frugiferi, quam qui in Septentrionalibus provinciis fertiles agri dicuntur, idque inprimis inde fit, quia terra iis in locis cum marga et calce est commixta. Attamen convertite oculos in plurimas Franciae septentrionalis partes, hisce agris con-

(11) Nempe 1,000,000 modiorum, qui modico pretio sex vel septem florenorum in quemque, vel Tritici vel Secalis, modium aestimati sunt. Vid. *Staat van den Landbouw in het Koningrijk der Nederlanden, gedurende den jare 1818., uitgegeven op last van den Minister voor het Publiek onderwijs, de Nationale nijverheid en de Kolonien*, pag. 67.

contiguas ejusdemque foecunditatis materie repletas. Quam squalidi, quam neglecti, quantopere vigore hi agri sunt exhausti perversa excolendi ratione, qua fit, ut tertio quoque anno novales reddi debeant, id quod Flamingis et Brabantinis populis vix amplius cognitum est.

Sed videor audire rogantem. Unde tantum *fructuum discriminis in agris ejusdem terrae, sub eodem climate?* Conspiciat ille insignem agriculturae peritiam, quam Belga jam aliquot secula aequisivit, et cujus regulas etiam nunc sequitur. Dividit agros inter complures colonos, et singularem industriam assiduitatemque adhibendo nihil omittit, nihil negligit, quo ex singulis agri partibus summam utilitatem percipiat.

Ne putetis vero, A. H., Belgarum terras ubique naturam tam fautricem habere, fructusque aeque uberrimos durum agricolae laborem remunerari. Sunt enim quoque terrae arenariae, quae antea inculta, inhospita et ericis repleta, tesqua erant.. Sunt autem hae ipsae terrae, in quibus Belgarum agros excolendi ratio tam insignem se

prae-

praestitit, et quam in hoc tempus aequando effecerunt, ut advenae, agricultionis peritissimi, conspectu in admirationem abripiantur. — Accedit, quod non solum sint plantae, quae ex his aridis terris progignuntur, in hominum animaliumque nutrimentum inservientes; indefesso enim labore, in his aeque atque in fertilissimis agris, multas alias oeconomicas, quas antea mercatorias plantas appellavimus, abundanter alere a proavis ad posteros propagata est scientia.

Tanta vero diversarum frugum copia quid agricolae prodest, si eas cum lucro aliis vendere non possit? In Septentrionali regni parte paulo ante agricolam felicem praedicavimus, ut pote qui fruges in magna emporia mittat, ubi facile emtorem invenit. Quid vero discriminis olim inter utramque nostri regni partem obtinebat! Belgae quidem domesticae mercaturae commoda capiebant, et in duobus tribusve vicinis regnis, praecipue vero in Provinciis Hollandiae et Zeelandiae, quae per magna flumina facile adiri poterant, mercaturam agere solebant; sed maritima mercatura et navi-

ga-

gatio, quae magnam demum mercaturam efficiunt, Vos ipsi novistis; vix in censum veniebant, et illum eximium Antverpiae portum, propter Scaldim praeclusum, mercaturae nullam utilitatem adtulisse, quis nescit?

Sed attendite animum, A. H., quodnam remedium huic malo solers industria quaesiverit; quas vias invenerit, ut agricultura *nihilominus bene se haberet*, et se a tam ingenti frugum abundantia liberaret agricultor. Plurimas oeconomicas seminavit fruges, praecipue Linum, Cannabim, Lupulum, quas quidem plantas suae ipsorum officinae, tanquam primam et rudem materiam, consumebant, et corticem quercinum itidem in proprium usum adhibebant. Sic complures humanae industriae partes, inprimis textrinae, cum Agricultura arctissimo conjungebantur vinculo.

Omnibus vero impedimentis, quae Belgarum mercatura sensit, mercatus studium etiam magis magisque fuit extinctum; quod quidem studium, tribus, immo jam quatuor, seculis abhinc, mirum quantum in horum animos agebat, quo excitati cum remotissimis

nis orbis terrarum gentibus mercaturam agebant, ingensque divitiarum copia ad eorum magna emporia confluebat. Quin imo ipsi mercaturae, quae illis seculis maxima erat, tribuendum est, Belgarum Agriculturam jam tunc ceterarum gentium agros colendi ratione longe praestantiorem fuisse, eamque illis jam a proavis velut donum hereditate in foenus esse relictam.

Apud illos ergo res rusticae, industria, atque fabricae diversarum rerum tantummodo valebant; mercatura vero in remotissimas regiones illis plane erat aliena. Mirum ideo videri non potest, si invectionem omnium rerum, quas proprium solum proferebat, aut industria propria elaborabat, vel omnino prohibere, vel certe aggravare conarentur; quippe illam magnam copiam, quam alioquin aliunde acquisivissent, numquam alienare potuerant, quoniam mare illis fere erat clausum, et illata et advecta propriarum mercium pretium nimis minuissent. Hinc adeo explicandum est, plurimos, his legibus prohibentibus adsuetos, has identidem etiam nunc renovare velle.

Vo-

Vobis igitur, A. H., quomodo Agricultura cum in Belgio, tum in prisca nostra republica, se habuerit, satis indicasse mihi videor, ut inde pateat, quanta commoda novus rerum ordo in utraque regni parte, et jam hac in re attulerit, et in posterum sit allaturus. Quod quidem quo luculentius appareat, propter praestantem laudatamque Belgarum Agriculturam, *primum oculos convertamus in Meridionales* regni provincias.

Forsitan vero hanc ipsam ob causam admiratione pleni quaeritis, quid? Num illa Agricultura apud Belgas, quam tantopere laudas, aliquid emolumenti cepit ex conjunctione cum ejusmodi regionibus, in quibus agrorum cultio ad publicam salutem tam parum conferre aestimabatur, a multis vili pendebatur? Sed in memoriam revocate quaeso, A. H., quae jam saepius dixi, Agriculturam tum demum maxime posse florere, quum maritima mercatura illam sublevat et sustentat. Hoc autem Belgis antea deerat. Nunc vero eorum naves, celebri illo Neerlandico navali vexillo tutae, mercium copiam in remotissimos ter-

terrae portus vehunt: qua late patet orbis, passis velis tendunt, et ubique iisdem fruuntur commodis, quae amplius ducentos annos Batavorum mercatoribus fuerant concessa. Colonias in Indiis, et orientali et occidentali, nunc quoque suas dicunt, praebentque hae illis magnos mercium mercatus. Omnes leges consuetudinesque; quarum utilitate navigatio et magna mercatura tantopere florebant, etiam sua beneficia in Belgas conferunt. His omnibus opportunitatibus ergo ex eorum agris, pratis, silvis et hortis, multo majora emolumenta capiunt quam antea, et multo ampliores reditus sibi conciliant.

Has autem provincias, quae a mari remotiores sunt, inde per se minorem utilitatem percipere, non est, quod negemus; sed recognoscite, quam paterna Regis cura eas quoque provincias sit complexa. Novae munitae sunt viae, multi canales vel dilatati vel prolatati sunt, quibus facillime minimisque sumtibus fructus, qui jam pretio aucti sunt, navi vel curru ad vicinos portus transferri possunt. Quid dicam de diversis flu-

fluminibus, hunc in finem inter se magnis sumtibus conjunctis? Quid? quod Mosae et Scaldis aquam ex Regis decreto mox inter se misceri videbimus.

Anne Belgae haec omnia commoda, imperante Napoleonte aliove Francico rege, obtinuissent? Minime. Illa commoda manent tantummodo cives, ubi summus Imperans mercaturam *quidem curat, attamen quanti agricultura sit habenda, aeque probe novit.* Etenim Belgarum agricultura, quamvis insignis, magis perfecta fieri potest, inprimis in orientalibus provinciis. Quos vero conatus, quaeso, ii, qui antea hisce regionibus praeerant, adhibuerunt, ut agricultio ad majorem perfectionem perveniret? plane nullos. Quamquam enim plus viginti annos Belgae Francici regni pars fuerunt, cujus summus Imperans omni tempore mirum quantum gloriari *solebat*, agriculturam sibi summo in pretio esse, Belgarum agricultio *tamen* nullum emolumentum inde cepit.

Vix vero cum Septentrionalibus Provinciis in unum regnum conjuncti fuerunt, quum Gulielmus, Rex optimus, omnes leges, omnia

nia instituta, quae ad rem rusticam spectabant, cum illis quoque communicavit, quorum summam utilitatem Septentrionalium regionum ruricolae jam amplius duodecim annos gratis perceperant animis. Eodem modo, quo in nostris regionibus, a Rege deligebantur in singulis Belgarum Provinciis viri periti, qui rei rusticae praeessent. Nunc demum eorum Agriculturae status quotannis in annalibus ruralibus, tam Francice quam Belgice, divulgatur et recensetur. Pecuniarum, quas Batavi peculiariter in rem rusticam per viginti annos collegerant, aequali jure Belgae fiebant participes. Nunc non amplius pecuaria lues illis erit timenda; eorum equi bovesque eodem curantur modo, quo in prisca republica: in scholam veterinariam pari jure alumni non minus ex Meridionalibus quam Septentrionalibus provinciis admittuntur, aluntur et docentur, Belgaeque jam justo pretio aestimare didicerunt veterinarios medicos, qui, hac schola relicta, utilem illam artem inter eos magno cum fructu exercent. Hinc inprimis rei pecuariae cura apud Belgas, cui magna excitatione opus erat, mirum

rum in modum augetur, et Batavi, iis in procreando pecore longe antecedentes, nobilem aemulationem inter illos suscitarunt; nunc demum eadem magna commoda ex suis vaccis percipere possunt, cum prospera utantur mercatura, sine qua res pecuaria semper languet.

Quid vero ex his omnibus rebus exspectare *licet in populo, apud quem Agricultura* inter res summi momenti jam pridem habebatur, et hujus artis studium tantum valebat! quos progressus facient Belgae in re pecuaria, nisi omni dato auxilio et incitamentis; et quomodo ea applicabunt in agriculturam, quo agri magis magisque commissa semina majore cum foenore reddant, quorum fructus tota patria sit perceptura!

Communis quidem est eorum querela, tributa et vectigalia, quae quotannis solvi debeant, multo majora esse, quam unquam antea. Nonne vero injustae sunt hae querelae? Quid enim? Num *sola* commoda percipere volunt, dum onera, quae cum iis sunt conjuncta, ferre recusent? Nonne vero omnes eorum merces pretio multum sunt auctae?

tae? Instituant comparationem cum vicina Francia, si hac de re dubitant. Nonne praeterea in annonae caritate agricolae omnium minime aucta pretia sentiunt, quia ex propriis agris sibi ipsi prospiciunt? Nonne tandem majora vectigalia novum stimulum rusticorum industriae addunt, ut majore cum cura agros excolant, quo plurium fructuum compensatione vectigal minuatur, dum exiguis vectigalibus saepe efficitur, ut se perniciosae tradat desidiae agricola? Comparate enim, A. H, fundos, vectigalibus ut videtur pressos, cum ejusmodi agris, qui quotannis exiguum tributum solvunt: priores varii generis fructibus uberrimos videbitis, posteriores turpi inopia laborantes (12).

Nunc

(12) Hoc inprimis probatur in epistola Viri amplissimi R. Schimmelpenninck ad Ordines generales, respectu eorum consult. d. 11. M. Junii 1805. N°. 14ª hisce verbis:

„ *De ondervinding en het voorbeeld van naburige Landen leeren, dat wel verre dat de welvaart door Belastingen zoude worden verminderd, dezelve veeleer, mits niet overspannen zijnde, aanleiding geven tot meerderen bloei en voorspoed. Men vergelijke, om daar van overtuigd te zijn,*

Nunc ad vos, priscae reipublicae incolae, me converto; nam etiam vobis cognita sint com-

zijn, het naburig Engeland, zoo zwaar belast, en nogtans zóo veel welvaart genietende, en daarentegen de anderzijds zoo gelukkig gesitueerde Rijnlanden, waar men met oneindig minder Belastingen het tegenovergestelde zal ontwaren: men reize uit Holland, *door* Utrecht, Gelderland, Overijssel, *het* Bentheimsche, Munsterland *en* Osnabrug, *naar* Hanover, *en men zal bij elke grensscheiding, met mindere Inpositiën, mindere welvaart ontmoeten: — men reize uit* Holland *door* Zeeland, *de voormalige* Baronnie van Breda, *de* Meijerije *en het land van* Ravestein, *naar dat van* Cleef, *en het zelfde zal de aandacht van den Reiziger niet ontglippen. Welk een en ander, Hoog Mogende Heeren! bewijst, dat meerdere Belastingen den aangroei der welvaart niet verhinderen, maar dikwijls daar aan bevorderlijk zijn."*

„*In Landen namelijk, waar de geringe Inpositien de verkrijging van de eerste noodzakelijke behoeften, maar ook die van uitgestrekte genoegens, voor ieder een gemakkelijk maken, vindt de Industrie dien sterken prikkel tot werkzaamheid niet, als in de zoodanige, waar meer bezwarende Belastingen zulks, zonder eene steeds voortdurende vlijt, verhinderen."*

„*In de eerste vindt de arbeidzame man geëvenredigde belooning voor zijne meerdere vlijt: zijn minder ijverige Nabuur kan toch het zelfde met minder arbeid genieten. — Hij wint dus bij de vergelijking niets, en zijne eerzucht wordt allengskens uitgedoofd. In de laatste in-*

te-

commoda oportet, quae ex consociatione cum Belgis originem ducunt. Quis etiam nunc Agriculturam nostram parvi facere perget, cum tam amplam, tam insignem Agriculturam in ipso nostro regno habeamus? Sub illa Belgarum solerti agricultura, quam ceterae Europae gentes cum admiratione intuentur, nostra, antea tam parvi aestimata, tuta est et refugium invenit; quippe Belgarum agricultio facta est nostra, ejus laudes etiam ad nos pertinent. Prae-

tegendeel wordt de ambitie hoe langer hoe meerder dangevuurd; iedere tred voorwaards brengt tevens zijne belooning in een ruimer genot van de aangelegenheden des levens mede. Hoe meerder de Belastingen zijn, die de werkzame man moet opbrengen, des te rustiger zijn zijne pogingen, om dit bezwaar te boven te komen. Is dierhalven het meerder genot, voor een tijd, in een enger kring beperkt, de Industrie, welke de vermogens door herhaalde oefening doet aangroeien, overwint ten laatste den tegenstand; eene meerdere winst wordt de vrucht der aangeprikkelde eerzucht, en meerdere Belastingen de toevallige oorzaken van vermeerderde welvaart."

,, Ik erken echter gaarne, Hoog Mogende Heeren! dat dit principe, te ver gedreven, gevaarlijk zoude kunnen worden."

Praestans Belgarum aratrum cum aliis aratris in Francia, Helvetia, et in ipsa hac nostra provincia Rheno-trajectina (13) saepius comparatum, non dubiam palmam ceteris praeripuit; quod, ut uno exemplo demonstrem, dicere sufficiet, in sola Helvetia intra novem annos, fere ducenta quinquaginta ejusmodi aratra in rusticum usum fuisse *adhibita: (14) illud autem aratrum nunc* nostrum, nunc patrium factum est, magnoque cum fructu et majore cum commoditate quam antea plurimis in locis nostrorum agrorum glebas jam vertit.

Verum enim vero quantum honoris Agriculturae non accedit, quum ruricola in eum ordinem recipitur, quem ex honesto atque utili opere jure sibi postulare potest; nec quisquam hunc ordinem ei denegabit, cum ejusdem regni vinculis, iisdem legibus cum Bel-

(13) Vide quae hac de re dicta sunt, *in het verslag der openbare vergadering van de eerste Klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut in het jaar* 1827.

(14) Vide *Bibliotheque universelle*, *section Agriculture*. *Mai* 1823.

Belga sit conjunctus. Nobis autem tali consociatione cum gente, tanta cum laude rei rusticae operam dante, admodum erat opus, ut sic quodammodo nostra Agricultura se ex sua despecta humilitate emergeret. Percipiamus ergo etiam omnem utilitatem ex Belgis, illorum Agriculturam nobis exemplo ponendo. Peregrini se ab illis doceri gaudent, illosque imitari hac in arte student: nos igitur, nos inquam, illorum lumen et nobis non praelucere pateremur? quid enim dicam de eorum assidua industria, quam multo majorem adhibent, quam nostrates; cum in colligendo, tum usurpando omnia ea, quae ad agros fertiles reddendos valent; cum in justa agrorum divisione, tum in saepius vertendo solum; cum in segetes sarciendo, omneque lolium et inutiles plantas radicitus evellendo effodiendoque, tum in non patiendo agros jacere novales? Utinam illa Belgarum navitas plurimis nostrorum agricolarum sit stimulo, ad et animi et manuum torporem atque desidiam effugiendum et deponendum.

In Coloniis, a laudabili Benignitatis Socie-

ta-

tate in Drentha conditis, Flamingorum exigui, sed tam feliciter exculti, agri arenarii exempla, quae imitarentur, dederunt; Belgae contra in Coloniis, in provincia Antverpiae sitis, nostrarum Coloniarum leges et instituta sunt secuti. Sic utraque regni pars amicas jam jungit manus et altera alteri prodesse conatur.

Inter vos autem, priscae reipublicae cives, communis quoque est querela de diminuta mercatura et navigatione, olim tam insigni, tam vegeta. Est autem minime injusta: lubenter enim hisce vestris querimoniis suffragor. Audivistis, A. H.! quanti magnam illam antiquam mercaturam aestimem, adeoque propter utilitatem, quam ipsi agriculturae affert, palam eam defendere sum aggressus. Causae vero, quibus tantum damni mercaturae infertur, a peritis viris, et quidem mercatoribus, jam satis superque sunt indagatae: hi tamen viri laetum nobis conspectum quoque praebuerunt, nunc alias, hasque novas, mercaturae patere vias (15).

Quo

(15) Sufficit citare opus eximium. Mercatoris Ouwerkerk

Quo magis vero hanc querelam justam esse vobis persuasum est, eo magis gaudeatis vos oportet, alterum publicae salutis fontem summam acquisivisse amplitudinem, cujus quidem rivuli tutiores, minusque rerum vicissitudini sunt expositi, quibus arescere possent. Quis enim non mecum maximo afficitur gaudio, etiam praeter mercaturam multis millibus manuum vias esse apertas, easque in posterum posse augeri, quibus sibi suisque prospiciant, suamque copiam cum aliis communicent. Haecce autem tam ampla Agricultura quas opportunitates dat, quibus languenti mercaturae novum alimentum praeberi possit?

Estque adeo praesens nostrae patriae status, qui summopere Agriculturae progressibus faveat. Quid enim non expectandum, cum Agricultura et Mercatura, illi duo praecipui publicae salutis fontes, ambo tam insignes, tam ampli, in eodem regno tam

ami-

kerk de Vries, *over de oorzaken van het verval des Nederlandschen handels en de middelen tot herstel of uitbreiding van denzelven.*

amice conjungantur; ambo tanta cum cura, tanto cum studio, tractentur, ut plane incertum sit, utri magis faveatur, utri major industria adhibeatur? Utrique vero nunc tam feliciter accedit et jungitur infinita fabricarum multitudo et permagnus numerus praestantium artificiorum. Quod alteri regni parti deerat, ab altera jam largiter et copiose affertur: *alteram alteri ergo plurimum jam debere, quis neget?* Quin imo, *ne me vanae* jactantiae et magniloquentiae accusetis, si in nostro regno cum potentissima Anglia quandam convenientiam me videre dixero, ubi omnes illae publicae salutis promovendae rationes ad summum pervenerunt fastigium, quae etiam nunc apud nos summi momenti sunt factae; apud nos inquam, qui, cum in media Europa habitemus, omnes hos salutis fontes tempore magis magisque aperire et amplificare possumus.

Quod ut fiat, nonne efficacissimum adjumentum optimi nostri Regis, prudentium nostrorum Legislatorum, omniumque, qui rebus, ad universi populi salutem spectantibus, praesunt, merito sperare nobis licet?

Non

Non est amplius unica summa res, quae maximam eorum curam meretur: sunt aliae etiam res, quae eandem magnam curam suo quidem jure sibi postulant. Agricultura ergo in posterum non inanem spem fovebit, qua variis in rebus succurratur. Hae autem res, quaenam sint praecipuae, ut vobis quasdam breviter exponam, a me adhuc exspectare videmini.

Quum invectio aut exportatio fructuum aut impositis vectigalibus aggravatur, aut diminutis allevatur, nonne Agricultura tunc, sua jura ut valeant, postulare potest, modo aliis publicae salutis fontibus ne noceatur? Nonne desertarum et incultarum terrarum multitudo: sunt enim, animadvertite A. H., duodecies centena millia jugerum Neerlandicorum, quorum quarta pars tantum in Meridionalibus, ceterae in Septentrionalibus provinciis sunt sitae (16); nonne inquam hae ter-

(16) Hoc patet ex accurata disquisitione, a Viris instituta, qui hunc in finem electi fuerunt a Viro amplissimo Falcq, internis rebus regni praefecto, qui quidem viri hanc disquisitionem jam Anno 1824. tradiderunt.

terrae, ad quas excolendas vel conserendas, jam triginta annos, leges et incitamenta varii generis fuerunt proposita, flagitant novas leges et decreta, quae jam diu concepta *sunt*? Nonne decumae, quae tam ingrato modo solum in Septentrionalibus provinciis a frugibus exiguntur, benigna lege statui posset, ut sine decumani damno redimerentur?

Lumen, quod in tribus Septentrionalibus Academiis ab Oeconomiae ruralis Professoribus dispergitur, quodque multi inviti spargi vident; num in omnibus Meridionalibus Academiis minus merebatur accendi, ubi in aliarum humanae industriae artium usum tanto cum fructu Professores sunt electi? Bruxellis, benigno Rege et urbis Magistratu juvantibus, utilissima Societas Horticulturae et Pomologiae cum amplissimo horto, ad pericula his de rebus facienda, est instituta; sed num agricultio et res pecuaria minus desiderant, ut cum maxime perfectis instrumentis in singularibus fundis de optima agros excolendi ratione pericula fiant, et ut optima diversi pecoris procreatio, nutritio et pastio, exemplis probentur?

D Quum

Quum in Meridionalibus provinciis millia agrorum jam perparum proferant, quia juniperi aliorumque liquorum inebriantium coctores, qui ubique in vicis esse solebant, nimiis pressi vectigalibus et tributis, in suo artificio pergere haud possunt, unde alioquin antea satis pecoris aderat ad omnium horum agrorum fertilitatem augendam: nonne illa imposita vectigalia erant diminuenda?

Sed A. H. haec jam sufficient. Quomodo nostra Agricultura ad majus fastigium per totam Neerlandiam evehi possit, pro viribus, quae quidem quam sint exiguae, plane sentio, hac mea oratione breviter indicare studui, quo clarius vobis patesceret, conjunctionem Batavorum et Belgarum ad unum populum, sub Rege nostro optimo, Gulielmo I, ad hunc optatum finem obtinendum, summas dedisse opportunitates.

Tempus jam monet, ut ad ea transeam, ad quae me vocat festa diei natalis Academiae celebratio: qui dies, ut huic Musarum sedi felix sit atque fortunatus, vehementer opto!

Dum animo volvo, quae acciderunt prospera, est omnino quod laetemur, salvam esse Academiam; salvum esse Regem; salvos *Curatores amplissimos. Primum Academiae* gratulor, Curatoris locum, qui morte viri nobilissimi SPAEN VAN BILJOEN vacaret, tam digne a te, VAN DER BORCH, toparcha in *Verwolde*, vir nobilissime! occupatum esse. — Me ab hujus seculi initio usque in hunc diem in emendanda et amplificanda re rustica in nostra patria tecum una laborasse, mihi magno honori et summae voluptati fuit. Quantum vero in ea profeceris, probant scripta publice edita, nec minus conspicua sunt ardor et studium, quae adspicere mihi saepius licuit. Tu certe, dignitate insignis, semper id egisti, ut quam plurimum agriculturae prodesses; sed non minus nota sunt mihi tua in literas doctrinasque merita, quibus tanto cum splendore locum jam occupa-

 tum

tum tenes. Magno in pretio semper tibi fuit nostra Academia, quia in ea in literas doctrinasque incubuisti, eo felici cum successu, ut summa cum gloria juris utriusque doctoratus honorem, more majorum, sis consecutus. — Quam tuto ergo confidere possumus, te, vir nobilissime! cunctis viribus res nostrae Academiae adjuvare, esse conaturum. Quod ut fiat, adsit benignissime tibi omnibus in rebus Deus Optimus Maximus!

Si togatum huncce ordinem intueor, eosdem clarissimos viros, qui ineunte meo magistratu, nostram Academiam ornabant, in hunc usque diem salvos esse, mecum omnes boni laetantur. Quodsi tristia fata cogitamus, quae etiamnunc collegam nostrum, clarissimum Heyligers, premant, animi morbo graviter laborantem, dolemus sane, eum per totum annum munere suo fungi non potuisse. Ut vero quam primum ad priorem, tam corporis quam mentis sanitatem redeat, faxit Deus, cum in ipsius et Academiae commodum, tum etiam conjugis liberorumque, commiseratione dignissimorum.

Tibi autem, clarissime Lidth de Jeude! col-

collega aestumatissime! ordinariam Matheseos et Philosophiae naturalis in hac Musarum sede cathedram ex animo gratulor. Tua merita tam in Anatomia comparata, quam in Zoologia, antea in Harderovicensi et in hac nostra Academia jam nota erant. Praeterea schola veterinaria, in qua a tempore, quo aperta fuit, easdem disciplinas tanto *cum fructu doces, quid Academia porro etiam a te spectare possit, testis esse potest.* Perge etiam tuam provinciam magna cum gloria obire, ad quod sanitas et vires tibi assiduo abunde adsint, etiam atque etiam velim.

Non tantum officium, sed magis etiam animus me vocat, ut tibi, clarissime VAN HEUSDE! gratuler, qui hoc anno quadrantem seculi impleveris, in hac Academia literas Graecas et Historiam docendo consumtum; imo vero gratulamur Academiae, quae ex tua eruditione et eleganti Literarum humaniorum studio novos *laetos sibi* sperat fructus.

Quod ad Academiae conditionem attinet, ejus gloria et splendor, quae praecipue posterioribus annis sibi conciliavit, nullum detrimentum ceperunt. Alumnorum numerus

mi-

minime est imminutus, et vero in ordine Medicorum admodum auctus. — Huic autem assiduo splendori haud parum profuit animi integritas et amicitia, quae inter nos, Collegae carissimi! maxime intercedit, quae quidem imprimis apparuit in Senatus deliberationibus de quaestionibus, ad universam Academiarum rem spectantibus, ex augustissimi Regis auctoritate nobis propositis.

Quamquam enim in his quaestionibus agebantur res summae subtilitatis atque difficillimae responsu, quae cum professoribus singulis, tum professorum ordinibus summi essent momenti; interdum etiam de unius, vel nonnullorum commodis, quae aliorum utilitatibus opposita videbantur, deliberatio institui debuit: attamen A. H. in sedecim Senatus concessibus ad omnes has quaestiones responsum fuit, salva non solum cujusque sententia, sed etiam salva necessitudine, quae nos omnes tam dulci vinculo conjungit. Etenim deliberationum summa, quae nostris continetur responsis, satis superque ostendit, nos eo, quo dixi, sensu et animo inter nos affectos esse debuisse.

Haec

Haec vero commemoranti, admodum gaudeo mihi opportunitatem sponte quasi offerri, tibi clarissime SUERMAN! Senatus nomine, maximas agendi gratias. Hoc enim vos a me prorsus dubio exspectatis, Collegae! et vero jure vestro postulatis et flagitatis etiam. Tua enim solertia tuoque acumine factum, ut nostrae sententiae tam accurate, concinne atque perspicue *conceptae et expositae sint.* Itaque si quid nostra argumenta *valebunt*, apud quos de his deliberare a Rege datum est, hocce praecipue tibi simus relaturi.

Ad vos mea se convertit oratio, optimi juvenes! Placidus atque omnino quietus meus fuit magistratus: quamquam enim plures quam quingenti in hac Academia, literis doctrinisque operam datis, neminem saltem ad me accire coactus fui, ut de neglecto officio civis Academici admonerem, quae sane recordatio ejus suavissima semper erit animo meo. Pergite ita: vestro atque vestrae Academiae honori et dignitati maxime inservietis.

Nec silentio, ornatissimi juvenes! hic praetermitto, quod laetus recordor, vestram humanitatem in pauperum doloribus et aerumnis

nis levandis collocatam. Dum magna erat proximae hyemis violentia, plurimi sponte sua et insigni cum misericordia, haud parum ad nutriendos et recreandos egentes contulerunt. Pergite sic et ingenium variis doctrinis excolere, et animum egregiis virtutibus nobilitare.

Porro in omni disciplinarum genere plurimi egregios fecerunt progressus, quorum praeclara edita sunt specimina. Quantum vero hi variis in disciplinis profecerint, cum illi docebunt, qui hic adsunt, ut bene meritis mox ornentur laborum praemiis; tum docuerunt illi, qui similia in aliis Belgii Academiis reportaverunt: etenim in Groningana a Theologorum ordine A. H. VAN DER HOEVE; in Gandavensi a Medicorum ordine ISAACUS VAN LIER, Elizae filius, palmam aliis praeripuerunt.

Non exiguus est numerus hujus Academiae Alumnorum, qui immatura morte nobis sunt erepti: sex enim et quidem e Theologorum ordine quatuor H. E. FAURE, D. B. KETZ, E. BRAVE et G. L. WESSELS; ex ordine Juris consultorum J. E. PESTERS et ex Medicorum or-

ordine C. G. WEISS. Horum igitur carissimorum capitum, aetatis flore exstinctorum, jacturam, Ecclesiae ceterarumque disciplinarum causa omnino est quod doleamus. Ego vero nonne Hos lugeam lacrymisque prosequar, cum in defunctorum numero carissimum Filium WILHELMUM PETRUM recensere debeam; qui, hac Academia vix septem hebdomades relicta, *hoc anno dignus fuisset habitus, ut Amstelodami ex Seminario Teleiobaptistarum*, verbi divini Minister dimitteretur, ad quod munus per sex annos in hac Musarum sede variis doctrinis se accinxerat. Vos Magistri, ab eo maximi aestimati! vos carissimi ei commilitiones, et vos ceteri ejus amici! vos inquam eum novistis et magni facere solebatis, ob insignes animi et ingenii dotes, estque has ob causas, cur tanta cum animi tranquillitate, coelum intuens, exclamare possim: Deus eum mihi dederat, Deus eum mihi ademit: sit nomen Dei laudatum!

Plura sunt a me commemoranda, quae per annum magistratus mei, et ad doctrinarum stu-

studia adjuvanda, et ad tuendam hujus Academiae gloriam avitam, imprimis videntur pertinere.

Bibliothecae Academicae, quo felicior usus sit, requiritur etiam nunc catalogus typis expressus. Hujus autem initium jam factum est ordine alphabetico et fore speramus, ut biennio absolvatur. Caeterum vir doctissimus DODT, cujus curae hoc negotium inprimis commissum est, edere parat librorum notitiam, qui saeculo XV typis mandati, Bibliothecâ nostrâ haud exiguo numero continentur.

Museum Mineralogicum speciminibus, praesertim ad geognosiam pertinentibus, continuo augetur.

Laboratorium chemicum, quantum subsidia permittunt, ita instrui pergit, ut docendae amplissimi ambitus doctrinae et arti aptum exsistat.

Specierum congeries, quae ad Anatomem comparatam spectant, conjuncta fuit cum collectione Zoologica, quem in finem transitio pervia domus, quae nostratibus Statenkamer dicitur, ad collocanda exempla, quae inter cetera exponi haud poterant, apto mo-

do

do fuit instructa. Optime meritus Professor LIDTH DE JEUDE, pulcherrimas itemque rarissimas aves ex India orientali, ex Brasilia et Promontorio bonae spei, ad hanc collectionem augendam emit, speratque fore, ut denuo majore pecuniae summa adjutus, plura alia acquirere possit.

Clarissimus de FREMERY rursus aliquot *speciosissimas septentrionales* aves pretiosae rerum naturalium collectioni donavit, pro quo illi, ut par est, magnae habentur gratiae.

Hortus academicus optime se habet, quamquam non sine causa metuamus, ne nonnullae plantae gravissimo frigore interierint. Rursus plurimae commutationes diversarum plantarum seminumque cum aliis Academicis hortis, tam intra, quam extra patriam effecerunt, ut plantarum copia maximopere sit aucta. Imprimis memorari meretur, hortum ad tropicas plantas alendas, jam multo aptiorem esse redditum, quia duo vitiosa et caduca tepidaria omnino renovata sunt et quoque conjuncta cum contiguo caldario, ita ut unum locum modo constituant, cujus longitudo est triginta quatuor ulnarum cum dimi-

midia; altitudo sex cum dimidia ulnarum Neerlandicarum: hocce autem caldarium in Anglorum exemplum vitris est instructum, solis radios usque in superiorem ejus partem admittentibus, ita ut noster hortus ceteros in regno praestantia et utilitate aequiparet.

Utinam etiam Oeconomiae ruralis disciplinam aliquid incrementi accepisse, jam mentionem facere possem. In Lugduno-batava et Groningana Academiis hortum oeconomicum reperiri et instrumentorum ruralium collectionem, vos A. H. nostis. Ex hoc loco diei natalis tempore saepius votum audivistis, in hac Academia ad rei rusticae disciplinam magis magisque promovendam, haec eadem etiam admodum esse necessaria; sed in hunc usque diem vota fuerunt irrita, frustra haec fuerunt rogata.

Omnia Musei anatomici Academici specimina bene servata supersunt, et praeterea accesserunt hoc anno duo specimina pathologica rarissima; alterum infantis novem annorum, ingenti hydrocephalo defuncti, quod sumtibus Academiae emptum et cura Clarissimi viri Schroeder van der Kolk egregie praepara-

ra-

ratum est; alterum hominis adulti, diversis spinae curvaturis insigne, quod diligentia dexterrimi Prosectoris Koning, in nitidum sceletum redactum et liberaliter Museo dono datum est.

Nosocomium Academicum, aucto hoc anno lectulorum numero, egregiam dedit Medicinae studiosis opportunitatem, in selectis aegrotis *decursum morborum et effectum remediorum observandi*, atque in affectionibus, arte docta superioribus, causam mortis in cadaveribus perscrutandi: insuper vires naturae in absolvendo partu naturali et auxilia artis in moderandis ejus aberrationibus cognoscendi et prudenter adhibendi.

In Clinico chirurgico haud exiguus fuit aegrotantium numerus, magnique momenti fuerunt casus ibi tractati, ita ut etiam haec institutio juvenum nostrorum studiis maxime inserviret.

Et nunc tandem aggredior gratissimum et solemne munus, ut vobis, juvenes egregii! qui in certamine literario praeclara vestrae eru-

eruditionis specimina dedistis, nomine Regis, praemia tradam. Vobis autem non minus gratum erit, quam Auditoribus, honorifica audire judicia, quae de vestris scriptis tulerunt ordinum Professores.

Ordo Matheseos et Philosophiae naturalis nulla ad quaestiones propositas recepit responsa.

Judicium ordinis Theologorum his verbis scriptum est.

Ordo Theologorum unam accepit commentationem ad propositam praecedenti anno Quaestionem: « Probetur, doctrinam Christi-« anam, cum sanae rationis de Deo rebus-« que divinis decreta pure traderet, divina « auctoritate confirmaret, varia ratione illus-« traret, ad homines consolandos emendan-« dosque adhiberet, atque ad permultorum « notitiam propagaret; et Theologiae, quae « dicitur, Naturali valde profuisse, et vero « de genere humano, hoc quoque nomi-« ne, optime meruise". — Inscriptam hocce lemmate: Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας

νοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς, κ. τ. λ. Paulus Act. 17: 30. —

In qua quidem commentatione tot tantaque vidit industriae et progressuum in disciplinis theologicis specimina, ut nullus dubitaret ordo, quin perquam digna esset, quae praemium reportaret. Resignata autem, quae disputationi adjuncta erat, schedula, nomen exiit *G.* MOLENKAMP, *Litt. Hum. Cand. et Theol. Stud.* in Academia Rheno-Trajectina; qui, instituta cum eo disquisitione, satis superque auctorem sese probavit.

Judicum ordinis jurisconsultorum ita se habet.

Ad quaestionem, superiori anno propositam, ICtorum ordo quatuor accepit commentationes.

Prima inscripta est verbis articuli 1134 Codicis Civilis.

Universe de pactis recte egit auctor; perspicue et plerumque ex vero praecipuorum scriptorum de proposita quaestione, sententias tradidit et exposuit.

Quid

Quid verius sibi visum sit, id et recte constituit et diligenter enucleavit.

Justum ordinem in commentatione distribuenda observavit, concinnus in argumento tractando, stylo usus bono.

Quapropter Facultas non dubitavit, illius commentationis auctori palmam adjudicare.

Apertis autem schedulis nomen prodiit ARNOLDI CAROLI COSMAN, Jur. Utr. Candidati in Illustri Athenaeo Amstelodamensi, qui, habita cum ipso disquisitione, commentationis auctorem se probavit.

Secunda responsio ad quaestionem hoc habet lemma: quidquid praeter spem eveniat, omne id deputabo esse in lucro.

Hujus quoque commentationis auctor non uno nomine laudandus Facultati videtur. Stylo usus est in conscribenda argumenti philosophici commentatione bono et dictione facili.

Acute porro et perspicue varias variorum Scriptorum sententias declarat et exponit.

Or-

Ordinem secutus non est, quem indicaverat Facultas, quo praesertim factum videtur, ut auctor aliquando parum sibi constet.

Praeterea recessit auctor a quaestionis argumento; noluit enim Facultas, ut investigaretur, an jus et obligatio perfecta, quae dicitur, ex pacto, solo naturae jure, oriantur; verum id rogavit Facultas, ut doceretur, quibus argumentis illi utantur, qui jus ex pacto proficisci censeant, et ut post haec variae scriptorum argumentandi rationes inter se conferrentur.

Dignum vero auctorem esse, qui laudaretur, judicavit Facultas, maxime, quia ipsi palmam fortasse non negasset, si intra justos et sibi per quaestionem constitutos fines stetisset.

Apertis cum venia Auctoris schedulis, nomen exiit HENRICI VAN LOGHEM, Jur. candidati in Academia Lugduno-Batava; cui quoque favit instituta cum ipso disquisitio.

Tertia commentatio inscripta est hisce verbis: audere non dedecet.

Non prorsus reprobanda videtur illa commentatio.

A diligentia laudari potest et rerum copia, quas vero aliquando paulo fusius tractat auctor.

Praecipuorum scriptorum sententias tradidit et universe recte enucleavit.

Conclusiones autem non ubique praemissis respondent. Multa denique in oratione videntur reprehendenda, etiam quae a regulis grammatices recedunt vitia. Igitur priores commentationes huic anteponendas censuit Facultas.

Idem judicavit Facultas de commentatione quarta, his Grotii verbis inscripta: civilis juris mater est ipsa ex consensu obligatio, rell.

Sequitur auctor universe divisionem, ab Ordine ICtorum propositam.

In examinandis scriptorum sententiis non satis accurate procedit; plures solo nomine indicat, quos eandem fovere opinionem affirmat, quorum tamen nonnulli diversam profitentur sententiam. Porro diversas confun-

fundit cum negantium tum affirmantium sententias.

In refutando aliquando levioris ponderis argumentis utitur.

Denique paucis et festinanter quaestionem, quid verius videatur, tractat, confundens quoque quaestionem, a Facultate propositam, cum ea: an sine traditione dominium acquiratur.

Judicium Facultatis Medicae hujusmodi est.

Ad quaestionem a Facultate Medica propositam. « succincte enarrentur praecipua Recentiorum Experimenta Cl. Bell, Magendie, Eschricht, Schöps et Bellingeri de actione nervi Olfactorii, Trigemini et Facialis, nec non de utriusque radicis nervorum spinalium officio, ut denique e disputatis concludatur, quaenam probabiliter sit actio horum nervorum:", duas commentationes accepit Facultas, quarum altera inscripta est titulo: *spes mea timore minor;* cui commentationi illa laus de-

denegari nequit, quod multa industriae, laboris ac doctrinae indicia proferat, tamen neque sermonis perspicuitate, neque argumenti atque conclusionum evidentia satis sese commendavit.

Secunda vero commentatio, inscripta verbis: *Natura nihil frustra fecit, nec quidquam neglexit,* omni numero Facultati placuit, utpote, quod non tantum egregia disserendi ratione, judicii acumine, atque singulari eruditione sese commendet; sed etiam Auctor pluribus experimentis illisque difficillimis, sagaciter institutis, plures quaestiones dubias egregie enucleaverit, et ad magnum probabilitatis gradum perduxisse videatur, quam ob rem hanc commentationem praemio aureo esse condecorandam uno ore declaravit Facultas.

Aperta scedula auctorem esse Gerardum Backer, Medicinae Candidatum in Academia Groningana, intellexit Facultas, qui, instituto examine, ita ad propositas quaestiones respondit, ut nullum dubium superesset, quin hujus commentationis verus esset Auctor.

Ju-

Iudicium ordinis Literarii hujus est argumenti.

Ordo Philosophiae theoreticae et Literarum Humaniorum ad quaestionem superiori anno propositam; « Disputatio de Platonis « Phaedone, qua primum sermones Socratis « cum amicis breviter, sed tamen apte et ex « *dialogi ratione*, *enarrantur*: tum petantur « inde et explicentur, quae ad animi immor- « talitatem probandam prolata sunt argumen- « ta: tandem quae sit eorum argumentorum « in Philosophia theoretica vis et auctoritas, « efficiatur", duas accepit commentationes, quarum altera Plutarchi verba adscripta habens, *καλὸς ὁ ἀγὼν κ. τ. λ.* industriae accurataeque doctrinae laudem inprimis habet. E Phaedone non tantum ipso, sed ex historia Philosophiae argumenta pro immortalitate animorum explicantur et dijudicantur,

Altera, sententiâ distincta: *vitam impendere vero*, quamquam nec ipsa eruditione destituta, magis tamen acumine, elegantia philosophandique sagacitate et diligentia se commendat. Illius forma disputatio est; hujus

jus dialogus, quam rite uterque scriptor servavit. Quum autem in disparibus laudibus, utraque nobis scriptio praemio digna videretur, scriptores invitavimus, qui nomina nobiscum communicarent. Itaque patuit prioris speciminis auctorem esse:

Isaacum de Vuller, Phil. Theor. et Litt. Hum. in Acad. Rheno-Traj. Candidatum.

Posterioris, Arnoldum Janum van Beeck Calkoen, Phil. Theor. Litt. Hum. et Juris in Acad. Rheno-Trajectina Candidatum.

Quorum illi proemium sortibus evenit.

Audita sunt testimonia: jam merita, optimi Juvenes! accipiatis praemia.

Primo igitur accedas, ornatissime Molenkamp! tu, qui anno praecedenti in quaestione literaria, ex arena decedebas duobus proximus victoribus: jam honoribus auctus, ipse victor exstitisti.

Me autem tibi hocce praemium tribuere posse, imprimis laetor, quippe etiam mihi caris,

rissimus fueris discipulus in schola Oeconomiae ruralis, ubi sive in audiendo, sive in respondendo, semper adesse solebas. Tu ergo rursus tuo exemplo probas, illam in disciplina oeconomica assiduitatem, tibi in praecipuis doctrinis Theologicis addiscendis non obfuisse, nec te prohibuisse, quo minus duobus annis continuis in certamen descendere posses. — *Ut mihi, sic ceteris tuis Magistris, strenuus et diligens fuisti discipulus*, et Collegae mei ex Ordine theologico mihi affirmarunt, te per illud tempus, quo specimina scripseris, ne unam quidem omisisse lectionem. — Tuo specimine probasti, quid in theologicis praestare possis: ita pergas, et sicut nunc Academiae decori es, sic aliquando Theologorum ordini sis ornamento.

Deinde te huc evoco, ornatissime A. C. Cosman! Tu tribus commilitonibus palmam eripuisti. Accipe praemium, quod Regia munificentia omnium Academiarum et Athenaeorum alumnis, in certamine honorifico victoribus, decernit, sitque illud tibi stimulo, quo incitatus Disciplinis Jurisconsultorum magis magisque studium adhibeas,

et

et tibi et Patriae olim utilissimum futurum.

Jam accede ornat., VAN LOGHEM! omnes, qui hoc loco sunt presentes, audiverunt, quid de tua scriptione existimaverit Facultas Juridica. Dignus ergo judicatus, qui praemio ornarere. Accipe, quod per legem tibi licuit decernere. Hoc documentum non tantum studiorum bene institutorum tibi sit monumentum perpetuum, verum simul et egregium incitamentum, ad eandem indefessi laboris viam in utilissimo munere continenter sequendam.

Jam huc adesto, praestantissime BACKER! Tibi de victoria, quam reportasti, toto animo gratulor. Accipe praemium insignis tuae in arte medica peritiae documentum: quid addere possem ad laudes, quibus hanc tuam commentationem cumulavit Medicorum ordo. Floreat Academia Groningana, quae praeclara haec specimina exhibet.

Vos igitur ornatissimi DE VULLER et VAN BEECK CALKOEN! ambo huc simul escendite, qui de gravissimo argumento ita disputastis, ut Judices vestri, Viri clarissimi,

utrius-

utriusque commentationem proposito praemio dignam censentes, sorte potius quam suffragiis illud alterutri adjudicare voluerunt; quae cum tibi faverit, ornatissime DE VULLER! aureum praemium Regis nomine accipe. Ut vero luculenter constaret, te, ornatissime VAN BEECK CALKOEN! non nisi sorte praemio destitutum esse, quod te quoque meruisse *audivimus*, hoc tibi *instrumentum*, honorificum ordinis Literarii Judicium continens, praemii instar trado, utrumque autem victorem proclamo, sperans fore, ut in posterum Fortuna utrique faveat, sed magis etiam ut virtute vestra et meritis ambo sitis conspicui!

Vix praemia distribui, et ecce novorum reportandorum omnibus iterum offertur opportunitas. Quaestiones legam, quae in annum sequentem certaminis causa indicantur.

QUAESTIO THEOLOGICA.

Quaenam fuit Hierarchiae Romanae, medio seculo XI, ante Gregorium VII, conditio

sedem, quae tua deinceps futura sit. Honorifico tuo munere tam feliciter fungere, ut illud depositurus, tu quoque eadem, quae ego hodie, profiteri possis, fasces academicas nullam habuisse molestiam et, te Rectore, Academiam Rheno-Trajectinam laete floruisse.

Peractis igitur, quae mihi hoc die erant peragenda, Tibi precor, sanctissimum Dei Numen! commendata sit atque permaneat Academiae nostrae salus. Tuo favore et auxilio, quaecunque in ipsa fiant, ad vere bonum et honestum dirigantur. Ita Tua fiat voluntas!

ERRATA.

Pag. 4 nota in fine, ausipcarer *lege* auspicarer.
— 15 lin. 11 excollendo *lege* excolendo

GERARDI MOLENKAMP,
THEOL. STUD. IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

COMMENTATIO,

QUA RESPONDETUR

AD

QUAESTIONEM THEOLOGICAM,

IN

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

PROPOSITAM ANNO MDCCCXXVIII:

Probetur, doctrinam Christianam, cum sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta pure traderet, divina auctoritate confirmaret, varia ratione illustraret, ad homines consolandos emendandosque adhiberet, atque ad permultorum notitiam propagaret; et Theologiae, quae dicitur, Naturali valde profuisse, et vero de genere humano, hoc quoque nomine, optime meruisse.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

DIE XXVI M. MARTII ANNI MDCCCXXIX.

CONSPECTUS.

ARGUMENTI EXPOSITIO.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS DE DEO REBUSQUE DIVINIS DECRETA PURE TRADIDIT; DIVINA AUCTORITATE CONFIRMAVIT; VARIA RATIONE ILLUSTRAVIT; AD HOMINES CONSOLANDOS EMENDANDOSQUE ADHIBUIT; TANDEM AD PERMULTORUM NOTITIAM PROPAGAVIT.

SEC-

SECTIO I.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS, DECRETA PURE TRADIDIT.

A. *Religionis conditio tempore Jesu et Apostolorum.*

SEC-

(*) Ita legendum pro §. 5 quod pag. 20 per errorem irrepsit.

SECTIO II.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS, DECRETA DIVINA AUCTORITATE CONFIRMAVIT.

SECTIO III.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS, DECRETA VARIA RATIONE ILLUSTRAVIT.

SECTIO IV.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS, DECRETA AD HOMINES CONSOLANDOS EMENDANDOSQUE ADHIBUIT.

SEC-

SECTIO. V.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS, DECRETA AD PERMULTORUM NOTITIAM PROPAGAVIT.

Pag.

ARGUMENTI CONCLUSIO.

DOCTRINA CHRISTIANA ET THEOLOGIAE, QUAE DICITUR, NATURALI VALDE PROFUIT, ET VERO DE GENERE HUMANO, HOC QUOQUE NOMINE, OPTIME MERUIT.

SECTIO I.

DOCTRINA CHRISTIANA THEOLOGIAE, QUAE DICITUR, NATURALI VALDE PROFUIT.

mu-

SECTIO II.

DOCTRINA CHRISTIANA NON TANTUM THEOLOGIAE, QUAE DICITUR, NATURALI VALDE PROFUIT; VERUM DE GENERE HUMANO, HOC QUOQUE NOMINE, OPTIME MERUIT.

EXOR-

GERARDI MOLENKAMP,

THEOL. STUD. IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

COMMENTATIO,

QUA RESPONDETUR

AD

QUAESTIONEM THEOLOGICAM,

IN

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

PROPOSITAM ANNO MDCCCXXVIII:

Probetur, doctrinam Christianam, cum sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta pure traderet, divina auctoritate confirmaret, varia ratione illustraret, ad homines consolandos emendandosque adhiberet, atque ad permultorum notitiam propagaret; et Theologiae, quae dicitur, Naturali valde profuisse, et vero de genere humano, hoc quoque nomine, optime meruisse.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

DIE XXVI M. MARTII ANNI MDCCCXXIX.

EXORDIUM.

Doctrinae Christianae praestantia varia ratione diversique generis argumentis probari potest. Quaecunque enim vel de hujus doctrinae indole novimus, vel de divinae auctoritatis, quibus comprobata est, notis, vel de indole moribusque eorum, qui primi hanc propagarunt, vel de salutaribus, quos habuit illa, cum in singulos homines tum in universas gentes, effectibus; haec aliaque plura ita sunt comparata, ut aequum quemlibet rerum arbitrum sponte impellant, ut ejus admiretur, praedicet celebretque praestantiam. Quaecunque olim religionis formulae philosophicaeve doctrinae exstiterint, hae, si vel multa forte bona contineant, doctrinae tamen Christianae luce prorsus obscurantur. Quae enim est religionis doctrina vel philosophia, quae tanta un-

quam ſimplicitate gravisſimas res docuerit homines, quae tam arcte doctrinas theoreticas cum morum doctrina conjunxerit; quae a tam praeclaris propagata ſit viris, qui quidem cuncti ab omni morum impuritate, quin et omni fanatismo tam immunes esſent? Quae est, inquam, religionis doctrina vel philoſophia, quae tam gravia unquam afferre potuerit documenta, quibus ſe a Deo ipſo profectam probaret, quae denique tam ſalutares longe lateque effectus habuerit? Hanc vero laudem doctrinae Christianae ſummo jure vindicamus. Socrates ne unam quidem Athenarum urbem pura Dei doctrina imbuere potuit. Jeſus et Apostoli, ubicumque ſuam propagarunt doctrinam, ibidem idololatriam ac ſuperſtitionem profligarunt planisſime. Quin imo eorum doctrina ſemper omnium, qui illam unquam amplexi ſunt, hominum animos ſuavisſimo erexit ſolatio, veraeque felicitatis participes reddidit. In univerſis populis humanitatem propagavit, omniaque illa, quae barbariem redolerent, inſtituta vel abrogavit prorſus vel certe compeſcuit. Pesſimis adeo temporibus plura emolumenta attulit, quam ulla unquam antiquorum attulerat philoſophia. (1)

In

(1) Vidd Muntinghé, *Geſch. der Menschh.*, Tom. X. p. 194 ſeqq. Paley, *Bewijzen voor het Christend.*, P. II. pag. 307 ſeqq. Garve, *Oordeelk. beſchouw. van de ſtelſels van Zedek.*, pag. 134. Valk, *aanwijzing tot* al

In his autem, quae hanc doctrinae Christianae praestantiam evincunt, argumentis merito illud censetur, quod ab eorum, quae Christus et Apostoli *docuerunt* (1), veritate, utilitate, salubritate ducitur. Quam multa enim, et apud praestantissimos, qui olim exstiterunt, philosophos, falsa cum veris commixta deprehendimus! quam inani ratione multa proposita reperimus, quae, ut disputandi subtilitatem exerceant, valere possint, quae vero, ut hominum animos consolentur et emendent, vim habeant nullam! Verum doctrina Christiana tantum abest, ut his laboret vitiis, ut potius cum nullis errorum maculis inquinata sit, tum vero omnia conferat ad veram hominum salutem promovendam.

Haec vero cum ita sint, quis est, qui non eorum praedicet conamina, qui unquam in hac doctrinae Christianae praestantia exponenda, tuenda, vindicanda vires consumserint? Ergo eximium horum exemplum me excitavit, ut, si quae mihi sint vires, quae sentio quam exiguae sint, has omnes intenderem, ut qualicunque tandem ra-

al het goede betrekkelijk eene Godsdienstleer in de Stelsels der Wijsg. enz., in Novis Opp. Soc. Haganae 1812. pag. 2, 259-262. Conferantur, quae infra in argumenti conclusione attulimus.

(1) Eorum, quae Christus et Apostoli *praeceperunt*, nulla in nostra commentatione ratio habenda est; quamquam et his eandem merito tribuamus praestantiam.

ratione ſolverem quaestionem ſupra indicatam, quae de *doctrinae Christianae in Theologiam, quae dicitur, Naturalem meritis quaerit.* — Quam hinc in me redundaturam utilitatem videbam, hanc jam per ſe laboris ſuſcepti mercedem fore arbitratus ſum.

Quid autem effecerim, Veſtrum est dijudicare, Viri Clarisſimi! Quam parum aptus ſim ad rite omnia exponenda, perſentisco. Veſtra in judicando indulgentia nitor, quae et mea non aegre ferat conamina, etiamſi illa forte minus prospere cesſerint.

Quo accuratius nostra inſtituatur disputatio; quid agendum, quaeque hac in re norma ſequenda videatur, continuo exponendum est.

Quae Christus et Apostoli docuerunt, duplicis illa ſunt generis, *vel* talia, quae huic doctrinae *propria* ac *priva* ſunt; (cujusmodi ſunt, quae de Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto; de Jeſu Christo, Conſervatore nostro; de Spiritus Sancti auxilio in emendandis hominibus ſimilibusque rebus docuerunt) *vel* talia, quae huic doctrinae cum Theologia Naturali communia ſunt.

Posteriora haec unice a nobis ſpectanda ſunt. Complectuntur illa ſanae rationis de Deo rebusque divinis decreta, id est, *quae ſana ratio aut docet, aut certe probare potest, de Dei vita ac perfectioni-*

bus,

bus; de mundo ab Ipso condito; de provida cura, qua et omnia alia curat et nostros quoque animos conservat; de regimine denique, quo totum mundum singulasque ejus partes complectitur.

Videndum nobis est, quomodo haec rationis decreta tractaverint ac propagaverint Jesus Christus et Apostoli.

Quo melius vero eorum hac in re merita cognoscantur; non tantum videndum nobis est, quid illi ipsi praestiterint, verum etiam quomodo alii ante eos hic versati sint. Quum enim, quantum id pro nostri instituti ratione licet, observaverimus, quam impure rationis de Deo rebusque divinis decreta Jesu et Apostolorum tempore traderentur; quam infirmo multorum placita niterentur fundamento; quam multa in his desiderarentur; quam parum ea ad hominum consolationem atque emendationem adhiberentur; quamque arctis eorum notitia contineretur limitibus; his comparantes, quae docuerunt Jesus et Apostoli, eo magis horum cognoscemus ac praedicabimus hac in re merita.

Hunc ordinem, utpote simplicissimum nobis visum, sequi lubet, ut *primum* ipsum quaestionis argumentum exponamus; *deinde* vero ex dictis efficiamus, quae Jesu et Apostolorum cum in Theologiam, quae dicitur, Naturalem, tum vero, hoc quoque nomine, in genus humanum merita fuerint.

In nostra argumenti expositione, quinque, per ipsam

quaes-

quaestionis naturam, adsunt sectiones, quarum *prima*, doctrinam Christianam sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta pure tradidisse, probat; *altera*, hanc ea divinâ auctoritate confirmasse, ostendit; *tertia*, eandem variâ ratione illa illustrasse, exponit; *quarta*, quomodo haec illa ad homines consolandos et emendandos adhibuerit, inquirit; *quinta* denique, hanc ea ad permultorum notitiam propagasse, docet.

Argumenti conclusio breviter erit informanda; plura enim hoc loco vel prorsus omitti poterunt vel obiter tantum moneri; quae nimirum in argumenti expositione data opportunitate jam a nobis fuerint explicita.

AR-

ARGUMENTI EXPOSITIO.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS DE DEO REBUSQUE DIVINIS DECRETA PURE TRADIDIT; DIVINA AUCTORITATE CONFIRMAVIT; VARIA RATIONE ILLUSTRAVIT; AD HOMINES CONSOLANDOS EMENDANDOSQUE ADHIBUIT; TANDEM AD PERMULTORUM NOTITIAM PROPAGAVIT.

SECTIO I.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS DE DEO REBUSQUE DIVINIS DECRETA PURE TRADIDIT.

A. *Religionis conditio tempore Jesu et Apostolorum.*

§. 1. *Religionis apud gentes conditio.*

Perversam me dicere religionis, Jesu tempore, apud gentes conditionem, nemo improbabit, qui vel exiguam hujus rei notitiam sibi contraxerit. Hoc ita manifestum est, ut ipsi religionis nostrae adversarii, qui

qui, in hujus detrimentum, apud exteros nulla non extollant, inficiari nequeant, magnam certe plebis partem in gentibus eam habuisse religionem, quam nemo non, meliora edoctus, ex animo detestetur et improbet. Quid enim? An non haec improbanda religio, quae Creatoris gloriam quibusvis rebus creatis impertiat? Quibusvis naturae visis, soli sideribusque, maribus ac fluviis, animalibus adeo vilissimis, hominibus defunctis, qui aequalium sibi laudes comparaverant, imaginibus, quae Deos repraesentare censebantur, quin imo omnis generis virtutibus vitiisque, vana superstitio eum honorem concessit, qui debetur uni Illi, qui omnia potentissima sua voluntate creavit eaque conservat. Divino adeo cultu res eas prosecuti sunt, quarum cultus non valeat, nisi ad excitandam turpem libidinem.

Neque adeo mirum, proprietates, quas fictis his tribuerint diis, omni divina natura plane esse indignas. Novimus quidem, Poëtas interdum de suis diis ea praedicare, quae Deo optimo maximo tribuere nullus dubitet. At vero quis ignorat, haec esse rariora? quis non item haec ceteris, quas addant, rebus inanibus plane obscurari intelligit? Quamquam enim apud Graecos Romanosque Jovi interdum summa quaeque tributa videas; evanescunt haec omnia, si ejusdem, humana ratione agentis, humanis quibusque vitiis inquinati, alibi descriptionem reperias. Ni-

mi-

mirum populi universe ea suis diis tribuerunt praeclara, quibus ipsi excellerent, sed et pariter ea vitia, quibus ipsi laborarent.

Tantum autem aberat, ut Deum omnia regentem cogitaverint, ut potius singulis populis singulos tribuerint deos tutelares. Quae vero prodiderunt de regimine, quo dii complecterentur res humanas, haec qualia fuerint, nemo non ex dictis satis jam intelligit. Quae enim notio informatur *deorum, qui nec per se omnia perficere valeant*, nec *sibi invicem consentiant*, neque vero ipsi morum honestorum justam rationem habeant; haec quidem sapientis, justae benignaeque providentiae notioni prorsus adversatur.

Nec melior fuit, quam de vita futura commendarunt, doctrina. Constat ea figmentis inanibus multis; et vero ita comparata est, ut quis, qui consueta humanae naturae noverit desideria, facile, vel sine poëtica quadam facultate, similia producere posse videatur.

Quae cum ita sint, profecto gentes meliore, quae iis concederetur, religionis cognitione unice indigebant; idque eo magis, quoniam sacerdotes fere solebant populum externis detinere ceremoniis, eum vero justa quadam divinae naturae notitia imbuere nec poterant, nec volebant.

„ At vero (dicat forte quispiam) quid tu?
„ tune adeo existimas, omnes gentes eandem
„ perversam habuisse religionem? nihilne novisti

„ ue

„ de mysteriis? an ignoras adeo, multos etiam
„ suorum popularium idololatriam esse detestatos;
„ quin imo philosophos longe puriorem doctri-
„ nam docuisse?"

Haec primo adspectu habere videntur, quo se commendent; sed tamen est certum, quid respondeam. Non is ego sum, qui unice pessima omnia in gentibus invenire gestiam, negligam quaecumque bona apud easdem occurrant. Longe alia mihi stat sententia. In omnibus illis, quas apud gentes deprehendo, melioris notae rebus, divinae providentiae curam gratus agnosco. Sed vel sic tamen, salva fide historiae, non haec ita extollo, ut in beneficium, doctrinâ Christianâ nobis concessum, injuriosus sim. Res enim memoratas consideremus paulo accuratius.

Profecto gentes omnes non eadem occupavit idololatria et superstitio. Meliorem, fateor, quam alii populi, religionem retinuerunt diu Persae et Arabes. At vero ab altera tamen parte jure contendere mihi videor, ubivis fere, si Israëlitas exceperis, olim puram Dei doctrinam fuisse magis minusve depravatam. Et vero Romanos, Jesu Apostolorumque tempore, longe lateque suum extendisse imperium suamque simul, quodammodo certe, propagasse religionem video. Hi autem ipsi, quamquam hoc tempore cultissimi, ejusmodi habebant deos, in quos notissima Fenelonis haec verba merito referas: „ Nemo sibi patrem contingere ve-
„ lit,

„ m, tot inquinatum vitiis, ut fuit Jupiter: ne-
„ mo uxorem, ita incommodam atque rixosam, ut
„ Junonem; aut ita lubricam perditamque, ut Ve-
„ nerem; nemo amicum ita ferum, ut Martem;
„ nemo domesticum ita latronem, ut Mercu-
„ rium (1)." Tum vero quae apud eos obtine-
bat superstitio, tantum aberat, ut hoc tempore re-
primeretur, ut potius augeretur et aleretur, quum
Augustus ejusque successores populi repressissent
libertatem. Ut enim deprimit superstitio animum
eumque servituti reddit idoneum; ita tyrannis su-
perstitionem alere solet, qua suam auctoritatem
firmet ac stabiliat. Assumsit hoc tempore Roma
deos plerarumque devictarum gentium, atque in-
cultarum earum rudes superstitiones amplexa est;
conditum est pantheon, ut ne ullus quidem ne-
gligeretur deus.

Mysteriis autem quae laus sit tributa, video.
Novi, quae de iis praedicet Cicero (2). „ Mihi
„ cum multa eximia divinaque videntur Athenae
„ peperisse atque in vitam hominum attulisse,
„ tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex
„ agresti immanique vita exculti ad humanitatem
„ et mitigati sumus. Initiaque ut appellantur,
„ ita revera principia vitae cognovimus, neque
„ sol-

(1) Vid. Turretini *opera omnia*, Tom. I. p. 270.
(2) *De Legg.* II. 14

„solum cum laetitia vivendi rationem accepimus,
„sed etiam cum spe meliore moriendi." — Attamen qualiscunque tandem haec res sit; mysteria numquam valere potuerunt ad universe emendandas hominum notiones; quae enim illic docebantur initiati, haec profanis ac plebi adeo studiose semper sunt abscondita.

Novi etiam, multos popularium suorum detestatos fuisse religionem. Existimem adeo, plures id egisse, quam quos historia memorat. Ipsa enim religionis indoles ita erat comparata, ut non posset non ab hominibus erectioris ingenii improbari. Haec vero quo valent omnia? Qui pauci hi comparandi sint cum millibus illis hominum, qui summo ardore paternam profiterentur ac vindicarent religionem? Ipsi etiam illi, qui popularium improbarent religionem, quid effecerunt, quo ulla ratione doctrinae emendationem instituerent? Multi fere solebant esse homines, qui, quamquam ipsi superstitionem popularium improbarent, hanc tamen non tantum non reprimerent, sed et omnibus viribus sustentarent et alerent, alia ratione populum cohiberi non posse arbitrati. Praestantissimi philosophi in horum fuerunt numero. Plato in iis, quae de religione instituta sint, ne minimam quidem mutationem inducendam, neminemque sanae mentis id umquam susceptururn, statuit. Cicero, ut multa dixerit, quae ad eversionem religionum valeant, illa tamen non vulgo disceptanda dicit, ne susceptas

pu-

publice religiones disputatio talis exstinguat (1).
Fuerunt adeo philosophi, qui, ut qualicunque tandem ratione popularium servarent religionem, ubivis absconditum sensum, in mythis etiam rudissimis, inveniri profiterentur. Haec itaque omnia nullam in populum vim habere poterant, neque ullo adeo modo ad perversam, quae recepta erat, religionem emendandam valuerunt.

Verum longius procedamus atque adeo videamus, an tantis laudibus horum ipsorum efferenda sit doctrina, *qui vulgarem religionem detestati sunt.*

Philosophi, imprimis apud Graecos, multa protulerunt bona. Dei probarunt existentiam, non tantum ex communi hominum assensu, sed etiam ex naturae contemplatione. Dixerunt Deum aeternum, spiritum, omniscium, ubique praesentem, quem nemo usquam effugere possit, justum, bonum, quaeque sunt hujus generis alia. Providam Dei agnoverunt curam, eamque cum ex Dei proprietatibus, tum ex rerum, quae exsisterent, regimine et ordine justo effecerunt. Animorum probarunt immortalitatem, quin censuerunt vitam futuram statum fore, in quo virtutem manerent praemia. Veruntamen longe abest, ut omnes haec ita statuerint. Vix ullus exstitit, qui unus haec omnia simul docuerit. Versati sunt fere omnes in perpetuis de his rebus dubitationibus, cumque ve-

(1) Vid. Turretinus, l. l. pag. 232.

veris falsa commiscuerunt quamplurima. Ne dicam de atheis, qui plane Dei negarent existentiam, quales et exstitisse constat; — Pyrrhonii, quique posterioribus temporibus exstiterunt, Academici, insano ducebantur scepticismo, quo vel plane incerta omnia ponerent, vel unice in aliorum opinionibus refellendis essent occupati, dum ipsi nihil affirmabant. Epicurei ita de diis loquebantur, ut eos nomine servarent, re tollerent. Stoici, quamquam egregia multa professi, ad pantheismum vergebant, quum vel mundum dicerent Deum, vel mundi potius animam, quam habebant πῦρ τεχνικόν. De providentia ita obscure Aristoteles disserit, ut dubium videri possit, an eam agnoverit. — Ipsi illi, qui Deum a mundo distinguebant, et multa de Eo dicebant praeclara, veris dictis multa admiscuerunt inania. Dubitatum est, an ullus unquam exstiterit philosophus, qui, non *supremum* quendam, sed *unum* Deum agnoverit. Nullus materiae mundanae originem a Deo repetiit. Nullus eum docuit divinam providentiam, quae et minimas res omnes complecteretur. De animorum immortalitate tam erant dubii, ut illi, qui vel maxime hanc professi sint, ab omni haesitatione non plane essent vacui.

Digna sunt, quae hoc loco afferantur, verba Ciceronis (1). „ Plerique deos esse dixerunt, du-„ bi-

(1) De *Nat. Deor.* Lib. I. Cap. 1.

„ bitare se Protagoras, nullos esſe omnino Diago-
„ ras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt.
„ Qui vero deos esſe dixerunt, tanta ſunt in varie-
„ tate ac disſenſione, ut eorum moleſtum ſit dinu-
„ merare ſententias. Nam et de ſiguris deorum, et de
„ locis atque ſedibus et actione vitae multa dicun-
„ tur, deque his ſumma philoſophorum disſenſione
„ certatur; quod vero maxime rem cauſſamque con-
„ tinet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni
„ curatione et administratione rerum vacent, an
„ contra ab his et a principio omnia facta et conſti-
„ tuta ſint, et ad infinitum tempus regantur atque
„ moveantur, imprimis magna disſenſio est (1)."

§. 2.

(1) Conferri merentur de toto hoc argumento Gieſeler, *Lèhrbuch der Kirchengeſchichte*, I Band I Per. I Abschnit, Einl §. 9-12. Tholuck, *über das Weſen und den Sittlichen Einfluss des Heidenthums* (*Denkwürdigkeiten aus der Geſchichte des Christenthums und des. Christl. Lebens*, von A. Neander, I Band) Mosheim, *Kerkel. Geſch.* P. I. pag 27 ſeqq. J. M. Schroeckh, *Christl. Kirchengeſch.*, Theil I. p. 375 ſeqq. Leland, *over de nuttigheid en noodzakelijkheid der Openbaring*, P. I. pasſim; Muntinghe, l. l. P. VII. p. 385 ſeqq. Valck, l. l. p. 27-35, 45-56, 60-69, 208-237. Turretinus, l. l. Tom. I. p. 228-232. Brouwer, *of de menſchen immer alleen door hunne eigene rede* enz. in Opp. Soc. Teiler, P. XVI. p. 58-102. Bogue, *Proeve over het gezag van het N. T.* p. 21, 22, 51. Lang, *dat de Natuurlijke Godgeleerdheid geen genoegzaam onderrigt* enz. in Opp Soc. Haganae 1796. p. 15-18.

§. 2. *Religionis apud Judaeos conditio.*

Judaei soli immunes erant ab hac, quam consideravimus, gentium perversitate in religione. Nimirum postquam idololatria et superstitio gentes invasit, Deus unam Israëlitarum gentem elegit, in qua purior servaretur doctrina, donec tempora advenisfent, ad eam cum omnibus communicandam gentibus aptiora.

Ante captivitatem, quae dicitur, Babylonicam, Israëlitae saepenumero perversis aliarum gentium religionibus sese tradiderant. Post hanc vero, calamitatibus edocti, hac labe se non amplius commacularunt. Graves Antiochi Epiphanis persecutiones, et quae moliebatur Herodes, et quod Judaeis erat cum Romanis commercium; haec eos ad peregrina sacra perductura videbantur. Major tamen eorum pars mascule restitit, suamque ab hac contagione integram servavit religionem.

Vel sic tamen Jesu et Apostolorum tempore eorum doctrina variis depravata erat nominibus. Qui extra Palaestinam degebant Judaei, suam cum extera philosophia doctrinam confuderunt. Hoc autem licet non adeo in Palaestinensibus locum habuisse videatur, non tamen prorsus superstitiosae Chaldaeorum opiniones ab iis aberant. Imprimis vero divinae sanctitatis ac benignitatis notitiam maculaverant. Quid enim? An hi justas de Dei sanctitate sibi no-

tio-

tiones informaverant, qui omnem religionem externis ritibus absolvi existimarent; internam vero animi pietatem morumque puritatem prorsus negligerent? Et vero quid divinae benignitati magis adversatur, quam haec eorum opinio, qua Deum sibi unice favere, ceteris vero omnibus infestum esse, existimaront? Tutelam gentis Israëliticae Deus susceperat. Haec peculiari ratione Ejus subjecta erat regimini. Attamen Deus nunquam a Mose vel prophetis is informatus est, qui ceteris omnibus *iratus esset et infestus.* Hoc vero tempore jugi, quo a Romanis premerentur, pertaesi, odio eos persequebantur infestissimo. Quin adeo se filios Abrahami praedicantes, divinum hanc ob caussam favorem sibi competere arbitrati, ceteris hominibus Deum nullum suae benignitatis prodere documentum existimabant.

Quae vero universe obtinebat doctrinae depravatio, hanc non parum auxerunt, quae inter illos hoc tempore viguerunt, Pharisaeorum maxime Sadducaeorumque sectae. — Novimus quae Pharisaeorum fuerit, in ritibus ceremoniisque minusculis observandis, vana sedulitas. Externam tantum spectantes religionem, omnem animi veram emendationem sanctitatemque negligebant; adeoque perverse de Dei existimabant sanctitate, quae nimirum unice animum probat pium integrumque. — Ab altera parte Sadducaei, externam ceremoniarum pompam omnem improbantes, simul gravissimas omnis reli-

gionis doctrinas evertebant. Illud enim, quo suffulcitur nostra virtus, fulcrum destruxerunt, negantes animorum immortalitatem.

Quae harum sectarum vis fuerit, hinc satis intelligitur, quod, Jesu et Apostolorum tempore, plerique Judaei alterutri addicti essent parti (1).

Haec vero cum ita sint, profecto Judaeorum non minus, quam gentium religionis conditio novam, quae spargeretur, lucem flagitabat. Attulit desideratam hanc lucem doctrina, quam Jesus et Apostoli annuntiarunt.

B. *Sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta pure tradiderunt Jesus et Apostoli.*

§. 5. *Praemittuntur nonnullae animadversiones.*

Priusquam ipsam Jesu et Apostolorum doctrinam consideremus, non incommodum videtur, paucas praemittere animadversiones, quae pertineant ad hanc rite dijudicandam.

I. Non de industria illi docuerunt sanae rationis decreta de Deo rebusque divinis, quasi res novae essent. Nam ipsi provocarunt ad sanae rationis dictamen.

II-

(1) Conff. Gieseler, l. l. §. 14, 16. Schroeckh, l. l. p. 400. seqq. Muntinghe, l. l. P. VIII. p. 382-385. Mosheim, l. l. P. I. p. 53 seqq.

Illustre hujus rei praebent documentum plura Pauli Apostoli dicta. Lystrae cum esfet, ibique ipsi ac Barnabae divinum honorem incolae tribuere vellent, homines ab hac re abducere cupiens, eos docuit, unice colendum esse Deum vivum, qui creaverit omnia. Quamquam vero Deum sivisse dicat, gentes praeteritis saeculis suas sequi vias, suas tenere de Deo rebusque divinis opiniones, cum iis non aeque ac Judaeis concesserit Legem et Prophetas; vel sic tamen simul profitetur, Deum, his etiam temporibus, de se testimonia iis esse impertitum, bene facientem coelitus, iis concedentem pluviam et tempora frugifera, iis largientem cibum et laetitiam. Nam fuerant haec divinae indicia benignitatis, quam inde homines, sua usi ratione, discere potuissent (1).

Athenis in Areopago docens, Dei memorat opera, ex quibus homines Eum, orbis terrarum conditorem et rectorem cognoscere, quibusque ad rectam Ejus cognitionem possent pervenire. Ex uno enim sanguine Deus omne genus hominum procreavit, ut in toto terrarum orbe habitaret, cum definierit statuta tempora et terminos habitationis eorum. Hoc vero eum habere debuerat effectum, ut Dominum quaererent, an forte palpando Eum invenirent (2).

Maxime vero in Epistola ad Romanos, ad rationis

(1) Vid. Act. XIV: 15-17. ad quem locum conff. Grotius et Kuinoel, in *Commentariis*.

(2) Vid. Act. XVII. 25-27, ad quem locum conff. iidem.

nis provocat dictamen. Gentibus nullum excusationis dari locum contendit, quasi Dei cognitione caruissent. Hanc scelesta vita impediunt. Verum, quod de Deo cognosci potest, illis manifestum est; Deus enim illis id patefecit: quae enim in sensus non cadunt, nimirum aeterna Ipsius vis et majestas, haec, inde a mundo condito, e rebus creatis intellecta, in oculos veluti incurrunt (1).

Quae cum ita essent, factum est, ut non data opera haec sanae rationis decreta docerent Jesus et Apostoli. Sic adeo nunquam Dei exsistentiam diserte probarunt, nec etiam accurate viam explicarunt, qua, ex totius naturae nostrumque ipsorum contemplatione, Dei efficiamus exsistentiam Ejusque proprietates. Haec quum ipsa per se inquirere posset ratio, propterea huic etiam ea reliquerunt, ponentes potius quam probantes, quae de Deo rebusque divinis sana nos doceat ratio.

II. Verum animadvertendum item, princeps Jesu Apostolorumque fuisse consilium, ut ignotam adhuc salutis rationem homines docerent. Nimirum, quas res ratio sibi relicta nunquam invenire possit, quarum tamen rite sciendarum homini summa est necessitas, quomodo quis, vitiis inquinatus, peccatorum accpiat remissionem, vitae emendationem aeternamque felicitatem; has imprimis

(1) Rom. I: 19, 20. ad quem locum conf. Flattius et Jaspis.

mis docuerunt Jesus et Apostoli. Antea jam obscuriores de his rebus acceperant Israëlitae notiones. Nunc vero plena luce illi explicuerunt doctrinam hanc, antea ignotam, quam nullus viderat oculus, nulla audierat auris, quaeque in nullius adscenderat animum, sapiens illud Dei institutum, quo per Christum homines servare voluerit. Hac vero in re ita omnem ponebant operam, ut adeo dicat Paulus, se in Corinthiis non decrevisse quidquam scire, nisi *doctrinam de Jesu Christo eoque cruci affixo* (1). Quod ejus dictum, licet non ita interpretandum sit, quasi nullas alias cum hac conjunctas tradiderit doctrinas; vel sic tamen satis manifesto ostendit, princeps ipsius fuisse consilium, ut hanc potius doctrinam, quam sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta, data opera explicaret.

III. Sed est et aliud observandum, nempe Jesum et Apostolos suam superstruxisse doctrinam Mosis et Prophetarum doctrinae. Docent hoc non tantum varia illa loca, in quibus argumenta pro suis sententiis ex horum libris desumserunt; verum diserta etiam, quae hac de re ipsi dederunt, testimonia. Non tantum enim Agrippae dicit Paulus, se nihil profiteri praeter ea, quae eventura dixerant Moses et Prophetae (2); verum Jesu hac

(1) 1 Cor. II: 2.
(2) Act. XXVI: 22.

hac in re imprimis animadvertendum testimonium, quo illustrius vix aliud esse potest. „ Ne putetis me venisse," inquit, „ ut Legem vel Prophetas solverem:" (id est: ut praecepta, quae libris Mosis et Prophetarum continentur, vi sua privarem aut ea abrogarem). „ Non veni, ut ea „ solverem, sed ut ea implerem:" (id est, ut ea confirmarem per meam auctoritatem). „ Nam profecto dico vobis, donec praeterierit coelum et „ terra, jota vel apex Legis non praeteribit," (id est, ne vel minima Legis pars abolebitur) „ usquedum omnia facta fuerint." (1)

Neque mirum profecto, Jesum et Apostolos suam superstruxisse doctrinam Mosis et Prophetarum doctrinae. Quod enim semel verum est, falsum fierit nequit; etiamsi, quod verum sit, amplificari atque uberius illustrari possit. Quam itaque divinam tradiderant Moses et Prophetae doctrinam, hanc tantum aberat, ut Jesus et Apostoli, divini itidem doctores, unquam abrogarint, ut eam potius confirmarent et sumerent adeo. Sic vero quaecunque de Deo rebusque divinis in V. F. praeclare dicuntur, haec Jesus et Apostoli sua quoque institutione complexi esse censendi sunt. Neque adeo mirum, eos saepenumero, imprimis si cum Judaeis loquantur, ita sanae rationis decreta memorare, ut ea modo attingant, de ulteriore ve-

(1) Matth. V: 17-19. Conf. Muntinghe, l. l. P. IX. p. 88, 89. Annot. pag. 84.

vero eorundem explicatione nullo modo fint folliciti.

§. 4. *Ipfa Jefu et Apostolorum doctrina exponitur.*

Procedimus ad exponendum, quid de Deo rebusque divinis docuerint Jefus et Apostoli. Quae vero est inftituti ratio, hoc loco ea tantum attingenda funt, quae per *rationem* quodammodo probari posfint. Haec quae fint, fupra expofuimus. Attendenda funt ea, quae fana ratio aut docet, aut certe probare potest, *de Dei vita ac perfectionibus; de mundo ab Ipfo condito; de provida cura, qua et omnia alia curat, et nostros quoque animos confervat; de regimine denique, quo totum mundum fingulasque ejus partes complectitur.* De his rebus quid docuerint Jefus et Apostoli, nobis jam explicandum est.

Quae in omni hac re fundamentum conftituit, Dei exfistentiam, pofuerunt potius, quam probarunt. Neque mirum illud. Quas modo §. 3. animadverfiones protulimus, hae fatis eam rem explicant.

Quae vero de Deo rebusque divinis docuerunt, haec non in fystematis, quod dicitur, formam redacta tradiderunt. Data opportunitate modo haec, modo alia attigerunt. Nobis adeo colligenda et fecum invicem conferenda funt, quae disperfa nobis tradiderunt fcriptores N. F.

Quam

Quamquam autem nobis id agendum ſit, ut inquiramus, quae docuerint Jeſus et Apoſtoli de iis, quae ſubtiliter et accurate explicare ſoleat philoſophorum diligentia, ſubtiles tamen de Dei natura vel proprietatibus disputationes apud eos nuspiam reperimus. Haec ratio uti philoſopho convenit, ita ab eâ abhorret doctrinâ, quae omnium accommodata ſit intelligentiae. Nihilominus ita cuncta ſanae rationis de Deo rebusque divinis decreta tradiderunt, ut hinc accuratam et perſpicuam Dei notitiam efficere nobis liceat.

I. Univerſe Jeſus et Apoſtoli Deum eâ deſcripſerunt ratione, quae Ipſius majestati eſſet convenientisſima. Vanis gentilium deastris oppoſuerunt *verum Deum; unum* illum; *omnium rerum auctorem ac dominum;* eundemque *Spiritum perfectisſimum, quem nemo comprehendere posſit.*

Gentes res creatas Deos ſibi finxerant. Non vero existimare debemus, auro vel argento vel lapidi, ſculpturae, arte et cogitatione hominis proditae, Deum eſſe ſimilem. Non ii, qui manibus conficiuntur, dii ſunt. Muta ſunt deorum ſimulacra (1). His oppoſitus est *ὁ ἀληθὴς, ὁ μόνος ἀληθινός, ὁ ζῶν θεός* (2).

Ni-

(1) Act. XVII: 29. XIX: 26. 1 Cor. XII: 2.

(2) Joh. XVII: 3. 1 Tim. III: 15. IV: 10. Hebr. III: 12. IX: 14. XII: 22. imprimis; 1 Thess. I. 9. 1 Joann. V: 20 coll. vs. 21.

Nihil est idolum in rerum natura, neque ullus existit Deus, nisi *unus*; etenim, etiamsi sint multi ita dicti dii, sive in coelo seu in terra, nobis *unus* est Deus Pater, qui omnium fons est, ad quem colendum nos sumus facti. Ii, ad quos scribebat Paulus, Christiani unum efficiebant corpus, uno ducebantur Spiritu, unam eandemque felicitatis spem habebant, uni subjecti erant Domino, unam profitebantur fidem, uno lavati erant baptismo; sed et pariter est *εἷς θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων καὶ ἐν πᾶσιν*. Hic est *μόνος θεός* (1).

Propterea et ab inani deastrorum cultu gentes perducere studebant ad *θεὸν τὸν ζῶντα*, *qui creavit coelum et terram et omnia, quae in iis sunt*; qui, *coeli et terrae Dominus*, non habitat in templis manu confectis, neque ab hominum manibus colitur, quod quid desideret, cum Ipse dederit cunctis vitam et halitum et omnia. Per Eum enim vivimus et movemur et sumus; ab Eo, per Eum et ad Eum sunt omnia (2).

Hic Deus est *πνεῦμα*, non corporeus, iisque gaudens proprietatibus, quas spiritui tribui-

(1) 1 Cor. VIII: 4-6. Ephes. IV: 4-6. Jud. vs. 25. Conf. Marc. XII: 29, 32. et 1 Tim. II: 5.

(2) Act. XIV: 15. XVII. 24, 25, 28. Rom. XI: 36. Conf. Matth. XI: 25. Act. IV: 24. 1 Cor. XI: 12. Hebr. II: 10. Apoc. IV: 11. X: 6. XIV: 7.

buimus, vitam habens, intelligendi agendique facultatem (1).

Idem *perfectisſimus est*. Jeſus: *ὁ πατὴρ*, inquit, *ὑμῶν τέλειός ἐστι*: Joannes vero: *ὁ θεὸς φῶς ἐστι, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία*. Se neminem Deus habet majorem. Propterea, quum fidem daret Abrahamo, juravit per ſe Ipſum, quia per alium, ſe ipſo ſuperiorem, jurare non poterat (2). — Haec quidem Dei perfectio tanta est, ut ſit Deus *μόνος σοφὸς, μόνος δυνάστης, μόνος ὅσιος*, ut nemo ſit *ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεὸς*, ut Ejus ſcientiae et ſapientiae *βάθος* tribuendum ſit (3).

Neque est adeo, quod perfectam illam Dei naturam *comprehendamus*. Paulus haeſitare fere videtur, quo tandem modo infinitam hanc Dei majestatem indicet, quum uno orationis tenore verba addat verbis, quibus immenſam hanc Dei adumbret magnitudinem. Deum dicit Regem mundi univerſi, nunquam periturum, inviſibilem, unicum Deum. Quin imo Deum praedicat longe feliciſſimum, ſolum potentem, Regem regum ac Dominum doumiorum, ſolum immortalem, incolen-

tem

(1) Joann. IV: 24. Vid. Muntinghe, l. l. P. IX. p. 101. Annot. p. 55, 56.

(2) Matth. V: 48. ad quem locum vid. Kuinoel; 1 Joann. I. 5. ad quem locum vid. Jaspis; Hebr. VI: 18.

(3) Rom. XVI: 27. ubi vid. Jaspis; Marc. XV: 18. Luc. XIII: 19. Rom. XI: 33.

tem lucem inaccessam, quem nullus hominum viderit nec possit videre, cui sit honos et imperium aeternum (1).

Tanta vero cum sit Dei majestas, quid mirum, si Ejus nomen reticeatur, quem in coelis solio insidentem animadvertit Joannes! in nullis enim linguis humanis nullum invenitur vocabulum, quo Illius throno insidentis natura adumbrari, nedum describi possit; illius, inquam, qui quidem Omnipotens, vivit in aeternum; qui olim fuit et nunc est eritque perpetuus; qui dignus est, quem omnes revereantur cujusque celebrent majestatem. (2)

Haec illa est magnificentissima Dei notio, quam nobis suppeditarunt Jesus et Apostoli. Eâ Deo digniorem Deique majestati convenientiorem notionem dari non posse, nemo non lubenter agnoscet.

II. Singulatim vero ulterius exponamus, quid de Deo rebusque divinis docuerint Jesus et Apostoli.

Quamquam igitur infinitam Deo perfectionem tribuant, vel sic tamen eam Dei notitiam nobis impertierunt, quam humana natura ferre possit, quaeque ei accommodata sit. Humanas perfectiones

(1) 1 Tim. I: 17. VI: 15, 16.

(2) Apoc. IV: 2. ad quem locum vid. Jaspis; item Apoc. I: 4, 8. IV: 8. XI: 17. XV: 3, 4. XVI: 5, 7.

nes Deo fumma ratione tribuerunt; atque ea, quae in homine manca et imperfecta funt, Deo prorfus abjudicarunt. Sic quidem quasvis nos docent Dei proprietates, quas fana probare potest ratio. Uti enim haec probat, Deum *libertate gaudere independenti*, *aeternum* esfe, *immutabilem*, *fcientisfimum*, *fapientisfimum*, *omnipotentem*, *ubique praefentem*, *fanctum*, *justum*, *benignum*, *conftantem* et *fidelem*; fic et has fingulas proprietates Deo esfe tribuendas, ubivis nos docent Jefus et Apostoli.

De Deo ea profesfi funt, quae ei *libertatem* tribuerent *independentem*. Pater enim ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ. Non hominum manibus colitur, quod quid defideret, cum ipfe dederit cunctis vitam et fpiritum et omnia. A nemine pendens, omnia agit pro beneplacito fuo, ex liberrima fua voluntate; omnia pro fuo conftituit arbitrio. (1)

Neque minus diferte Deo *aeternitatem* vindicarunt. Quae enim ipfe manifestat, haec ante orbem conditum, ab aeterno manifestare voluit. Aeternus, folus immortalis, nunquam interiturus, in aeternum vivens, τὸ Α καὶ τὸ Ω, initium et finis, primus idemque ultimus, olim fuit, nunc est eritque perpetuo. Apud

(1) Joann. V: 26. Act. XVII: 25. Matth. XI: 26. Luc. X: 21. Rom. XV: 32. Gal. I: 4, 15. Eph. I: 5, 9, 11. Philipp. II: 13. Rom. IX: 7-23. Act. I: 7.

Apud eum adeo, unus dies mille instar annorum, et mille anni unius instar diei sunt. (1)

Quum vero ex aeternitate *immutabilitatis* notionem ratio ducat, hanc Dei proprietatem docuerunt item Jesus et Apostoli. Fieri enim nequit, ut Deus mentiatur. Ipsum nequit poenitere suorum beneficiorum. Omnia Ejus effata sunt certissima. In Eum nulla mutatio conversionisve cadit umbra. (2)

Cernitur haec Dei immutabilitas in Ejus intelligentia. Quae enim huic tribuendae sunt *scientia* et *sapientia*, hae neque augmentum capiunt, neque detrimentum patiuntur. Et hoc sanae rationis decretum probatur doctrinâ Christianâ. — Deus omnia novit. Se ipsum penitus cognoscit. Omnium cognoscit et perscrutatur animos. Testis est vel ipsorum animi nostri sensuum. Videt Deus in occulto. Occulta hominum judicabit. Pater coelestis novit omnia, quibus indigemus. Novit Deus, quae nemo novit alius. Ne passeris quidem Deus obliviscitur. Quocum nobis res est, hunc nulla res creata latet, omnia vero Ejus oculis nuda et aperta sunt. — Est vero Dei sapientia tanta, ut *μόνος σοφὸς* sit, et vero omnibus, qui sapien-

(1) 1 Cor. II: 7. Eph. I: 4. Rom. XVI: 26. 1 Tim. I: 17. VI: 16. Apoc. I: 4, 8. IV: 8, 10. X: 6. XI: 17. XV: 7. XVI: 5. XXI: 6. 2 Petr. III: 8.

(2) Hebr. VI: 18. Rom. XI: 29. 2 Cor. I: 18-20. Jac. I: 17.

pientiam petant, Ille unicus ejus fons sit. Immo vero Deo et scientia et sapientia tribuenda est immensa, (1)

Hae vero Dei proprietates *summa* se exserunt *vi et efficacitate*. Deus enim *omnipotens omnia, quae vult, peragere potest*. Ἰσχυρὸς, παντοκράτωρ, μόνος δυνάστης, major Deus est omnibus. A Deo omnia fieri possunt, quae non fieri posse videntur hominibus. Cujuscunque generis bona praestare potest. Quod promisit, perficere etiam potest. Multo majora efficere potest, quam quae precamur vel cogitamus. Quin imo mortuos in vitam reducit, et vero oriri jubet, quae non adsunt, ut exsistant. Una Ejus voluntate omnia creata sunt; uno Ejus dicto hoc universum est conditum, ita ut, quae conspiciuntur, creata sint, quum antea nihil exstitisset. Quapropter ex rebus creatis aeterna Ejus vis intelligitur. (2)

Haec

(1) 2 Cor. XI: 11, 31. XII: 2, 3. 1 Joann. III: 20. 1 Cor. II: 11. Luc XVI: 15. Act. I: 24. XV: 8. 1 Thess. II: 4, 5, 10. 2 Cor I: 23. Galat. I: 20. Philip. I: 8. Matth. VI: 4, 6, 18. Rom. II 16. Matth. VI: 8, 32. Luc. XII: 30. Matth. XXIV: 36. Marc. XIII: 32. Luc XII: 6. Hebr. VI: 13. Rom. XVI: 27. Jac. I: 5. Rom. XI: 33.

(2) 2 Cor. VI: 18. 1 Tim. VI: 15. Apoc. I: 8. IV: 8. XI: 17. XV: 3. XVI: 7, 14. XVIII: 18. XIX: 15. XXI: 22. Joann. X: 29. Matth. X: 28. XIX: 26. Marc. X: 27. XIV: 36. Luc. XII: 5. XVIII: 27. Act. XX: 32. Rom. XVI: 25. 2 Cor. IX: 8. Rom. IV: 21. Eph. III: 20. Joann. V: 21.

2 Cor.

Haec vero Dei et omniscientia et omnipotentia efficit, ut ipse sit *ubique praesens*, id est, ut in omnes res sua scientia atque vi agat. Non habitat summus ille in templis manu confectis; nec longe ab unoquoque nostrum remotus est. (1)

Quas vero morales, uti dicuntur, Deo proprietates esse tribuendas sana docet ratio, easdem quoque ipsi vindicant Jesus et Apostoli. Deum enim *sanctum* esse docuerunt. Coelestis Pater perfectus est. Lux est, nullaeque in eo sunt tenebrae. *Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, μόνος ὅσιος* Deus est. Itaque neque irritatur malo, neque ad malum excitat ullum alium. (2)

Haec quidem Dei sanctitas conspicua est in ejus *justitia*, quae legum moralium, quas sanctitas praecepit, vindicat auctoritatem. Unus enim est legislator idemque judex, qui et servare potest et perdere. Pater, sine partium studio, judicat pro cujuscunque factis; externae, qua quisque sit, conditionis ratione non habita. Absit longissime, ut Deus injustus sit: alioquin enim quomodo mundum judicaret? Nec ipse impune se illudi pa-

2 Cor. I: 9. Hebr. XI: 19. Rom. IV: 17. Hebr. XI: 3. Apoc. IV: 11. Rom. I: 20.

(1) Act. VII: 48. XVII: 27.

(2) Matth. V: 48. 1 Joann. I: 5. Joann. XVII: 11. 1 Petr. I: 15, 16. Apoc. IV: 8. XV: 4. XVI: 5. Jac. I: 13. Conff. item Rom. VIII: 7, 8. 1 Thesf. IV: 3. Jac. IV: 4. 1 Joann. II: 15, 16, 29. III: 3, 9, 10. V: 18.

patitur: quod enim severit homo, hoc etiam metet. Quo quis plura acceperit, eo ab ipso plura requirentur. — Non minus autem pios Dei oculi observant, eorumque preces ejus audiunt aures, quam et impios ejus observat facies. Novit ipse miseris pios liberare, impios vero ad judicii tempus reservare puniendos. Unicuique pro ipsius factis rependet. Itaque iis quidem, qui constanter recte factis operam dando gloriam et honorem et immortalitatem quaerunt, vitam aeternam; immorigeris vero, virtuti adversantibus, vitii vero studiosis, poena atrocissima infligetur. Justum censetur a Deo, ut iis, qui Christianos vexant, vexationem, his vero, qui vexantur, malorum liberationem rependat. Neque igitur est Deus injustus, ut obliviscatur opera et amorem, quae ejus nomine praestantur Christianis. Propterea eum, qui ad Deum accedit, credere oportet, suis ipsum cultoribus fore remuneratorem. (1).

Eadem vero Dei sanctitas ejus quoque *benignitate* cernitur; quam imprimis praedicarunt Jesus et Apostoli. Si mihi jam liceret eorum, quae nostra probare potest ratio, transgredi terminos, quam mul-

(1) Jac. IV: 12. 1 Petr. I: 17. Act. X: 34. Rom. II: 11. Galat. II: 6. Colosf. III: 25. Rom. III: 6. Gal. VI: 7. Luc. XII: 48. (Coll. Matth. XI: 22, 24.) 1 Petr. III: 12. 2 Petr. II: 9. Rom. II: 7. seqq. 2 Thess. I: 6, 7. Hebr. VI: 10. XI: 6.

multa afferre posſem, quae infinitam Dei benignitatem indicent apertisſime! Arctioribus vero licet detenti finibus, vel ſic tamen varia hac in re illustria obſervabimus. — Viri ſancti iterum iterumque amabilem illam Dei imaginem informant, ut Patris inſtar nos curet, nobisque proſpiciat. *Amorem* Deum vocat Joannes; et Eum Jeſus unum noſtrum Patrem Coeleſtem dixit. — Summam Ille oſtendit benignitatem, patientiam et indulgentiam. *Miſericordiae Pater, omnis ſolatii Deus, benignisſimus est, et vero miſeros ſolatio erigit.* Omne beneficium perfectumque donum coelitus a Patre lucis deſcendit. Coelitus Deus beneficia impertit, dans pluviam ac tempora frugifera, implens animos cibo et laetitia. Summus Ille bonus eſt in ipſos adeo ingratos et malos. Solem ſuum oriri jubet in malorum ac bonorum commodum, pluviamque demittit in juſtos et injuſtos. — Major eſt haec benignitas, quam paterna ulla in hominibus benignitas reperiatur. Nullus eſt pater, qui filio panem petenti lapidem, aut piſcem petenti ſerpentem impertiat; multo vero magis Pater coeleſtis bona dat iis, qui haec ab Eo petunt. Eſt haec Dei benignitas ſimilis curae, qua quis ovem deperditam, amisſum ex re admodum tenui drachma, quin adeo filium immorigerum proſequatur. Complectitur ea ipſas adeo aëris aves. — Eſt ea prorſus libera: quis enim Deo dedit, quod ipſi rependatur? Cernitur haec in ipſis adeo, quas experimur,

mur, calamitatibus: quem enim Deus amat, hunc castigat. — Ad omnes ea pertinet homines. Deus, σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, non vult quosdam perire, sed omnes ad saniorem mentem reverti. Non Judaeorum solum Deus est, sed et gentium; atque ita vult, ut omnes homines serventur et ad veri cognitionem perveniant. (1)

Neque est, quod homines hanc Dei sanctitatem, justitiam, benignitatem in dubium vocent. Idem enim *constans* et *fidelis* est. Ejus testimonium hominum testimonio majus est; estque verax. Ἀληθινὸς Deus est. Mentiri nequit: omnia enim Ejus dicta sunt certissima. Non potest Eum suorum poenitere beneficiorum; quippe in quem nulla plane cadat mutatio. Fieri itaque nequit, ut Dei promissum eventu careat. Πιστὸς ὁ θεὸς nos ultra vires miseriis affligi non permittet; sed cum miseriis exitum largietur, quo eas ferre possimus. Fide dignus est datamque fidem servabit. (2)

Haec sunt, quae de Dei perfectionibus docuerunt

(1) Matth. VI: 9. 1 Joann. IV: 8, 16. Matth. XXIII: 9. Rom. II: 4. 2 Cor. I: 3, 4. VII: 6. Eph. II: 4. Jac. I: 17. Act. XIV: 17. Luc. VI: 35. Matth. V: 45. VII: 9—11. Luc. XV. Matth. VI: 26. Rom. XI: 35. Hebr. XII: 6. 1 Tim. IV. 10. Rom. III: 29. X: 12. 1 Tim II: 4.

(2) Conff. loca allata supra pag. 31. Ann. 2. item 1 Joann. V. 9. Joann. V: 32. VII: 28. VIII: 26. Rom. III: 4. IX: 6. 1 Cor. I: 9. 1 Thesf. V: 24. 2 Thesf. III: 3. 1 Petr. IV: 19.

runt Jesus et Apostoli, egregia illa et cum sanae rationis decretis mirifice convenientia. — Age! videamus jam, quae docuerint de Deo mundi Creatore, Conservatore ac Domino.

III. Universe hic docent, ita esse omnia ex Deo, per Deum et ad Deum, ut Ipse coeli terraeque Dominus sit; cujus peculium terra sit et quidquid ea contineatur, atque ut propter Eum et per Eum omnia sint (1). — Singulatim Deo *totius universi* tribuunt *originem*, ita ut per liberam Ejus voluntatem, uno Ejus verbo, omnia exstiterint. Deus res omnes creavit. Ejus manus omnia fecit. Per omnipotentiam suam hoc universum condidit, ita ut, quae conspiciantur, creata sint, quum antea nihil exstitisset! E tenebris lucem effulgere jussit. Ipse creavit coelum, et terram, et mare, et omnia, quae in iis sunt. Quâ notâ constanter Deum verum a deastris distinxerunt Viri sancti (2). Hunc vero Patrem coelestem fidelemque Creatorem dignum censent, qui gloriam, honorem et imperium accipiat. (3)

IV. Deum *provida sua cura* omnia complecti, saepe docent Jesus et Apostoli: „ Ne solliciti sitis, ille ait,

(1) Rom, XI: 36. Act. XVII: 24. 1 Cor. X: 26. Hebr. II: 10.

(2) Marc. XIII: 19. Act. VII: 50. Hebr. XI: 3. 2 Cor. IV: 6. Apoc. X: 6. Conff. loca allata supra pag. 27. Ann. 2.

(3) Matth. VI. 32. alibi. 1 Petr. IV: 19. Rom XI: 36. Apoc. IV: 11. Conff. Rom. XVI: 27. 1 Tim. I: 17. VI: 16 caet.

„ ait, de vita vestra, quid edatis et quid biba-
„ tis; neve de corpore vestro, quo illud induatis
„ vestimento. Nonne vita potior est cibo et cor-
„ pus vestimento? Respicite coeli aves: neque
„ serunt illae, neque metunt, neque in horrea
„ colligunt: Pater vero vester coelestis illas alit:
„ nonne vos longe eas superatis? Quis vero ves-
„ trum, quum sit sollicitus, unum suae aetati
„ addere potest cubitum? Et de vestimento quid
„ estis solliciti? adspicite lilia agri, quomodo cres-
„ cant, non laborando neque nendo. Affirmo
„ autem vobis, ne Salomonem quidem, summo
„ suo splendore, indutum fuisse, unius instar ho-
„ rum. Si vero gramen agri, quod hodie est, et
„ cras in fornacem conjicitur, ita vestiat Deus,
„ nonne multo magis vos, homines exiguae fidu-
„ ciae? Ne igitur solliciti sitis, dictitantes: quid
„ edemus vel quid bibemus, vel quo nos indue-
„ mus vestimento? Omnia enim haec gentes quae-
„ runt; novit vero Pater vester coelestis, vos his
„ omnibus indigere." — Neque vero his dissimi-
lia sunt, quae alia opportunitate docuit Jesus.
„ Nonne duo passeres," inquit, „ asse vendun-
„ tur? nec tamen quisquam illorum cadit in ter-
„ ram, nolente Patre vestro. Vestri vero capitis
„ etiam capilli omnes numerati sunt." — Haec
sane eam describunt providam Dei curam, qua
major nequeat cogitari, quaeque minimas etiam
res complectatur. Neque adeo mirum, Jesum suos
sae-

saepe adhortatum esse discipulos, ut omnia, quibus indigerent, a Deo peterent et exspectarent. Hunc enim Patrem, qui tantopere rebus omnibus provideat, frustra precibus nemo adit. (1)

Verum audiamus etiam Apostolos. Paulus Deum, omnium Dominum, non coli dicit, quod quid desideret, cum Ipse cunctis vitam et halitum et omnia impertiat. Profitetur, Deum se non reliquisse non testatum, quum benefecerit coelitus, dans pluviam et tempora frugifera, implens animos cibo et laetitia. Omnia, quae quis habeat, ad Deum refert auctorem. Itaque Deus ille, qui semen serenti panemque ad edendum impertiat, daturus et adaucturus erat semen Corinthiorum. Profitetur, Deum misertum esse socii, qui in vitae discrimine versabatur. Praecipit Philippensibus, ne anxie solliciti sint, sed semper precibus, cum gratiarum actione conjunctis, Deo sua vota manifestent. Et vero hic sensus, quo Deum omnia curare perciperet, ei tam proprius erat, ut in omnibus rebus ab hac Dei cura omnia speraret; omnia, quae possideret, uni Deo accepta referret; pro omnibus, quae acquireret, uni Deo ex interiore animi sensu gratias, quas posset, ageret maximas. (2)

Cae-

(1) Matth. VI: 25—32. X: 29, 30. Matth. VII: 7—11. caet.

(2) Act. XVII: 25. XIV: 17. 2 Cor. IX: 10. Philipp. II: 27. IV: 6. 2 Cor. IV: 7. XIV: 18. XV: 10. 2 Cor. III: 5. X: 13. 1 Tim. VI: 17. 2 Tim. III: 11. alibi.

Caeteri vero Apostoli plane cum eo consentiunt. Jacobus eos, ad quos suam mittebat epistolam, non accipere dicebat, quod vel preces negligerent vel malo precarentur consilio. Illos imprimis severe reprehendit, qui, suis viribus confisi, non cogitarent, se Dei curae omnia debere ab Eoque pendere in omnibus. — Christianos accepisse, quae haberent, horumque curae haec divina beneficia commissa esse, Petrus profitetur. Admonet Christianos, ut omnes in Deum sollicitudines conjiciant, qui ipsorum gerat curam. — Item Joannes Deum dicit non sinere nostras irritas esse preces, si Ipsius praecepta observemus (1). Quae certe omnia ita comparata sunt, ut, nisi providam illam Dei curam ponant, plane aenigmatica habenda sint.

V. Verum, ut omnia alia curat Deus, ita etiam eâdem providâ curâ *nostros conservat animos.* Et hoc docent Jesus et Apostoli. Omnia illa, quae de vita futura, de mortuorum resurrectione similibusque rebus dicunt, tota adeo doctrina Christiana, animi ponit immortalitatem. Praeterea vero Jesus dicit, eos, qui corpus interficiunt, non posse interficere animum. Lazarum ac divitem virum repraesentat in parabola, utrumque post mortem eam nactum sortem, quae illi, quam in hoc stadio secu-

(1) Jacob. IV: 2, 3, 13—15. 1 Petr. IV: 10. V: 7. 1 Joann. III: 22.

cutus esset, vitae rationi conveniret. Paulus ab hoc corpore liberari et cum Christo esse cupit. (1)

Altero in stadio praeclarae illae facultates, quas Deus nobis concessit, ulterius explicabuntur. „ Jam enim ex parte cognoscimus: quum vero „ perfectum venerit, tunc id, quod ex parte est, „ destruetur. Jam quidem aenigmatice, veluti in „ speculo, videmus; tunc vero aperte omnia cog„ noscemus." (2)

Illic Dei justitia, quae hac in vita interdum dubia reddi videtur, illustrabitur egregie. Quilibet enim eorum, quae in hac vita peregit, sive bona seu mala sint, mercedem accipiet (3). Sic calamitates hujusce vitae non in censum veniunt, si comparantur cum futura, quae nobis manifestabitur, felicitate. Certamus enim, non ut caducam, verum ut nunquam marcescentem coronam accipiamus. Calamitas nostra levis, quae per breve temporis spatium est, comparat nobis insignem aeternamque beatitudinem, quum non ea respiciamus, quae videmus, sed ea, quae non videmus: quae enim videmus, caduca sunt; quae vero non videmus, illa sunt aeterna. Ille, qui tentationem

(1) Matth. X: 28. Luc. XVI: 19 sqq. Philipp. I: 23. Conf. Matth. XXII: 32.

(2) 1 Cor. XIII: 9—12.

(3) 2 Cor. V: 10. Conf. supra pag. 34. Ann. 1.

nem sustinuerit, coronam vitae aeternae accipiet. (1)

Non est, quod haec ulterius exponam: tam enim aperte et dilucide nostrorum animorum immortalitatem docuit Christus, ut vere immortalitatem in lucem protulisse dicatur. (2)

VI. Uti Deus omnia conservat, ita et illa non minus *gubernat; singula* enim *suo complectitur regimine.* — Dominus coeli et terrae, Rex regum, Dominus dominorum, omnium supremus est perque omnia agit (3). Cuncta huic subsunt regimini. Quaecunque adeo nos facere instituimus, horum exitus ab una Dei pendet voluntate. Quivis prosperi, qui cuipiam eveniant, successus ab hoc Dei pendent regimine (4). Hoc regimine Ipse complectitur, quaecunque sunt in terra. Nullum est, nisi a Deo, imperium; quae exsistunt, imperia a Deo constituta sunt. (5)

Hoc regimen non bonas tantum, sed malas etiam hominum actiones complectitur, quamquam earum libertati nullo modo nocens. Deus enim non tantum bonis voluntatem et vires pro sua benevolen-

(1) Rom. VIII: 18. 1 Cor. IX: 25. 2 Cor. IV: 17, 18. Jac. I: 12.

(2) 2 Tim. I: 10. ad quem locum conf. Jaspis.

(3) Act. XVII: 24. 1 Tim. VI: 15. Eph. IV: 6.

(4) Jac. IV: 13—15. Act. XIV: 27. XV: 4. XVIII: 21. XXVI: 29. Hebr. VI: 3. Rom. I: 8. alibi.

(5) Rom. XIII: 1.

lentia largitur; verum fieri item patitur, ut mali stupore teneantur; oculos habentes nihil videant, auribus instructi nihil audiant. Pilatus itaque potestatem contra Jesum non habuisset, nisi ipsi coelitus ea esset concessa. Pilatus et Herodes, Jesum vexantes et interficientes, nihil peregerunt, nisi quae Dei manus et voluntas, ut fierent, constituerat (1). Ipse ea adeo suae subjecit potestati, quae scire nemini liceat (2). Suo vero regimine Deus non minus pios attendit eorumque preces audit, quam et impios Ejus facies observat. (3)

Verbo ut dicam: hoc Dei regimen ita comparatum est, ut, id admiratus, dicat Paulus: „ O infinitam amplitudinem sapientiae et scientiae Dei! „ Quam imperscrutabilia Ejus sunt judicia, quam „ impervestigabiles Ejus viae! Quis enim Domini „ novit mentem? Quis Ei consiliarius adfuit? Aut „ quis praebuit, quod ipsi rependatur? Imo vero „ ab Eo, et per Eum, et ad Eum sunt omnia; „ Illi laus sit in aeternum!" (4)

Haec fere sunt sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta, quae Jesus et Apostoli doctrina sua complexi sunt (5). Eos haec pure tradidisse,

(1) Phil. II: 13. Rom. VIII: 8. Joann. XIX: 11. Act. IV: 27, 28. Conf. supra pag. 30. Annot. 1.

(2) Act. I: 7.

(3) 1 Petr. III: 12. Cf. supra pag. 34. Ann. 1.

(4) Rom. XI: 33—36.

(5) Explicuerunt haec cum alii, tum etiam Muntinghe, l. l. p. IX.

se, jam ipsa res et ratio docet, dummodo loca memorata accurate reputemus. Juvat tamen, quo magis illud manifestetur, pauca addere, e quibus hoc uberius pateat.

§. 5. *Docuerunt haec ita Viri sancti, ut nihil deesset, quod ad dignam Dei notionem informandam pertineat.*

Omnibus numeris absolutam Dei cognitionem homo assequi nequit. Qui enim finitus homuncio penitus Numen infinitum cognitum habeat? Quare nec doctrina Christiana ejusmodi impertit cognitionem. Neque vero, haec homini necessaria est. Huic sufficit eatenus Deum cognovisse, quatenus Deum inter et ipsum vinculum intercedit. Hanc cognitionem nobis impertierunt Jesus et Apostoli. Horum doctrina singula, quae eo pertinent, ita exponit, ut nihil in ea desideretur, quod ad divinam majestatem pie agnoscendam requiratur. Huic adeo nihil deesse dicimus, quod ad dignam Dei notionem informandam nos ducat. Quae eorum doctrina supra a nobis est exposita, haec luculenter id ostendit. Deum esse unum, non

P. IX. pag. 95 seqq. P. X. pag. 73 seqq Brink, *Leer en Leerwijze van Jesus*, pag. 1—11. 178 seqq. Valk, l.l. pag 36—41. 56; 57. 69—71. 224, 238 seqq.

non minus ſapientem quam liberum, non minus justum quam bonum, non minus immutabilem quam omnipotentem, docuerunt; Huic omnium rerum creationem, nec minus conſervationem ac gubernationem tribuerunt. Verbo: talem Dei notionem nobis ſuppeditant Jeſus et Apostoli, quali perfectior alia nusquam reperiatur.

Verum fingamus Deum, cui aliquid deſit eorum, quae de Eo nostra docet ratio. Si Deo libertatem denegamus, hominibus inferior redditur, provida ſua cura rebus omnibus proſpicere nequit, ſummus mundi moralis gubernator esſe deſinit; quin adeo talis oritur Dei notio, cui reverentiam ac gratum ſubmisſumque animum praeſtare nequeamus. Si Dei negemus independentiam, ipſa Dei notio plane destruitur: id enim, a quo pendeat Numen, ipſo ſuperius, adeoque ipſe Deus ſit neces- ſe est. Qui Deus non est omnipotens, hic revera justus esſe nequit, eique mundi curam committere tuto non licet. Quodſi fingamus Deum non justum, ſequitur nec eundem vere bonum esſe; ea enim, qua vera nostra felicitas cernitur, moralitas ita pereat necesſe est. Si vero Deus ſapientia esſet destitutus, tyrannus mundi Dominus foret, cui ſtet pro ratione voluntas, cuique adeo justitia, bonitas, univerſe ſanctitas deſit. Quodſi non unum, ſed plures Deos nobis proponamus; vel eorum alter altero inferior ſit, atque ita Deus esſe deſinat; vel ſi omnes aequales esſe cenſeantur,

tur, adsint, qui supervacui censendi sunt, nec ullus omnium veram habet omnipotentiam. At vero si fingamus Deum non omnia creasse, hinc oritur materia quaedam aeterna, quae a Deo non pendeat adeoque alter veluti Deus sit. Si vero singula Deo non subjecta sint; jam adsint res, quae habeant vim, qua Dei omnipotentiae independentique Ejus adversentur libertati. — At quid plura? Omnia, quae de Deo nostra probat ratio, ita comparata sunt atque invicem connexa, ut nihil omitti possit, quin sua destituatur puritate Dei notio.

Haec vero omnia pure tradidit doctrina Christiana. In quacunque tandem philosophorum doctrina defectus reperiantur, in illa non item. Omnia illa, quibus desideratis dignam Dei notionem informare nequeamus, in ea ita explicantur, ut nihil sit, quod hic jure desideres.

Est illud perquam difficile. Hominem excellentem digne describere paucis licet. At vero quid est difficilius, quam ut quis Dei, quocum excellentissimus homo comparatus nullus est, dignam notionem nobis praebeat? Testes sunt antiqui philosophi. Hi, licet nonnunquam quasdam Dei proprietates egregie explicarent, vel sic tamen ab altera parte non tantum in errores incidebant, verum etiam plurima omittebant, quae ad dignam Dei notionem pertineant. Verum Jesus et Apostoli Deum ea ratione describunt, quae plenissime,

qua-

quatenus hoc humana lingua fieri potest, summam Ejus perfectionem ab omni parte explicet, quaeque omnem Ejus praedicet majestatem. Illorum doctrinâ nihil majus aut gravius excogitari potest. Nullus ante eos, ne sagacissimus quidem philosophus, talem tradidit doctrinam, cui ita nihil deesset, quod ad veram Dei notionem informandam pertineat. Octodecim post eos praeterlapsa sunt saecula. Nullus vero exstitit, qui quid unquam protulerit, quod in horum doctrina omissum esse, merito contendere posset. Quis igitur est, qui non huic doctrinae summam praestantiae laudem lubenter impertiat? (1)

§. 6. *Nullos errores vere dictis commiscuerant.*

Quae dicta sunt, jam clare doctrinae Christianae ostenderunt praestantiam in tradendis iis, quae sana ratio docet de Deo rebusque divinis. Conficiet rem id, quod tandem hoc loco nobis spectandum est.

Non

(1) Vidd. Valk, l. l. pag. 41—43. 57—89. 71—75. 224, 239 seqq. J. A. Noësselt, *de waarheid en Goddelijkheid van den Christ. Godsd. verdedigd*, P. II. §. 72. Turretinus, l. l. Tom I. pag. 285—291. Bogue, l. l. pag. 19—21. 72, 73. Buttler, *Bestätigung der Natürlichen und Geoffenbarten Religion aus ihrer Gleichförmigkeit*, pag. 285.

Non meum est omnia refutare, quae umquam contra hanc etiam nostrae religionis partem attulerunt ejus adversarii; quos nimirum jam alii saepius refellerunt. Ita potius rem agamus, ut, pauca afferentes exempla errorum, quos et ii commiserunt philosophi, a quibus multa vere dicta sunt, his opponamus doctrinae Christianae praestantiam. Egregie Socrates multa dixit de Dei sapientia, bonitate, providentia: verum idem fictis suae gentis diis omnem plane fidem denegasse non videtur. Aesculapio gallum gallinaceum immolari jussit, morti proximus. Jesus et Apostoli contra nullos docent esse deos, nisi Deum unum, ex quo, per quem et ad quem sint omnia. — Plato soli et lunae honorem tribuendum censet; mundique materiam aeternam arbitratur. Jesus et Apostoli omnium rerum creationem ita repetunt a Deo, ut, quae antea non exstiterint, haec omnia una sua voluntate hic produxerit. — Stoici de providentia egregia multa dixerunt, sed iidem eam non ad singula extenderunt. A diis subinde praestantissimis tantum hominibus prospici contenderunt. Jesus et Apostoli e contrario eam docuerunt providentiam divinam, quae ipsas res curet minutissimas, ut ne passerem quidem Deus obliviscatur, omnesque capitis nostri capilli numerati sint. — Multi rerum omnium curam inferioris ordinis diis a Deo supremo traditam esse opinati sunt. Jesus et Apostoli contra omnia ad Deum unum referunt auctorem, ut sub-

sidiis

fidis quidem ille utatur; ita tamen, ut haec ab Ejus voluntate omnia prorſus pendeant. — Fatum iidem Stoici in res humanas induxerunt, cui ipſi dii ſubjecti ſint. Verum Jeſus et Apostoli omnia a Dei libertate pendere profeſſi ſunt, qui quaelibet peragat pro ſua ſapientia. — Virtutem felicitatemque, quam homo conſequatur, Dei regimini plures ſubtraxerunt. Jeſus et Apostoli, homini relinquentes libertatem, vel ſic tamen omnia Dei ſubjecerunt regimini, ipſas etiam hominum liberas actiones.

Socrates ipſe de animi immortalitate, morti proximus, dubitantius locutus est. Plato attulit argumenta, haud omni dubitatione majora. Stoici animum aliquando dixerunt esſe interiturum. Cicero certi quid de hac re affirmare non auſus est. Jeſus vero et Apostoli ſine ulla haeſitatione animi docuerunt immortalitatem, imo hanc toti ſuae inſeruerunt doctrinae, cum gravisſimis de Dei exſistentia ac providentia doctrinis conjunxerunt; eam univerſe ita indubitatam poſuerunt, ut horum doctrina vere immortalitatem in lucem protulerit. (1)

Haec igitur omnia probant, doctrinam Christianam ſanae rationis de Deo rebusque divinis decreta pure tradidisſe. Ejusmodi haec res est, ut doc-

(1) Conff. auctores allati ad §. 6.

doctrina Christiana hac in caussa omnibus, quae olim apud gentes exstiterint, religionis formulis doctrinisque philosophicis longe antecellat. Eadem eos quoque, qui apud Judaeos invaluerant, errores profligavit. Quin adeo, qui unquam puriorem doctrinam vel protulerit vel etiam proferre potuerit, exstitit nullus.

SEC-

SECTIO II.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS DE DEO REBUSQUE DIVINIS DECRETA DIVINA AUCTORITATE CONFIRMAVIT.

§. 1. *Philosophi tradebant philosophemata.*

Philosophi per unam *ratiocinationem* doctrinam suam probare conabantur. Neque hoc alio modo fieri poterat. Nullam enim prae se ferre poterant *auctoritatem* extraordinariam. Itaque de eorum, quae docebant, veritate unice sibi persuadebant, argumentis ducti, quae ex sua peterent philosophia. Haec si evanescerent argumenta, neque in horum locum alia substituerentur, rem ipsam, quam propugnabant, missam facere debebant. Hac unice certandum erat argumentis, quae quo pro-

probabiliora cui viderentur, eo veriorem hic doctrinam assertam censebat. Antiqui adeo sapientes Graeci Romanique, quae de Deo rebusque divinis docebant, ea tradebant tanquam philosophemata; haud aliter atque hodienum illi agunt, qui, extraordinaria seposita patefactione, de iisdem rebus inquirunt.

Tantum vero aberat, ut hic probandi modus omnes ad eandem duceret sententiam, ut potius de rebus etiam gravissimis valde inter se dissentirent philosophi. Quae supra, religionis apud gentes conditionem describentes, jam attulimus, id satis ostendunt. — Neque profecto cuipiam illud mirum accidat. Ut enim diversa sunt hominum ingenia; ita vix aliter fieri potest, quin saepenumero de rebus nonnullis dissentiant. Atque id, in rebus ad religionem pertinentibus, eo saepius obtinet, quo sunt hae ab intellectu nostro remotiores, pluribusque premuntur difficultatibus. Accedit haud raro multarum rerum ignorantia; saepius in judiciis ferendis homines sunt praecipites; et praejudicatae opiniones, a juventute inde acceptae, magnam in nostros animos vim habere solent. Attendenda etiam vis est, quam rerum novarum proferendarum ardor, gloriae studium, aliis placendi desiderium, pravi omnino affectus, in hominum saepe habeant ingenium; ut vel perversissimis argutiis indulgeant, dummodo iis praesidium quaerere possint sententiis, quas imprimis probatas velint.

Sic

Sic igitur antiqui dissenserunt philosophi. Vel sic tamen omnes ad rationem provocabant; omnes pro sua sententia argumenta, quae ipsis idonea viderentur, afferebant. Qui vero has dirimeret lites, erat nullus. Omnes enim sibi parem competere auctoritatem arbitrati sunt. Unde factum est, ut exsisterent adeo, qui dubitare se de rebus omnibus pronuntiarent. Novimus enim, sapientis gravitate illud dignum censuisse Academicos, ut *in omnibus judicium cohiberet*. „ *Arcesilas* adeo," teste *Cicerone*, „ omnia latere censebat in occul„ to, neque esse quidquam, quod cerni aut intel„ ligi posset; quibus de caussis nihil oportere ne„ que profiteri neque affirmare quemquam, neque „ assensione approbare, cohibereque semper et ab „ omni lapsu continere temeritatem, quae tum es„ set insignis, quum aut falsa aut incognita res „ approbaretur; neque hoc quidquam esse tur„ pius, quam cognitioni et perceptioni assensionem „ approbationemque praecurrere. Huic rationi „ quod erat consentaneum, faciebat, ut, contra „ omnium sententias dicens, jam plerosque dedu„ ceret: ut, quum in eadem re paria, contrariis „ in partibus, momenta rationum invenirentur, fa„ cilius ab utraque parte assensio sustineretur." — Haec ille. Si vero, in Ciceronis libris *de Natura Deorum*, Cottam contra Vellejum ac Balbum disputantem audiamus; profecto hic tota sua nobis probat disputatione, se vere Vellejo dixisse, sibi non

non tam facile in mentem venire solere, quare verum sit aliquid, quam quare falsum. Quid enim est, quod de toto hujus rei fundamento dicentem illum audimus? „ Quaeritur, inquit, sintne dii „ necne? Difficile est negare; credo, si in con„ cione quaeratur; sed in hujusmodi sermone et „ in consessu facillimum. Itaque ego ipse ponti„ fex, qui caerimonias religionesque publicas sanc„ tissime tuendas arbitror; is hoc, quod primum „ est, esse deos, persuaderi mihi non opinione so„ lum, sed etiam ad veritatem plane velim: multa „ enim occurrunt, quae conturbent, ut interdum „ esse nulli videantur." (1)

§. 2. *Jesus et Apostoli legati erant divini.*

Hi non philosophos agebant. Quae eorum institutio fuerat, quodque vitae genus sequebantur; haec huic rei plane erant opposita. Unus Paulus doctior ad euangelium annuntiandum accessit. Caeteri vero omnes, quamquam non de vulgo homines, in ea tamen vitae versabantur conditione, qua eruditam institutionem non accepissent. In modico

(1) Vid. Schroeckh., l. l. pag. 384. 390. Clarke, *over Gods bestaan en eigenschappen enz.*, P. II. p. 219—224. Turretinus, l. l. pag. 227 - 229—231. W. Bruin, in *Opp. Soc. Teyler.*, P. XVI. pag. 190 seqq. Cicero, *Quaestt. Acad.* L. I. Cap. 12. *de Nat. Deor.* L. 1. Cap. 22.

eo vitae statu educati, V. T. scripta cognoverant, atque inde suas de Deo rebusque divinis notitias hauserant. Nunquam autem ea didicerant, quibus ad philosophicam rerum divinarum cognitionem informarentur. Quae enim recentior aetas de Jesu, in Essenorum aut aliorum scholis instituto, protulit; haec ad ea pertinent commenta fundamento destituta, quae nostrum aevum plura peperit.

Jesus et Apostoli legati erant divini. Hos sese ubivis professi sunt. — Jesus saepenumero se a Patre missum esse, Ejusque nomine se venisse dixit. *Non a se*, id est, sua auctoritate venerat; sed verax erat Ille, a quo missus erat, quem Judaei non noverant. Ipse eum noverat, quia ab Eo profectus erat, ipsumque Ille miserat. Judaei erant terreni, Jesus vero coelestis; illi ex hoc mundo erant, hic vero non ex hoc erat mundo. A Deo exierat et venerat: neque enim sua auctoritate venerat, sed Pater ipsum miserat (1). — A Deo exierat et ad Deum abibat. Abibat ad Eum, a quo missus erat. Exierat a Patre, inque mundum venerat; denuo mundum relinquebat, et ad Patrem proficiscebatur (2). — Jesus adeo non suae obsequi studebat voluntati, sed vo-

(1) Joann. IV: 34. VI: 29, 57. VIII: 16. XV: 21. XVII: 3. V: 43. VII: 28, 29. VIII: 23, 42.

(2) Joann XIII: 3. VII: 33. XVI: 28.

voluntati Ejus, qui ipsum miserat. Descenderat ex coelo, non tam ut suae, quam ut Ejus satisfaceret voluntati, a quo erat missus. Illum oportebat operari opera Ejus, a quo missus erat, quamdiu dies erat: nox appropinquabat, qua operari nemo potest (1). — Sic adeo, qui Filium non honorabat, non honorabat Patrem, qui illum miserat; qui vero Eum excipiebat, excipiebat et Eum, a quo missus erat (2). — Habebat vero testimonium majus Joanneo: opera enim, quae ipsi Pater peragenda tradiderat, quaeque ipse peragebat, ipsum a Patre missum esse testabantur. Si itaque de se ipse testabatur, verum ejus erat testimonium: noverat enim, unde venisset et quo abiret. Ipse de se edebat testimonium; sed et de ipso testabatur is, a quo missus erat, Pater. Opera, quae nomine sui Patris peragebat, haec de Eo testimonium edebant (3). — Eum adeo se dixit Jesus Dei legatum, qui major esset Jona (4). — Ipse Dei Filius ac legatus erat, ad homines missus. Hoc probabant illa, quae peragebat, opera. Haec testabantur, Patrem in ipso ipsumque in *Eo* esse. (5).

Apos-

(1) Joann. V: 30. VI: 38. IX: 4.
(2) Joann. V. 23. Matth. X: 40. Marc. IX: 37. Joann. XIII: 20.
(3) Joann. V: 36. VIII: 14, 18. X: 25. XI: 42.
(4) Luc. XI: 32.
(5) Luc. XX: 13. Joann. X: 36—38.

Jesu Apostoli item divini erant legati. Jesus eos sua instituit doctrina. Quae a Patre audiverat, cum iis communicavit, Patrisque iis nomen patefecit (1). — Praeterea divinum iis non defuturum esse promisit auxilium. Quaecunque ipsis acciderent, nunquam debebant esse solliciti de iis, quos edere ipsos oporteret, sermonibus: iis enim Spiritus Sanctus adfuturus erat auxiliator. In ultimo imprimis vitae terrestris spatio, eos Jesus de hoc divino admonuit auxilio. Quaecunque Patrem Jesu nomine rogarent, haec iis *hic* concessurus erat. Spiritus sanctus iis adfuturus erat in omnibus. Spiritus ille veracissimus eos omnia edocturus erat, et cuncta, quae Jesus iis dixerat, in eorum revocaturus memoriam. Hic ducturus erat Apostolos in omnem veritatem: non enim a se ipso locuturus, sed, quae audiisset, dicturus iisque futura annuntiaturus erat. Hic Jesum celebraturus erat; ab Eo nimirum accipiens, quae annuntiaret Apostolis. Iis vero hic adfuturus erat in perpetuum. (2)

Nec profecto haec Jesu promissa eventu caruerunt. Ille ad Dei dextram elatus, Pentecostes festo, in Apostolos largissime Spiritum effudit Sanctum

(4) Joann. XV: 15. XVII. 8, 14, 26.

(5) Matth. X: 19, 20. Luc. XII: 11, 12. XXI: 12, 15. Joann. XIV: 13, 14, 16, 17, 26. XV: 26. XVI: 7, 13, 14, 23. Act. I: 4, 5, 8.

tum (1). Hic eos duxit; eoque repleti, Jesu doctrinam annuntiarunt et explicarunt. Hunc adeo sibi adesse omnes dixerunt; ipse etiam Paulus, qui postea demum ad sacra transiit Christiana. Hic quoque sibi patefactam dixit a Spiritu Dei Jesu doctrinam; atque inde suis praesidium quaerit sententiis, quod et se Dei habere Spiritum existimaret (2). — Ita vero nunquam se ejusmodi dixerunt doctores, qui sua auctoritate novam, quam ipsi excogitassent, doctrinam annuntiarent. Semper se professi sunt ministros Apostolosque, constitutos a Deo Jesuque, a quibus hoc ipsis demandatum esset munus; legatos, neque a pluribus hominibus, neque ab uno quodam homine constitutos, sed a Jesu Christo et Deo Patre, qui eum e mortuis resuscitasset. (3)

Itaque Jesus et Apostoli se divinos dixerunt legatos (4). Neque est, quod his eorum dictis fidem denegemus. Eorum enim vitae ratio animique indoles non tantum omnem fraudis aut fanatismi removet suspicionem; verum quae dixerunt,

(1) Act. II. 1 seqq. conf. Muntinghe, *Gesch. der Mensch-heid*, Tom. II. pag. 49 seqq. Annot. pag. 13—15.

(2) Act. V: 32. 1 Cor. II: 10. VII: 40.

(3) Rom. I: 1. XV: 15 seqq. 1 Cor. I: 1. 2 Cor. I: 1. VI: 4. Gal. I: 1. et sic porro; Jac. I: 1. 1 Petr. I: 1. III: 21. Jud. vs. 1.

(4) Conf. Muntinghe, l. l. Tom. IX. pag. 288 seqq. Donker Curtius, *In welk: kinen zijn moeten wij de Lerars*. in novis Opp. Soc. Hag. 1827. Cap. I.

runt, haec etiam luculentis divinae consensionis et approbationis signis confirmata sunt. Haec vero furimus hoc loco: ulterius enim ea explicare ac demonstrare, nostri instituti ratio non patitur.

Cum vero Jesus et Apostoli nullo modo philosophos agerent; nequaquam etiam horum ratione ea, quae docebant, probare consueverant. Nonnunquam ad hominum sensum communem provocabant, quo magis suas doctrinas commendarent. — *Si quidem Deus ipsarum avium et florum rationem habet; quisque sua sponte intelligit, hominem, iis praestantiorem, ab Eo non negligi.* Si pater humanus liberis id, quod juste petunt, non negat; nemo dubitare potest, quin Pater coelestis, qui longe humanum quemque superat patrem, nihil hominibus negaturus sit, quod ipsis utile sit, quodque ab Illo precibus expetant. Si vel injustus judex justa concedit viduae, quae constanter ejus opem imploraverit; quanto magis Deus optimus preces exaudiet eorum, qui Ejus petant auxilium! Nos quum Dei simus genus, absurdum profecto est existimare, Deum auro, argento aliisve humanae artis operibus contineri. Si nos a patre humano in utilitatem nostram castigamur; quid mirum, si Pater etiam coelestis nos castiget, quo meliores evadamus (1)?

Haec

(1) Math. VI: 26—30. X: 29—31. VII: 9—11. Luc. XVIII: 6, 7. Act. XVII: 29. Hebr. XII: 5 seqq.

Haec aliaque ita quidem disputabant, ut hominum sensus communis ea, quae dicerent, probaret eaque idcirco eo facilius acciperet (1). Caeteroquin vero non solebant argumentari, nec ratiociniis uti, quibus suas probarent doctrinas.

§. 3. *Dei nomine et jussu, quae docebant, tanquam Dei doctrinas tradebant.*

Universe quaecunque docuerunt Jesus et Apostoli, tanquam Dei doctrinas tradiderunt. — Aperta hac de re ipsius Jesu sunt testimonia. Quae scimus, ait, haec loquimur, et quae vidimus, haec testamur. Mea, inquit, doctrina non mea est, sed Ejus, qui me misit. Sicut me docuit Pater meus, haec loquor. Ego, quae vidi apud Patrem meum, haec loquor. Non a me ipso locutus sum, sed qui me misit Pater, Ille mihi mandatum dedit, quid dicere me oporteat. Veritatem vobis dico, quam audivi a Deo. Quae igitur ego loquor, sicuti mihi dixit Pater, sic et ea loquor. Verba, quae ego ad vos loquor, a me ipso non loquor. Verba, quae audivistis, non sunt mea, sed Patris, qui me misit. Quaecunque a meo Patre audivi, haec vobis patefeci (2). Iteratis adeo vici-

(1) Vidd. Brink, l. l. pag 259 seqq. Amersfoordt, l. l.

(2) Joann. III: 11. VII: 16. VIII: 28, 38, 40. XII: 49. 50. XIV: 10, 24. XV: 15.

vicibus idem memorat Jesus in precibus, quas in vitae fine ad Patrem fudit. „Patefeci, inquit, Tuum „ nomen hominibus, quos mihi dedisti ex mundo. „ Tui erant, et mihi eos dedisti; et verba Tua „ conservarunt. Nunc cognoverunt, omnia, quae „ mihi dedisti, a Te esse. Nam verba, quae mihi „ dedisti, illis dedi, iique ea acceperunt; et vere „ cognoverunt, me a Te exiisse, et crediderunt, „ me a Te missum esse. Ego Tua illis dedi ver„ ba." (1). — Quapropter tantam suae doctrinae vim tribuebat Jesus, ut, qui ipsum contemnebat, contemneret Illum, a quo missus erat; is vero, qui ipsius audiret sermones Eique crederet, a quo missus erat, vitam acciperet aeternam. (2).

Apostoli vero doctrinam, quam annuntiabant, talem esse professi sunt, quae, incognita olim ac per longissima tempora silentio pressa, nunc jubente Deo aeterno, patefacta sit; quam adeo ab aeterno ad nostram salutem Deus destinaverit. Saepe eam dixerunt τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, τὸ θεῖον εὐαγγέλιον, τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ. Haec erat vera Dei doctrina, quae maneret. Illa, quam annuntiabant hominibus, Domini doctrina in aeternum perpetuabatur. Hanc adeo Paulus dixit, se non ex hominis cujusdam institutione petiisse, sed Jesu Christo patefacienti debere. Haec singulari patefactione ipsi

(1) Joann. XVII, 6, 7, 8, 14.
(2) Luc. X, 16. Joann. V, 24.

ipsi innotuerat. — Itaque dispensatores erant τῶν μυστηρίων τοῦ θεοῦ. Gaudebant eos, quos docuerunt, hancce institutionem non ut humanam, sed qualis revera sit, ut Dei doctrinam accepisse. Quicunque vero Christi doctrinam mutaret, neque in ea maneret, Deum non habebat. Si quis eos contemneret, non hominem quendam, sed Deum contemnebat, qui illis Sanctum suum impertierat Spiritum. (r)

Haec quidem valent de omnibus, quae docuerunt Jesus et Apostoli. Merito igitur eandem, quam caeteris, auctoritatem iis etiam eorum placitis tribuimus, quibus ea continentur, quae de Deo rebusque divinis fana docet ratio. Singula quidem haec non iis eo erant patefacienda modo, quo alia, quae doctrinae Christianae propria ac priva sunt, placita. Vel sic tamen divino iis opus erat auxilio, ne quid de his unquam statuerent, quod minus verum, adeoque divina patefactione indignum esset. Praeterea non minus quam caetera, haec quoque tanquam Dei doctrinae ab iis proposita fuisse censenda sunt, utpote quae cum illis arctissimo conjuncta sint vinculo. Et vero [illegible] ma-
[illegible]

(r) Conf. loca, aliquot dissertatione laudata docte Donker Curtius, item 2 Cor. XI: 7. 1 Thess. II: 2, 8, 9. 1 Tim. I: 11. 1 Petr. I: 23, 25. Gal. I: 12. Eph. III: 3 1 Cor. IV: 1 1 Thess. II: 13. 2 Joann. vs. 9. 1 Thess. IV: 8. Porro vidd. Muntinghe et Donker Curtius, l. l. ad §. 2.

magis minusve diserte hoc etiam nonnunquam de iis professi sunt doctrinis, quas nos spectamus singulatim. — Joannes: Novimus, inquit, Dei Filium venisse nobisque intelligentiam dedisse, ut verum Deum cognoscamus. Paulus autem in Areopago professus est, Deum quidem ignorantiae tempora tulisse, nunc vero omnibus hominibus ubique terrarum denuntiare, ut se emendent; id est, docente contexta oratione, ut errores corrigant, quibus in Dei notitia cultuque laborarent. Quanquam autem hanc jam emendationem institui volebat Deus; aliter fieri non poterat, quin hos, qui eo consilio mittebantur, de iis institueret rebus, quae emendandae in gentibus erant. (a)

§. 4. *Per hanc docendi rationem, quae ad Dei auctoritatem provocabat, doctrinae puritas non tollitur.*

Hunc, quem spectavimus, docendi modum multi vituperarunt, quippe rationis vires enervantem; cum ea tantum pura sit habenda doctrina, quae ex libero Rationis usu fluxerit.

Atqui, o bone! qui ita forte sentis, vide, quid dixeris. Primum animadverte, patefactionis doctrinas rationis decretis non posse repugnare. Quae enim

(a) 1 Joh. V, 20. coll. 21. Act. XVII, 30.

enim summa docet Ratio, nostrae etiam rationis unicus fons; haec iis, quae nos nostra docet argumentatio, nullo modo possunt esse contraria. Quae enim institutio ejusmodi tradat doctrinas, haec a Deo oriri non potuit. Et vero quaecunque Theologiae Naturalis placita, prouti traduntur in doctrina Christiana, ita nostrae rationis dictatis plane conveniunt.

Illa adeo hac in parte eas res communicat, quae per se verae sunt. Haec autem patefactio qui nocere possit, equidem plane non video. Hoc si contendas, ac tibi constare velis, omnem institutionem semper esse noxiam, statuas oportet. Noceat adeo filio pater, discipulo magister, amico amicus, qui rei, illi ignotae, notitiâ eum imbuat. Haec enim plane conveniunt. Quae res inter illos, eadem Deum inter atque homines locum obtinet. — Si jam contendas nocere hunc patrem, magistrum vel amicum; videris ignorare, nostram cognitionem fere omnem hoc modo esse acquisitam. Verum si hos, nisi prodesse, saltem non nocere dicas; quid est, quod aliud dicas, ubi agitur de institutione, quam cum hominibus Deus communicet? Cur Deo foret indignum, ea homines docere, quae ab omni parte non norunt, quamquam et ea forte, post longum temporis decursum, ipsi cognoscere potuisse videantur? Quid est, quod ejusmodi noceat institutio? Jesu certe et Apostolorum tempore rationem eo esse progressam, ut omnia,

quae

quae ipsa probare possit, jam cognovisset, salva fide historiae, nunquam contendes.

Verum instas. Atqui, ais, quum Deum falli non posse, credamus, propterea rationi videtur non licere inquirere in eas res, quas nobis Deus patefecerit. — Deum falli non posse, lubenter tibi concedimus. Verum, quod inde ducis, id inde duci non posse, fidenter affirmamus. Quid enim? cur rationis usum non adhibeam in iis dijudicandis, quae mihi Deus patefecerit? Illud ipsum, quod falli Deus nequeat, certissimum mihi est argumentum, sententiam confirmatum iri meam, si recte inquisiverim, riteque meam rationem adhibuerim. — Longe etiam abest, ut rationis usum religio Christiana prohibeat. Omnia inquirere docet, bona retinere. Jesus et Apostoli ipsi ad sanae rationis decreta provocarunt. Neque vero, philosophiam reprehendentes, veram illam et germanam intelligunt philosophiam, quae omnia rite investiget. Intelligunt sophisticam illam ratiocinandi rationem, quae eorum tempore obtinebat, et a qua vera philosophia plane diversa est. Hanc vero religio Christiana admittit, nec admittit tantum, sed sponte suscipit ac commendat vehementer (1). — Quapropter hoc unum patefactionis hac in causa propositum fuit, ut de his rebus vera doceret homines. Haec ta-

(1) Vid. Clarisf. van Heusde, *Init. phil. Plat.* P. I. pag. 67.

tamen quominus ulterius explicentur argumentisque confirmentur, ipsa nullo modo prohibet (1).

Sic adeo, hac docendi ratione, quae ad Dei auctoritatem provocabat, doctrinae puritas non sublata est; imo non tantum non sublata est, verum habuit eadem docendi ratio effectus longe efficacissimos maximeque salutares.

§. 5. *Eo ipso longe majorem vim habebant hae doctrinae, in hominum quorumvis, plebejorum etiam et indoctorum, animos.*

Haec tecum, qui forte parvi facis doctrinam Christianam, disceptare volumus, quo magis te huic, si fieri possit, reconciliemus.

Informemus nobis philosophum, qui omnia perfecte tradat, quae de Deo rebusque divinis nostra docere possit ratio. Ejusmodi quidem philosophus, ante Christianam doctrinam propagatam, exstitit nullus. Eum tamen esse ponamus, ne ullo modo iniqui esse videamur. — Cum hoc caeteri philosophi non omnes consentiunt. Contrarias ii defendentes sententias, pariter ad rationis quisque suae vocem provocant. Jam quis unquam existimet, huic firmam remanere posse persuasionem; imprimis si summas, quibus revera ipsius premitur doc-

(1) Conff. Lang, l. l. pag. 9. 23. Donker Curtius, l. l. Cap. III. §. 43 seqq.

doctrina, difficultates consideret? Majores quidem in aliorum doctrinis difficultates animadvertit; ipse tamen, cum sibi ea objici videat, quibus ab omni parte nequeat respondere, dubius haeret interdum. Fortasse se falsas instituisse argumentationes existimat; estque ei periculum, ne in insanum proruat scepticismum. Imo vero, licet res eo non perveniat, fieri nullo modo potest, quin firmissima ejus agitetur et concutiatur persuasio. Huic vero divinam laudes auctoritatem. Hunc fingas cognoscentem, alicubi quempiam exstitisse, qui se divinum diceret doctorem, quique suam auctoritatem firmissimis confirmaret argumentis; cujus quidem doctrina esset eadem, cui suum assensum dedisset ille philosophus. Profecto sic summam firmitatem assequitur ejus persuasio. Ipsam illam, cui fidem habuit, doctrinam ab ipso Deo, quem falli non posse novit, videt confirmatam. Jam nullis amplius agitatur dubitationibus; id parum curat, quod alii alias proferant sententias: novit enim certissimam veritatem esse suae sententiae; quam ipse nimirum Deus non aliter annuntiaverit.

Verum attendas item, quaeso, vim, quam habeat in ipsius animum illa doctrina, quam unice suae rationis ope invenerit. Hanc vim extolles maximopere; effinges sapientem, omnia ea observantem, quae a sua didicerit philosophia. Atqui, o bone! ubi id invenies, quod imagini respon-

 deat,

deat, quem suaviter ita depinxisti? Consulas experientiam: alia tua erit sententia. Cognosces fere omnes (pauci sunt, quos jure excipias) antiquos philosophos suam doctrinam habuisse rem quandam, quae disserendi facultatem exerceret ingeniique laudem compararet; ex qua vero vix ulla peterent momenta, quae ad homines consolandos emendandosque valerent. Et vero, liceat ea, quam doceant, doctrina vim habeat quandam; an hanc vim comparandam censes cum illa vi, quam in ipsius animum ea doctrina exerceat, quae divina auctoritate confirmata sit? Illa lucem, haec vero ignem affert. Haec non tantum ejus ingenium acuit, sed et ejus animum consolatur atque emendat. Cum certissime noverit, eam doctrinam ab ipso Deo profectam esse; reverentia, quam Huic debet, eum impellit, ut, omnibus intentis viribus, ad hanc doctrinam totam suam componere vitam studeat.

Verum et alios spectare debemus homines, plebejos illos atque indoctos. Quod neque tu aegre feras, qui forte ingenii hic acumine glorjaris: ad singulos enim homines religionem pertinere, facile mecum existimabis. — Hi, ea destituti doctrina, quam divina confirmaverit auctoritas, accipiant doctrinam necesse est, quam doctiores ipsis impertiant alii. At vero ne hos quidem tibi informes, facillime ea omnia accipientes, quae ipsos docuerint alii. Ne commentitium quid fectemur, sed res

po-

potius spectemus, sicuti revera sunt. Eos deprehendimus minus esse aptos, ut hac una ratione rite de Deo rebusque divinis instituantur. Quid enim? quae plerorumque philosophorum docendi est ratio? Uti solent docta ac subtili disputatione, cujus intelligendae indocti homines non capaces sunt. Philosophorum scholae eruditioribus fere unice conveniunt. Plura sunt, quae caeteros impediant, quominus ex illorum doctrina fructum percipiant.

Num itaque, inquies forte, non gaudent *sensu communi*? *nonne iis rationis* usus concessus est? Est sane. Verum quo tandem haec pertinent? An sufficit, ut cuipiam rationis usus sit concessus; si tamen hanc non rite adhibeat? Rationem enim spectes eo modo, quo soleat, non quo possit atque debeat in hominibus se exserere. Ita vero plurimis indoctis vel voluntatem vel facultatem deesse animadvertes, qua illa omnia cognoscant, quae requiruntur, ut quis unice ratiocinando percipiat, quaecunque referuntur ad Deum resque divinas cognoscendas. Et hoc observabis, vim opinionum praejudicatarum in iis esse solere efficacissimam; quin imo saepenumero pravis affectibus eo duci homines, ut agnoscere nolint, quae ei, qui rite sua usus sit ratione, sint manifestissima. Anne hos censes ratiocinando ad veram Dei perduci posse notitiam? Non existimaverim. His ea demum prodest doctrina, quae divina auctori-

toritate confirmata sit. Haec cum ab ipso Deo sit profecta; non longae requiruntur disquisitiones, quibus probetur ipsius veritas. Hanc, quamquam longa argumentorum serie non probatam, accipere licet tuto, quoniam, ut Deus ipse nequit falli, sic et alium fallit neminem. Quin adeo, quaecunque quis, praejudicatarum opinionum pravorumve affectuum vi abreptus, in contrariam partem afferat, haec divinâ, ad quam provocetur, auctoritate refutantur continuo. — Magis etiam necessaria iis hominibus divina redditur auctoritas, per insignem philosophorum discrepantiam. Quid enim? Inepti sunt ad rite intelligendam quandam doctrinam, quae ipsis a philosopho quodam impertiatur. Iidem vero qua tandem ratione dijudicent, quaenam ex variis doctrinis vera sit, quum singulae parem prae se ferant auctoritatem? Hanc vero haesitationem divina plane tollit auctoritas. Quo autem major indoctis hominibus divinae hujus, qua ipsorum persuasio confirmetur, auctoritatis adest necessitas; eo magis quoque eadem requiritur, ut in ipsorum animos doctrinae vim habeant. Si dubites, Lector! age, mihi explices, qui factum sit, ut plures, inter gentes idololatriae deditas, palam professi sint religionem Christianam; nihil vero magis antiqui evitarint philosophi, quam ut publicae religionis viderentur adversarii? Non video, cui caussae, salva fide historiae, hoc tribui possit, nisi firmiori illi persuasioni, quam in Christianis

divi-

divina doctrinae auctoritas peperisset. Et vero, si hanc etiam auctoritatem nihil valere censeas, in indoctos ac plebejos homines; prorsus non intelligo, qui factum sit, ut tam exiguam vim philosophi habuerint ad civium religionem emendandam. Imo longe aequiores sunt ipsi gentium legislatores et philosophi. *Hi* enim palam sunt professi, se desiderare patefactionem, quae certiorem sibi lucem suppeditaret. *Illi* vero exemplo docuerunt suo, quam vim divinae auctoritati tribuerent. Ut enim *Numa sibi Egeriam nympham adfuisse affirmavit: ita Lycurgus se ab Apolline adjutum fuisse* professus est, Minos a Jove, a Minerva vero Zaleucus. Quam vero hi falso sibi tribuerunt divinam auctoritatem; hanc sibi revera competere, Jesus et Apostoli firmissimis probârunt argumentis. (1)

(1) Vidd. Valk, l. l. pag. 262. Clarke, l. l. pag. 201 seqq. Muntinghe, l. l. P. IX. pag. 82. 83. Annot. pag. 53. Noesselt, l l. §. 23—25. Turretinus, l. l. pag 236, 237. Brouwer et Bruin, ll. ll. in Opp. Soc. Teyl. P. XVI passim; Buttler, l. l. pag. 236 seqq.

SEC-

SECTIO III.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS, DECRETA VARIA RATIONE ILLUSTRAVIT.

---

§. 1. *Illustrarunt haec Jesus et Apostoli per popularem et simplicem docendi rationem.*

Longe abest, ut simplicem docendi rationem, qualis hominibus, sensuum vi ductis, accommodata est, apud antiquos inveniamus philosophos, ea tradentes, quae ad Deum resque divinas cognoscendas pertinent. Simpliciorem in Socrate rationem deprehendimus, si Xenophontis legimus Memorabilia. In caeteris fere subtiliorem disputandi modum observamus; eum quidem, qui tantum abesset, ut ullam vim haberet in hominum sensus, ut potius ab homine indocto vix et ne vix quidem posset intelligi.

Lon-

Longe aliter comparata erat docendi ratio, qua usi sunt Jesus et Apostoli. Omnia summa docuerunt simplicitate; eam adeo popularem atque intuitivam fere (ut barbare dicamus) docendi rationem secuti sunt, qua hominum veluti oculis suas doctrinas admoverent. Eas nimirum, per imagines a rebus, in sensus incurrentibus, ductas, illustrarunt. Jesus, ut doceret, Deum hominum gerere curam, auditores respicere jubet coeli aves, quae nec serant, nec metant, neque in horrea congerant, quas tamen Pater coelestis nutriat; — respicere eos jubet agrorum lilia, quae nec laborent, nec neant, quae tamen eo ornatu Deus vestierit, qui Salomonis longe superet splendorem; — attentos eos reddit ad passeres, qui parvo pretio vendantur, quorum tamen ne unus quidem decidat in terram, nolente Deo Patre. — Paulus vero Lystrae incolis pluviam ac frugifera tempora revocat in memoriam, quae ipsis Deus benigne concesserit, implens eorum animos cibo ac laetitia (1). — Ad ea, quae apud homines accidere solent, advertunt hominum animos, quo magis suas doctrinas iis commendent. Quod pater humanus filio petenti non negat; id quanto minus unquam hominibus negabit Pater coelestis? Si humani patres suos castigant liberos; quid mirum, si probos Deus castiget, quo majores in pietate fa-

(1) Matth. VI: 26, 28, 29. X: 29. Act. XIV: 27.

faciant progressus? Si quidem judex injustus viduam, ipsius opem sedulo implorantem, tandem exaudit; quid est, quod probi dubitent, utrum ipsorum preces Deus exaudire velit? (1)

Jesus imprimis parabolas abhibuit, quibus suas doctrinas illustraret. Sunt illae potissimum egregiae, quibus exponit Dei benignitatem in hominem improbum, qui ad meliorem frugem redierit. Haec quidem benignitas similis est curae, qua bonus pastor ovem amissam prosequitur, omni virium contentione id agens, ut salvam eam recuperet. Haec similis est sollicitudini, qua mulier unum, quem amiserit, assem omni ratione requirere studet. Haec adeo similis est intimae caritati, qua pater eum recipit filium, qui, ubi omnia dissoluta sunt et perdita, animi mutatâ sententiâ, ad eum, poenitentia ductus, redit. (2). Ejusmodi hae caeteraeque sunt parabolae, ut intimam animi humani prodant cognitionem; ut continuo quemlibet moveant ac capiant; ut cuivis homini earum lectio placeat, decies eadem repetita placere non desinat.

Magna hujus docendi rationis vis est in homines; quos novimus per ea potissimum commoveri, quae sensibus externis admoventur. Hinc adeo in-

(1) Matth. VII: 9—11. Hebr. XII: vs. 5 sqq. Luc. XVIII: 1 seqq.
(2) Luc. XV.

intelligimus, quae efficacia iis, quae sensus nostros afficiant, disputationibus tribuenda sit. Per has enim doctrinae firmiter auditorum insiguntur atque imprimuntur animis. Facilis iis redditur earum rerum intelligentia, quae caeteroquin cognitu difficillimae essent. Quas res satis intelligunt, earum ita firmior in iis exsistit persuasio, ac major simul in vitae commodum usus. Per calamitates pressis iis solatium affert vel una, exempli gratia, avis praetervolans, cujus quoque ipsius curam gerere Deum *sibi persuadent*; — unum item conspectum in agro lilium, cui, quamvis leve videatur, pulcherrimam tamen Deus formam concesserit; — unus tandem parvo pretio venditus passer, quem ipsum Deus nunquam obliviscatur. Profecto ejusmodi vis subtilibus philosophorum nullo modo inerat argumentationibus. (1).

§. 2. *Sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta illustrarunt, cum Dei unitatem fundamenti loco ponerent.*

Dubitatum esse, utrum gentium philosophi puram

(1) Vidd. Clarke, l. l. P. II. pag. 225. Brink, l. l. pag. 256 seqq. Valk, l. l. pag. 36, 37, 261, 262. Muntinghe, l. l. P. IX. pag. 248 seqq. ann. pag. 111 sqq. Bogue, l. l. pag. 150, 151. Amersfoordt, in *Oratione de popularitate religionis Christ.*

ram Dei unitatem crediderint, supra jam significavimus. Occurrunt apud eos loca, quibus hanc probari facile quis existimet; in quibus nempe de summo Deo ita loquantur, ut ad Eum unum omnia referre videantur. Fuerunt item, qui eundem Deum variis nominibus coli censerent. Hi maxime ad posteriora pertinent tempora. — Vel sic tamen promiscuus, quo vel *Dei* vel *deorum* mentionem facerent, usus dubitandi praebet caussam, utrum eo sensu unum professi sint Deum, quo nos eum profitemur; an vero supremum quendam inter varia numina Deum esse crediderint. Hoc itaque licet non dirimamus; id certe constat, eos Dei unitatem fundamenti loco non posuisse.

Aliter egerunt Jesus et Apostoli. Hi Dei unitatem omnium, quae de Numine docuerunt, fundamentum posuerunt firmissimum. Est haec doctrina fundamentum institutionis jam Mosaicae; quod vel ex primo Geneseos capite satis manifestum est. Quotquot deinceps ad Israëlitas divini missi sunt legati, hi eandem doctrinam commendarunt perpetuo. Hanc vero ita tenuerunt Jesus et Apostoli, ut, in eorum tota institutione, principatum teneat haec doctrina. (1)

Quantopere ipsi hac re sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta illustrarint, facile intelligitur. Haec enim doctrina viam demum sternit, ut

(1) Vid. supra Sect. I. §. 8. pag. 27.

ut Dei perfectiones atque opera rite perspiciamus. Plures nimirum si ponamus deos, qui se invicem adjuvent, ita ut in iis summa sit consensio; multum detrahitur divinae omnipotentiae sapientiaeque, quae se in creationis ac gubernationis actu manifestet. Nullus per se sufficit, sed mutuo suo invicem indigent cuncti auxilio. Itaque nullus per se ea gaudet omnipotentia ac sapientia, quae ab omni parte perfecta sit.

Atqui reponet forte quispiam: „Si plures tibi „fingas deos, singulos summe perfectos, atque „ita plane consentientes, quid hoc divinae nocet „perfectioni?" — Ei hoc modo non noceri, agnosco lubentissime. Verum plane non existimo, ita argumentari rationem sibi relictam, quae Dei naturam ejusque inquirit perfectiones. Nos, qui divino beneficio meliores accepimus notitias, ita forte possimus loqui. Vix vero ac ne vix quidem eum plurium deorum perfectorum consensum cogitare potest ratio. Haec multo magis, si plures deos profiteatur, eos finget singulos per se, caeterorum ratione non habita, operantes, a se invicem remotos, quin eorum alios alia agentes. — Nulla vero res est, quae magis verae Dei cognitioni noceat. Nimirum ita Dei, quae vere ita dicitur, perfectio sibi constare nequit. Nonne enim facile alter Deus aget, quae non cogitaverit vel exspectaverit alter? — Hinc vero sequitur, ut vel unus eorum, vel singuli illi non pos-

possint in omnia agere vi sua, scientia ac sapientia. Itane vero Dei libertas independens potest remanere? Hac autem sublata, Dei sanctitas, justitia ac benignitas magnum patiantur detrimentum, necesse est.

Qui plures deos ponit, hic facile alterum altero majorem minoremve finget. Qui vero Deus alio minor sit, hic perfectissimus esse nequit. Talem igitur Deum si quis posuerit, quomodo huic rectam Numinis tribuamus notitiam? Hic enim Dei perfectiones et opera nunquam rite perspecta habebit. Quin imo deorum plurium cultus hominem eo facile adducit, ut alterum alteri tergiversantem sibi informet; atque ut et boni et mali principium quoddam aeternum esse existimet. Hoc vero sumto, Deus omnipotens esse nequit. Ei enim repugnat adversarius, qui efficit, ut omnium rerum curam rite habere non possit. Ipsius igitur regimini non prorsus omnia subjecta sunt. Oriuntur ita dii, qui nec omnia creaverint, nec omnibus rebus prospiciant.

Haec vero cum ita sint, jure affirmamus, Jesum et Apostolos illustrasse eas, quas de Deo rebusque divinis sana tradit ratio, doctrinas, cum fundamenti loco Dei unitatem ponerent. — Haec enim rite perspecta efficit, ut eam Dei nobis informemus notionem, qua omnium perfectissimus sit, atque omnes in se proprietates ita contineat, ut hae perfectiores nequeant cogitari; ut omnia una sua potentia procreaverit; ut singularum rerum

crea-

creaturum diligentissimam gerat curam, atque gubernatione sua totum mundum singulasque ejus partes complectatur. — Verbo: ita demum Deum nobis illum informamus, ex quo, per quem et ad quem sint omnia, cui laus et gloria debeatur in aeternum. Haec est adeo ejusmodi doctrina, quae animos nostros unico eoque suavissimo erigat solatio; quae nos ad inconcussam in Deo fiduciam collocandam adducat; quae nos omnes naturae nostrae socios intimo complecti amore doceat. (1)

§. 3. *Addiderunt decreta, quae quidem sana probare potest ratio, nullus tamen docuisse videtur philosophus antiquus.*

I. Quae vere de Dei proprietatibus dixerunt philosophi antiqui, haec saepenumero multo plenius a Jesu et Apostolis sunt exposita. In his Dei imprimis in censum venit benignitas. Quae de illa apud philosophos occurrunt, imprimis quae de ea Balbum Stoicum, in Ciceronis *de nat. Deorum* Lib. II, disserentem audimus, haec ita sunt comparata, ut animum nostrum summa erga Deum veneratione imbuant. Verum ne haec quidem iis aequiparanda sunt, quae dixerunt Jesus et Apostoli; qui semper Deum placida illa Patris adumbrant imagine, qui Eum benignum erga justos in-

(1) Vidd. Valk, l. l. pag. 45—59. Brouwer, l. l. pag. 28.

injustosque dicunt, qui Eum ipsis avibus suam demonstrare benignitatem affirmant. (1)

II. Nullus antiquorum philosophorum materiae mundanae originem a Deo repetiit. Prorsus omisit hanc rem Socrates. Censuit vero Plato, ab omni aeternitate materiam quandam exstitisse, omnibus attributis orbatam, quae neque ignis, neque aër, neque terra, nec aqua esset, in quamvis vero harum naturarum facile mutari posset, atque hinc, divinae mentis vi, omnia elementa, quaeque ex illis conflata sunt, effecta esse (2). — Universe Deum vel Deos mundum *formasse*, non vero *creasse*, affirmarunt. Placebat haec iis opinio, quae similium rerum exemplis posset illustrari, et vero ad mali physici ac moralis originem explicandam accommodata videretur.

Verum longe plenior Jesu et Apostolorum hac de re est doctrina. Hi Dei manum omnia fecisse docuerunt. A Deo, uno cuncta repetunt, ad Eumque unum auctorem omnia referunt, qui solo suo verbo hoc creaverit universum; ut creata sint, quae nunc conspiciuntur, quum antea *nihil* exstiterit (3). — Est vero haec doctrina summi momenti. Nisi enim materiae quoque originem a

Deo

(1) Vid. Valk, l. l. pag. 41.

(2) Vid. Meiners, *hist. doctr. de vero Deo*, P. II. pag. 403.

(3) Vid. supra, Sect. I. §. 3. pag. 37.

Deo repetieris, non est, quod inconcussam in Deo reponere possis fiduciam. Semper quaedam res adest, quae plane sit sui juris, quamque adeo libero suo regimini subjicere Deus nequeat. Et vero dubius haerebis perpetuo, quaenam bona Deo, quaenam vero tribuenda sint aeternae illi materiae. Quod quantum verae, quae omnia Deo accepta refert, pietati noceat, facile intelligitur.

III. Neque ullus antiquorum Philosophorum eam docuit *Dei providentiam*, quae res etiam minimas complectatur. Egregia sunt, quae de divina cura disseruit Socrates. Deum res omnes, quas mundus complectitur, continere et gubernare, et hominum praesertim generi consulere ac providere, docebat. Provocabat ad constantem rerum omnium continuationem, quam exsistere posse negabat, nisi quis tantae rerum moli praesideret, cujus nutui omnia pareant atque subjecta sint. Provocabat ad insignia illa beneficia, quae, prae caeteris rebus inanimatis animantibusque, hominum generi benigne concessa sint. Quod vero Numen hominibus tot tantaque dederit, ab eodem eos negligi posse, sibique plane derelinqui, negabat. Itaque omnia bono proboque prospere evenire, ipsique, neque vivo neque mortuo, invito vel inscio Deo, accidere posse quidquam, persuasum sibi firmiter habuit. Plato Deum docuit, neque negligentia, neque mollitie, neque alia quadam pravitate, a dignissimo Ipsius majestate negotio, nem-

pe rerum gubernatione, posse avocari; et vero magnopere errare eos dicit, qui magna quidem curare, parva vero negligere Deum existiment; praestantissimam enim et sapientissimam Naturam ne minimas quidem res sine flagitio negligere posse. Eo adeo processit, ut bono infelicitatem metuendam esse negaret. — Stoici vero, pro defendenda Dei providentia, ea attulerunt argumenta, cum aliunde ducta, tum imprimis ex rerum omnium et humanae potissimum praestantiae consideratione, ut vel pertinacissimo providentiae hosti confessionem illam exprimere potuisse videantur, inesse in hac coelesti et divina domo aliquem non solum habitatorem, verum etiam rectorem et moderatorem. (1)

Vel sic tamen Jesu Apostolorumque doctrinam multo fuisse pleniorem, jure affirmare mihi videor. Qui praeclara illa docuit Plato, idem ille sibi persuasit, summum mundi rectorem certis quibusdam temporibus ab illius administratione, tanquam a laborioso negotio, requiescere et, gubernaculis e manibus demissis, rerum universitatem sibi ipsam relinquere; quoties vero Deus ab opere facessat, extemplo irrequietam illam, atque divina potestate vixdum coercitam, animam in pristina scelera erumpere, atque omnem mundum immo-

(1) Vid. Meiners, l. l. P. II. pag. 379, 409 seqq. 480, 481.

moderatis motibus arietare; quibus sine dubio res omnes in antiquam confusionem praecipitarentur, nisi Deus laxatas per aliquod tempus mundi habenas resumeret. Balbus, gravis ille divinae providentiae defensor, a diis magna curari dicit, parva vero negligi (1). — Longe ejusmodi qualiscumque defectus ab eâ, quam tradiderunt Jesus et Apostoli, abest doctrinâ. Docuerunt hi, quod nullus unquam docuerat, ipsos nostri capitis capillos omnes esse numeratos; ne passerem quidem, qui parvo venditur pretio, Dei exemtum esse curae; ipsos eos campi flores, qui neglecti abscinduntur, una cum gramine, Deum sua prosequi cura provida (2). — Haec autem doctrina unice hominum apta est solatio, itemque accommodata, ut firmam nobis in Deo fiduciam praebeat. Atque ita demum ea Dei notio exsistit, quae Eum, ab omni parte perfectissimum, summe venerandum, nobis exhibeat.

IV. Jesus et Apostoli sua etiam doctrina animi immortalitatem, plenius, quam ullus antiquorum Philosophorum, exposuerunt. Saepius observare jam nobis licuit, quam dubiae et mancae hac de re Philosophorum essent sententiae. Eam fere memorarant tanquam ἀγαθὴν quandam ἐλπίδα; quam in-

(1) Vid. idem l. l. P. II. pag. 405 et 406. Cicero, *de nat. deor.* Lib. II. Cap. 66. pag. 38.

(2) Vid. supra Sect. I. §. 3. pag. 38.

infirmis faepenumero probarent argumentis, vel commentitiis etiam adulterarent opinionibus. Jefus et Apostoli firmisfime eam tenuerunt; ejus notionem conjunxerunt cum justae fapientisque providentiae notione; nec vero ullas ejus unquam dederunt defcriptiones, quae minus fanae fint, vel imaginationis commenta redoleant. — Ita vero divina justitia, fapientia ac benignitas egregie illustratur, et vero firmisfimum ftabilitur fundamentum, quo omnis nostra virtus nitatur, erigatur ac confirmetur. (1)

§. 4. *Jefus fe, Patris imaginem gerentem, hominibus monftravit.*

„Qui me vidit, Patrem vidit." Haec Jefus Philippo dixit, qui Patris accuratiorem defideraret notitiam. Cognoscendum nobis ea praebent Jefum, qui Patris in hac terra gereret imaginem. Eum adeo et Paulus *εἰκόνα* vocat *τοῦ ἀοράτου Θεοῦ*, quo in loco, quae inter voces *εἰκὼν* et *ἀόρατος* est oppofitio, ea cuivis fe fponte fua manifestat. (2) — Unice aptus erat Jefus ad Patris imaginem hominibus exhibendam; qui nimirum, prorfus fingulari ratione, Dei Filius esfet; naturam humana majo-

(1) Vidd. Valk, l. l. pag. 248 feqq. Turretinus, l. l. T. I. pag. 231.

(2) Joh. XIV: 9. Colosf. I: 15.

jorem eamque divinam haberet; qui Deum Patrem ſuum ἴδιον diceret, cui Pater dedisſet ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ. — Deſcendit Hic e coelo humanamque naturam induit, ut homo hominum ſaluti proſpiceret. Eâ adeo adſumtâ naturâ, quae propria est mortalibus, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος (1). Quamvis vero ſuae majestatis ſplendorem hominum tegeret oculis, vel ſic tamen ſaepius eos illius radios emiſit, qui in ipſo Dei imaginem conſpiciendam praeberent. Audiamus eum Philippo dicentem, a ſe ipſum, quum lateret ſub ficu, jam conſpectum esſe. Hac in re Dei illam agnoscimus ſcientiam, cui omnia, quae hominum conſpectum fugiant, ab omni parte aperta atque nota ſint. Quae est illa Jeſu vox: „ Potestatem habeo meam deponendi vitam, ac potestatem habeo eandem reſumendi?" Nonne haec eam nobis Dei depingit potestatem, qua pro libera ſua voluntate quaevis faciat? — Audiamus Jeſum de Corazim et Bethſaida judicantem, quum eorum reprehendit perverſitatem, quae ſit ejusmodi, ut Sodomae Gomorraeque incolas levior poena maneat. Dei adſpicere nobis videmur aequam illam justitiam, quae ſingulis pro ipſorum agendi ratione aequisſime retribuat. — Illam attendamus ſeveritatem, qua externam, quam prae

(1) Phil. II: 6 et 7.

prae se ferebant Pharisaei, pietatis speciem improbat. Imaginem sanctitatis illius divinae conspicimus, quae non respiciat externam conditionem, verum internam animi puritatem ac sanctitatem postulet. — Cogitemus Jesum undis imperantem, ac ventorum vim uno cohibentem verbo. Dei adumbratam videmus omnipotentiam, qua omnia, quae velit, producit iisque, quae nondum sint, originem praebet, ut exsistant. — Eum nobis informemus, sanitatem aegrotis afflictisque reddentem, inque vitam revocantem mortuos. Dei admiramur vim, qua efficit, quae mortalium nullus unquam efficere valeat. — Quin adeo eum conspiciamus, ubicunque omnibus felicitatem impertiatur et salutem; ubicunque miseris opem, aerumnosis solatium, debilibus auxilium afferat; ubicunque doleat aliorum calamitates, perversitatem aliorum misereatur, ipsis suis hostibus bene cupiat. Haec omnia Dei nobis conspiciendam praebent benignitatem, qua in omnes beneficia confert, in justos et injustos pluviam demittit, iisque pariter concedit solis beneficium, qua neminem unquam perire cupit, sed omnes ad saniorem mentem redire vult, qua et eos, qui maxime se Ipsi ingratos praestiterint, paterno tamen amore complecti non desinit.

At vero quo mea ruit oratio? An singula illa divinae majestatis indicia memorem, quae in Jesu vita nobis occurrunt? Aggredi reformido rem, quae ejus-

ejusmodi est, ut nullius tantum ſit flumen ingenii, nullius dicendi aut ſcribendi tanta vis ac copia, qua ea ab omni parte rite deſcribatur. Ut enim verbo totam rem complectar, in Jeſu agendi cogitandique ratione non tantum optimi hominis, doctoris ſapientisſimi, maximi prophetae, agendi cogitandique rationem vidémus, verum ipſam Dei agendi cogitandique rationem, cujus imaginem per totam vitam hominibus monſtraret.

Unica haec est ratio, qua Jeſus Dei perfectiones illustravit; prouti in mortalium omnium myriadibus unicus Ipſe exſtitit. Est vero eadem, una in paucis, hominibus accommodata iisque utilisſima. Eam enim hominis naturam esſe novimus, ut rationalis quidem ac moralis ſit, verum idem etiam experiatur vim ſenſuum. Quae vero a ſenſibus ſunt remota, horum non aliam facile, niſi imperfectam, cognitionem ſibi quis acquiſiverit. Quae nostros feriunt ſenſus, ea maximam in nos fere vim habent. Multo facilius in horum nos inſinuamus notitiam, quam in eorum, quae tantum ratiocinando asſequi posſumus? Nihil vero reperitur, quod a ſenſibus nostris ſit remotius, quam Dei notitia. Hanc vero quomodo nobis ope ſenſuum reddemus faciliorem? An imagines, humana arte fabricatas, Dei quaeremus ſymbola? An, in quibusvis hominibus egregiis, plenam Dei imaginem conſpicuam esſe cenſebimus? Timeo, ne non tantum inanes, ſed et noxii ejusmodi futuri ſint

fint conatus. Quod ex Phidia, quum Jovem confecisfet Olympium, quaefivit Dio Chryfostomus, an rite operam dedisfet, ut dignam illius Dei imaginem conficeret, quam ab hoc tempore tota fpectaret Graecia? — illud in omni hac re obfervandum est. — Atqui nulla fimulacra, nulli etiam praeter Christum homines, eam Dei praebent imaginem, quae Ipfius majestati conveniat. Hanc unice Jefus fuppeditavit. Ipfe Dei Filius ita fe gesfit in hac terra, ut jure diceret: „ qui „ me vidit, vidit Patrem." — Quapropter ejus aequales non tantum ipfius de Numine doctrinam acceperunt, verum in ipfo quoque, Doctore fummo, Dei majestatem confpexerunt adumbratam. Nos autem, licet ipfum Jefum nunquam confpexerimus, vel fic tamen, per fimplicisfima illa monumenta, quae Ejus continent historiam, Patris in eo imaginem plane depictam confpicimus. (1)

§. 5. *Sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta Jefus et Apostoli illustrarunt, per pofitivas fuas doctrinas.*

Duo funt, quae hic potisfimum in cenfum veniant. Per pofitivas enim fuas doctrinas illi, *cum* univerfe rationis decretis novam vim addiderunt, *tum*

(1) De toto hoc argumento vid. Muntinghe, *Gefch. der Menschheid naar den Bijbel*, P. IX. pag. 102 feqq.

tum et peculiaria decreta nova luce collustrarunt.

I. Arctisſime cum poſitivis ſuis doctrinis rationis decreta conjunxerunt. — Univerſé nonnunquam, ad Christianae doctrinae placita reſpicientes, ſimul eas Dei memorarunt proprietates, quas ſana docet ratio. „ Fidelis, inquiunt, Deus est, per quem „ vocati estis ad communionem Filii ejus Jeſu „ Christi, domini nostri. Fidelis ille, qui vos vocat, „ qui et datam fidem ſervabit. Sanctus ille, qui vos „ vocavit" (1). — *Quas in his locis* memorant Dei fidelitatem et ſanctitatem, easdem probat ratio. Ab eodem vero Deo *vocatos*, id est, ad fidei Christianae confesſionem adductos, esſe Christianos, affirmant.

Nonnunquam poſitivas doctrinas memorantes, ſimul ea attulerunt, quae ſana docet ratio. — „ Ut Pater, inquit Jeſus, ſuscitat mortuos et in „ vitam reducit, ſic et Filius, quos vult, in vi- „ tam revocat. Ut Pater habet vitam in ſe, ſic „ dedit et Filio vitam habere in ſe." Patrem esſe omnipotentem vitamque habere in ſe, etiam ſine patefactionis ope, demonſtrare posſimus; quae vero ad Jeſu conjunctionem cum Patre pertinent, haec patefactae doctrinae priva ſunt. Utrumque vero his locis una complexus est Christus (2).

Ad-

(1) 1 Cor. I: 9. 1 Theſſ. V: 24. 1 Petr. I: 15.
(2) Joh. V: 21, 26.

Afferunt Jesus et Apostoli ea, quae item nostra docet ratio, ut demonstrent illustrentque positivas suas doctrinas. Ut Jesus indicavit difficultatem, qua divites suam accipiant doctrinam, discipulorumque hac de re animadvertit commotionem: apud homines, inquit, hoc fieri nequit, apud Deum vero omnia fieri possunt. Jam vero Deum nobis, ut recte agamus, suo adesse velle auxilio ratio nescit; quae vero hac in re Dei potentia cernitur, hanc et rationis ope probare possumus. — Judaeis Jesum dicentem audimus: „ Si vos mali sciatis bona dare „ vestris liberis, quanto magis Pater coelestis Spiri- „ tum suum Sanctum iis impertiet, qui Ipsum pre- „ cantur!" Quod in hoc loco Spiritus Sancti donum memoratur, propria haec est Codicis sacri doctrina; Dei vero immensam benignitatem, quae Patrum humanorum benignitatem longe superet, rationis etiam ope cognoscimus. Observatur idem in illo dicto Joannis: „ si nostra confiteamur peccata, fidelis „ est Deus et justus, ut peccata nobis remittat, ac „ nos purget ab omni injustitia." Quo quidem in loco quae afferuntur, ut nostra de peccatorum remissione animique emendatione fides confirmetur, Dei nimirum fidelitas et justitia, has perfectiones sana etiam agnoscit ratio (1).

Ponunt etiam et confirmant Jesus et Apostoli sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta, per po-

(1) Matth. XIX: 26; Luc. XI: 11—13; 1 Joh. I: 9.

positivas suas doctrinas. Quaecunque de mortuorum resurrectione, ac de Jesu Christo, hominum judice constituto, pronuntiant, haec ponunt, novoque quasi argumento probant nostrorum animorum immortalitatem. In ratione, qua Deus per Jesum Christum nobis peccatorum veniam, animi emendationem vitamque aeternam concedit, divinam agnoscunt sapientiam, potentiam, imprimis vero benignitatem. Nimirum Euangelium Θεοῦ σοφίαν vocant; eximiam divinae potentiae magnitudinem *Christianis demonstratam* dicunt; Dei extollunt amorem, qui ita mundum amaverit, ut unigenitum suum dederit Filium, ut quisque Ei fidem habens non pereat, sed vitam habeat aeternam; — qui ita suum nobis amorem confirmaverit, ut pro nobis, etiamnunc peccatoribus, mortuus sit Christus. Quin adeo cum Deus Filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus Eum tradiderit; hoc, iis auctoribus, certissimum nobis est documentum, Eum cum Illo nobis omnia esse largiturum. (1). Ita vero singulas illas Dei proprietates, a nostra ratione agnitas, novo quasi praesidio firmant et illustrant. — Universe autem hac, quam diximus, utriusque generis decretorum conjunctione factum est, ut, quoties positivas suae religionis doctrinas Christiani attenderent, aliud etiam agentes, ad eas res cogitandas et profitendas per-

(1) 1 Cor. I: 24; II: 7; Ephes. I: 19; Rom. V: 8; VIII: 32.

perducerentur, quas sana nostra nos docet ratio. Quo plures rei cujusvis partes nostro se conspectui offerunt, eo magis perspicua et firma cognitio redditur, qua eam complectamur. Quum itaque positivae illae doctrinae, quas tradiderunt Jesus et Apostoli, novum veluti modum indicarent, quo sanae rationis de rebus divinis decreta possint considerari, hac re his novam vim fuisse additam, atque haec ita quoque esse illustrata, nemo est, qui jure dubitet.

II. Verum magis etiam haec illustrarunt, quum, per privas sibi doctrinas, peculiaria decreta nova luce collustrarent. — Spectemus modo doctrinam de Deo *Patre* nostro; tum ea, quae, contra Dei bonitatem, sapientiam, justitiam, ex depravata hominum conditione petuntur, argumenta; tandem, aenigmaticam nobis, conjunctionem inter summam Dei bonitatem ac justitiam.

Patrem venerari Deum jubet ratio. Quodsi spectamus benignam illam curam, qua commoda nobis Deus suppeditavit quam plurima; si nostri corporis consideramus fabricam; si praeclaras, quas mentibus nostris Deus indidit, facultates animadvertimus; si attenti modum observamus, quo nos Deus conservet gubernetque; — profecto stupidus sit necesse est, qui Dei benignitatem paternamque, qua nos complectitur, curam neget aut in dubium vocet. Verum praeclaras, quibus praediti sumus, dotes saepe negligimus. In intimo animo nostro

vo-

vocem audimus, quae nos de divina admoneat justitia. Quare omnes nos, saepenumero in varii generis peccata prolapsi, Dei timemus indignationem; nec immerito. Quem enim benignissimum colimus, Eundem quoque veneramur sanctissimum justissimumque nostrum judicem. Ita vero concutitur animi nostri fiducia, ejusque locum gravissimus saepe horror occupat. Multa in nos collata videmus beneficia; sed tamen saepe quoque cum peccato poenam conjungi animadvertimus. Siccine vero uni nostrae rationi relictis, tuto nobis licet firmam semper de Deo, Patre nostro, habere persuasionem? Non existimaverim. — At vero si Jesu et Apostolorum doctrinam audiamus; quali luce haec nobis illustratur doctrina! Hi Deum *Patrem* esse nostrum eo docent modo, quo ratio, sibi relicta, Deum sibi informare nequeat. Jesus Deum *Patrem* esse omnibus annuntiavit; ac *Patrem suum* Deum in precibus vocare docuit discipulos. Paternum Dei in homines amorem ita descripsit, ut major cogitari ille nequeat. Imaginem affert filii, qui, patris domo relicta, perversissime egisset, sed qui resipiscens patrem suum repetat. Hic, quamquam patris favore se indignum reddiderit, adeoque eum vix adire audeat, benignissime tamen ab illo excipitur. Hanc Dei Patris Jesus nobis dedit imaginem. Neque aliam hic doctrinam professi sunt ejus Apostoli. — Deum vocarunt *Patrem*; de Deo, Patre nostro, de

de nostro Deo et Patre, loquuntur ſaepenumero. Omnes adeo Christiani Deum *Patrem*, ſeque Ejus liberos agnoscere debent. Oportet eos adeo, tamquam Dei filios, eſſe integros, omnique labe expertes, ac Deum imitari, ut dilectos liberos. Sic eos illustrisſima manent praemia: quodſi enim Dei ſumus filii, haeredes quoque ſumus, haeredes Dei, Christi cohaeredes. Dignitate filiorum Dei ornati, Ei erimus ſimiles, Eumque, qualis est, cognoscemus. Eum adeo Christiani accipiunt ſpiritum, qualis est filiorum, quo Deum Abba Patrem adeant (1). Profecto ſi quid aliud, hanc certe rem ſuis doctrinis ita illustrarunt Jeſus et Apostoli, ut nihil ſit, quod jure deſideres.

Verum ea quoque ſpectemus, quae contra Dei bonitatem, ſapientiam, justitiam, imprimis ex depravata hominum conditione ducuntur, argumenta. — Malum morale Deus permiſit; prolapſi ſunt in peccata homines. Qui tandem hoc conveniat Dei bonitati, qua omnibus nulla non ratione beneferi cupiat; Ejus ſapientiae, qua hominum perfectioni optima quaeque adhibeat ſubſidia; *Ejus* aequitati, qua ab homine non postulet, quae homo perficere nequeat; quum tamen conſcientiae nostrae vox delinquentes nos accuſet perpetuo? — Habet omnino, quod reponat ratio. Provocat ad [illegible] ar-

(1) Loca, quae huc pertinent, attulit, totamque rem illustravit Muntinghe, l. l. p. IX. pag. 97 ſeqq. X. pag. 77 ſeqq.

arctos scientiae nostrae limites; derivandum esse malum morale ostendit ab hominum libertate, quam sine magno nostro detrimento tollere Deus non potuerit; monstrat virtutem, quae hac ipsa re suam manifestet praestantiam; observat Dei sapientiam, justitiam, longanimitatem, potentiam sanctitatemque, quae vel sic tamen eluxerint. — Verum nova lux oritur, quum Jesu Apostolorumque doctrinas cognoscamus. Per ipsam nunc mali moralis permissionem datam videmus opportunitatem, ut, tradito pro peccatoribus Dei Filio, immensa Dei manifestaretur philanthropia. Quid est, quod dubitemus de Dei bonitate, Ejus negemus sapientiam, vel infitias eamus aequitatem; quum, licet homo variis modis peccet seque miserum reddat, Deus tamen ita mundum amaverit, ut pro eo suum dederit Filium; quum ex Ejus consilio Jesus se pro nobis tradiderit, ut nos ab omni impietate liberaret, et populum sibi proprium rectoque factorum studiosum consecraret; cum precantibus omnibus Spiritum suum impertiat Sanctum, cujus auxilio emendemur et ad sanctitatem reducamur (1)?

Sed imprimis hoc loco cogitanda est ea, quae ceteroquin aenigmatica fuisset, conjunctio inter sum-

(1) Rom. V: 10; Joh. III: 16; Tit. II: 14; Luc. XI: 13 coll. Tit. III: 5; 1 Cor. VI: 11.

ſummam Dei bonitatem et justitiam. Cum ſit Deus benignisſimus, adeoque felices reddere velit naturas rationales easque quamplurimas, ſperamus, fore ut nostra nobis ipſe condonet peccata. At vero eundem Deum novimus esſe justisſimum. Postulat haec Dei justitia, ut poenis inflictis moralium legum ſanciatur auctoritas. Itaque metuimus, ne divina poena nostra perſequatur malefacta. Adimus philoſophos, a quibus petamus ſolatium; ſed vero vel nihil certi nobis indicant, vel ſuam profitentur ignorantiam, vel veniae locum nullum esſe; justisſimum apud judicem mundique moralis gubernatorem, pronuntiant. Multorum quidem delicta hic certe impunia esſe videmus, atque ita veniae ſpem aliquam agitati nostri concipiunt animi. Verum quae ſequelae delictorum alios, eosque etiam, qui poenitentia ducti ſunt, perſequuntur, ſpem nostram infringunt denuo et imminuunt. Haec vero aenigmata, quantum nostra patitur tenuitas, ſolvit doctrina Christiana. Haec Jeſum docet Deo obedivisſe, miſera conditione humana vixisſe, dira multa pasſum, imprimis mortuum fuisſe, ut peccatorum remisſionem, animi emendationem, vitamque aeternam nobis compararet. Peccatorum enim causſa, Jeſus aliquando pasſus est, justus pro injustis; ut nos ad Deum adduceret. Nostrorum peccatorum cauſa pasſus est, ut nos per Eum justi declaremur. Remisſionem peccatorum per ejus ſanguinem accepimus. Eius morte cum Deo reconcilia-

liati (1). — Multa quidem ſunt hac in re, quae, in hoc vitae ſtadio, pervestigare nobis non liceat. Vel ſic tamen haec, quae oritur ex conjuncta divinae justitiae et bonitatis conſideratione, difficultas ea ratione tollitur, quae nostro ſolatio imprimis apta, ſimulque noſtrae exercendae virtuti unice accommodata ſit. Si quis enim deliquerit, cauſae patronum apud Patrem habemus, Jeſum Christum justum, qui expiator est nostrorum peccatorum (2). Verum ab altera tamen parte, non niſi per fidem vitaeque emendationem promisſam ſalutem nanciscimur. Hic demum, qui fidem habet Jeſu Christo, vitam habet aeternam, qui vero Filio non fuerit obediens, eam haud accipiet. Illi demum, qui credit, Euangelium Dei vis est ad ſalutem. Nec vero quis ad regni divini ſocietatem admittitur, niſi ipſius animus renovatus ſit. Hic demum in aeternum felix manet, qui Dei obtemperat voluntati (3).

Nihil est, quo magis illustrentur rationis de rebus divinis decreta. Ille enim nodus erat, quem ne perſpicacisſimus quidem ſolvisſet philoſophus, qui ta-

(1) 1 Petr. III: 18; 2 Cor. V: 21; Eph. I: 7. Rom. V. 10.

(2) 1 Joh. II: 1 et 2.

(3) Joh. III: 15, 16, 36, Rom. I: 16; Joh. III: 5. ſeqq. Act. II: 38; 1 Joh. II: 17.

tamen ut, quantum nostra hîc patitur conditio, solveretur, nostrae salutis, virtutis ac felicitatis causa omnino requireret (1).

(1) Vidd. Valk, l. l. pag. 166, 167, 177, 178. Clarke, l. l. p. II. pag. 217—219. Noesselt, l. l. p. II. §. 18. Turretinus, l. l. T. I. pag. 227, 228. Brouwer, l. l. pag. 49—51. Bogue, l. l. p. I. pag. 39, 40. Lang, l. l. passim.

SEC-

SECTIO IV.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS; DECRETA AD HOMINES CONSOLANDOS EMENDANDOSQUE ADHIBUIT.

§. 1. *Animadversiones nonnullae praemittuntur.*

Nequaquam Jesus et Apostoli haec, quae dixi, decreta tradiderunt, ut vanae hominum curiositati satisfacerent. Absunt ab eorum doctrina, quaecunque vana quaerit hominum curiositas. Hanc saepe, de Dei natura ac de divinae providentiae ratione, multa quaerentem audimus plane inutilia. Talia qui in Jesu Apostolorumque doctrinâ explicita cupiat, hic operam et oleum perdet. Subtiles de Dei natura disquisitiones apud eos

inveniuntur nullae. Quas quaestiones de Dei regimine perscrutari nequeat nec debeat mens humana, hae ab iis non solvuntur. Nihil hic argutius quaesitum invenies de modo, quo Dei voluntas et hominum libertas secum invicem concilientur; nihil de multis, quae aenigmatica in Dei gubernatione nobis videantur. In his omnibus ipsi nos docent Dei admirari sapientiam. Hoc quidem nostrae curiositati non satisfacit; verum hoc demum nos modestos submissosque reddit in quibusvis, quae nobis obscurae sint, rebus dijudicandis. Audiamus modo Jesum disserentem de iis, quorum sanguinem cum sacrificiis miscuerat Pilatus, deque iis, qui per turrem Siloami perierant. „An „ putatis, inquit, hos Galilaeos peccatores fuisse „ magis quam caeteros Galilaeos, quod haec passi sint? Minime vero, vobis affirmo: sed si „ non resipiscatis, omnes item peribitis. Vel illos duodeviginti, in quos turris Siloami decidit, ut ipsos interficeret, an hos peccatores „ fuisse existimatis magis quam omnes, qui Hierosolymis habitent, homines? Minime; affirmo „ vobis: verum si non resipiscatis, item omnes „ peribitis" (1). — Itaque philosophica etiam verba ac distinctiones ad suam doctrinam minime adhibuerunt; verum eâ usi sunt linguâ, quae, maxime simplex ac popularis, unice esset apta, ut, quae

(1) Luc. XIII: 1 sqq.

quae ab ipsis tradebantur, in hominum animos maximam haberent vim. Quin ipsa illa, quâ institutionem comprobarunt, divina auctoritas effecit, ut doctrinae major vis in hominum esset animos (1).

Jesus et Apostoli, quae sanae rationis de Deo rebusque divinis decreta docuerunt, haec adhibuerunt ad homines consolandos et emendandos. Neque mirum illud. Eorum erat propositum, ut homines ad veram colendam religionem informarent. Haec vero non tantum rerum divinarum continetur notitiâ; verum eadem animi sincero studio, Deo Ejusque praeceptis obtemperandi, demonstrari debet.

Quantum autem cernitur discrimen, si hîc antiquos attendimus philosophos! Quas de Deo rebusque divinis protulerunt sententias, has ad homines consolandos emendandosque nonnunquam adhibuerunt. Ex Dei scientia, sapientia, justitia, ex agnita Dei providentia creditaque vita futura, argumenta nonnunquam ducunt, quibus homines ad rectam Deum venerandi rationem vitamque probam excitarent. At vero tantum abest, ut ita constanter in suis versati sint disputationibus, ut potius ea, quae attulimus, hic illic tantum in eorum scriptis occurrant. Ne enim dicam de Aristotele, qui in morum doctrina religionis vix ul-

(1) Vid. supra Sect. II. §. 5; Sect. III. §. 1.

ullam rationem haberet, aut de Epicuro, qui ea de divina natura doceret, unde nulla ad vitam recte instituendam subsidia peti possint; plerumque quae de rebus quibusvis docebant, haec longe quaesitis argutisque probabant ratiociniis; ita quidem, ut ingenii acumen intenderetur et exerceretur facultas disputandi, ad hominum vero consolationem atque emendationem singula non multum aut nihil valerent. — Contrarium vero in Jesu et Apostolorum doctrina obtinet (1). Hae quidem, quas sana ratio tradit, doctrinae, ex eorum mente, ad homines beandos et emendandos non sufficiebant. Etiamsi Rationalistae, temporibus nostris, eorum ita doctrinam contorqueant, ut non nisi ea remaneant placita, quae rationis ope cognovimus; etiamsi contendant, haec suppeditare hominibus, quaecunque in hoc vitae stadio iis ad recte beateque vivendum necessaria sint; haec tamen non fuit Jesu Apostolorumque sententia. Hi addiderunt, quae ignorat sibi relicta ratio, unde solatium anxiis hominum impertiretur animis; celebrantes Dei benignitatem, demonstratam illam tradito Jesu, Dei Filio, pro peccatis hominum. Addiderunt priva sibi incitamenta ad piam sanctamque vitam; Spiritus Sancti promittentes auxilium, quo homines emendentur; memorantes nostram

(1) Vidd. Clarke, l. l. p. II. pag. 208; Valk, l. l. pag. 75 seqq. 245 seqq.

tram per Jesum cum Deo reconciliationem, tanquam gravissimum momentum, quo excitemur, ut Deo totam nostram vitam consecremus.

At vel sic tamen, magna cum sapientia, has, quas spectamus, doctrinas ita attigerunt, ut ipsae hominum solatio et virtuti promovendae inservirent.

§. 2. *Quomodo haec decreta ad homines consolandos adhibuerint Jesus et Apostoli.*

Varia sunt, quae, in hoc vitae stadio, anxium nostrum saepenumero concutiant animum. Ipsa nostra, quam quotidie sentimus, debilitas facile nos reddit sollicitos. Calamitates, cum nostri ipsorum, tum aliorum, nostris animis saepe metum injiciunt ac tristitiam. Quid sit parturus crastinus dies, ignoramus; atque ab omni parte pericula nobis minitantur. Praeterea, etsi bonum sequi, detestari malum decreverimus, saepe tamen in delicta prolabimur. Tum vero intima quidem conscientiae voce impellimur, ut, quod rectum honestumque est, id unice sequamur; ac delinquentes commeritas timemus Dei poenas; vel sic tamen, quae malis interdum prospera est vitae conditio, haec nonnunquam nostros adeo sollicitat animos, ut de virtutis praemiis nobis dubitandum videatur. — Nequit sibi relicta ratio omnem omnino hanc sollicitudinem tollere. Quamquam quae de Dei sapientia, omnipotentia, bonita-

tate, justitia, et universe de Dei providentia novimus, haec ita sunt comparata, ut suavi sollicitos nostros animos solatio haud raro consolentur atque erigant.

Quae momenta hic peti possunt ex iis, quae nos nostra ratio docet, decretis; haec Jesus et Apostoli ad homines consolandos frequenter adhibuerunt. — Difficile erat munus, quod iis imponebatur, qui, ut Jesu Apostoli, Ipsius longe lateque doctrinam propagarent. Hac in re omnes iis consumendae erant vires; neque adeo semper sibi facile poterant comparare, quae ad corpus vestiendum vitamque sustentandam pertinebant; quin imo ab adversariis multa saepenumero patienda habebant. Audiamus, quomodo Jesus eos in antecessum consoletur; ut in divina acquiescant providentia hortans. „Ne sitis, inquit, de vestra vita „ solliciti, quid edatis, quid bibatis, neque de „ corpore vestro, quo illud induatis vestimento. „ Nonne vita potior est cibo et corpus vestimen„ to? adspicite coeli aves; neque serunt neque „ metunt, neque in horrea colligunt; Pater vero „ coelestis illas alit. Nonne vos longe eas supe„ ratis? quis vero vestrum, cum sit sollicitus, „ unum suae aetati addere potest cubitum? Et de „ vestimento quid estis solliciti? adspicite agro„ rum lilia, quomodo crescant: non laborant „ neque nent. Dico vero vobis, ne Salomonem qui„ dem in summo suo splendore, unius horum in-

„ star,

„ ſtar, fuisſe vestitum. Si vero gramen campi,
„ quod hodie est et cras in fornacem injicitur,
„ ita vestit Deus, nonne vos multo magis, ho-
„ mines exiguae fiduciae? Propterea ne ſolliciti
„ ſitis, dicentes: quid edemus, vel quid bibemus,
„ vel quo nos induemus vestimento? quae qui-
„ dem omnia quaerunt gentes; vester enim Pater
„ coelestis vos his omnibus indigere novit" (1).
Profecto nihil erat, quod magis Apostolos admo-
neret, ut divinae ſeſe confiderent providentiae,
quae ipſis, ſuo munere functis, adesſet, ipſorum-
que curam gereret. Quamvis autem gravia Apos-
tolos manerent pericula, quamvis aliquando calami-
tatibus premerentur gravisſimis; non erat tamen,
quod hostium vim metuerent. Intrepido animo
omnia ſustinere debebant, totos ſe Dei commit-
tentes omnipotentiae. „ Ne enim eos, inquit Je-
„ ſus, timeatis, qui corpus interficiant, animum
„ vero interficere nequeant; multo vero magis
„ Eum timeatis, qui et animum et corpus perde-
„ re posſit in Gehenna. Nonne duo pasſeres as-
„ ſe venduntur? nec vero horum unus in terram
„ cadit, vestro nolente Patre. Quin et vestri
„ capitis capilli omnes numerati ſunt. Ne igi-
„ tur timeatis: multos enim praeſtatis pasſe-
„ res" (1).

Sed et alia ſunt momenta, quae ex Dei pro-
prie-

(1) Matth. VI: 25—32.
(2) Matth. X: 28—31.

prietatibus ad homines consolandos petiit Jesus. „Precamini, inquit, et vobis dabitur; quaerite „et invenietis; pulsate et vobis aperietur. Qui„cunque enim precatur, accipit, qui quaerit, in„venit, quique pulsat, ei aperitur. Quis enim „est inter vos homo, qui filio panem petenti „dederit lapidem, ac piscem petenti dederit ser„pentem? si itaque vos, qui pravi estis, vestris „liberis bona dare scitis dona; quanto magis „vester Pater coelestis bona iis dona largietur, „qui haec ab Ipso petunt (1)!" — Si quid aliud, haec certe Dei benignitas nos ad fiduciam in Eo reponendam excitet, necesse est. — Neque sane quidquam magis nos adducere potest, ut a Deo omnia exspectemus, ab Eoque perpetuis precibus omnia petamus, quam ea, quae hoc peculiariter consilio, ut ipse Lucas testatur, a Jesu aliquando suis discipulis proposita est, judicis injusti parabola. (2)

Quod autem egerat Jesus, idem et Ejus egerunt Apostoli. Quae docent, haec nobis animos addunt, ut omnia, quibus indigemus, ab uno exspectemus Deo. Quid enim magis animum sollicitum consolari potest, quam haec eorum verba: „Ne anxie sitis solliciti; sed semper precibus ac „petitionibus, cum gratiarum actione, vestra ad

„Deum

(1) Matth. VII: 7—11.
(2) Luc. XVIII: 1 seqq.

„ Deum vota deferantur. Si quis vestrum sapien-
„ *tia* indigeat, eam petat a Deo, qui lubenter
„ omnibus dona largiatur, nec quemquam repul-
„ sam ferre sinat; et haec ei concedetur." (1)

Quascunque calamitates aut nos experiamur, aut primi imprimis experirentur Christiani; egregium nobis afferunt solatium hujusmodi Apostolorum voces: „ Novimus, omnia Deum amantibus condu-
„ cere. Jobi cognovistis patientiam, et quem exi-
„ *tum Dominus concesserit vidistis*: Dominus enim
„ *summa est misericordia* et benignitate. Qui pre-
„ muntur calamitatibus, secundum Dei voluntatem,
„ suos ipsorum animos fideli commendent Crea-
„ tori, recte facientes. Omnes sollicitudines ves-
„ tras in Deum conjicite, qui prospicit vobis.
„ Justum censetur, judice Deo, iis, qui vos ve-
„ xant, vexationem, vobis vero, qui vexamini,
„ malorum liberationem rependere. Equidem con-
„ tendo, hujus vitae calamitates *in* censum non
„ venire, si cum futura, quae nobis manifestabi-
„ tur, felicitate comparantur. Calamitas nostra
„ levis, quae non diuturna est, nobis comparat
„ insignem aeternamque felicitatem, quum non ea
„ respiciamus, quae videmus, sed ea, quae non
„ videmus: quae enim videmus, caduca sunt,
„ quae vero non videmus, aeterna sunt." (2) —

Co-

(1) Phil. IV: 6. Jac. I: 5.

(2) Rom. VIII: 28. Jac. V: 11. 1 Petr. IV: 19. V: 7. 2 Thess. I: 6, 7. Rom. VIII: 18. 2 Cor. IV: 17, 18.

Copiosa sunt imprimis, quae hac de re in epistola ad Hebraeos reperimus: „ Obliti estis admonitionis, quae vobis tanquam filiis impertitur: mi fili! ne parvi facias domini disciplinam, „ neque animum despondeas, si ab Eo castigeris; „ quem enim Deus amat, hunc castigat, et „ unumquemque filium, quem benevole suscipit, „ severius tractat. Quodsi hanc disciplinam per„ feratis, vos ut filios tractat." etc. (1)

Haec, haec, inquam, ea sunt, quae, etsi humanos sensus et affectus minime restinguentia, vel sic tamen eam in nos vim habere debent, ut patienter quaevis feramus, atque in omnibus Dei agnoscamus et admiremur sapientiam, potentiam, benignitatem; haec ejusmodi solatio nostros perfundunt animos, ut quascunque calamitates subeamus, pulcherrimam ea in nobis patientiam excitent. Haec inde patientia oritur, quae modesti animi filia, et contentae mentis soror est; quos quidem sensus semper illa comitatur. Multas subit calamitates, sed nunquam suam amittit tranquillitatem, patiens hominis Christiani animus, agit honeste in tristitia, amabilis est in perpessionibus ac subridet lacrymans, semper lunae instar est placidus, quae maxime lucet in tenebris nocturnis. (2)

Ne-

(1) Hebr. XII: 5—10.

(2) Vid. Mason, in loco allato a Valk, l. l. pag. 90 et 91.

Neque haec tantum attulerunt Viri sanctissimi, quae nos impraesentiarum faciant modestos; verum et ea, quae in posterum tranquillos esse doceant. „ Vos, inquiunt, non nisi levis occupa„ vit tentatio; Deus vero fidelis est, qui vos ul„ tra vires miseriis affligi non permittet, sed cum „ miseriis exitum largietur, quo eas ferre valea„ tis. Ille, qui vos vocavit, fide dignus est, „ qui datam etiam fidem praestabit. Dominus fi„ de dignus est, qui vos confirmabit ac servabit „ a malo." (1)

Non opus est, ut, plura afferamus. Dicta enim satis superque ostendunt, Jesum et Apostolos minime ideo sanae rationis, de Deo rebusque divinis, decreta attigisse, ut hominum tantum curiositati satisfacerent; verum eo imprimis consilio, ut omnia, quae inde duci possint, ad homines consolandos momenta excitarent.

§. 3. *Eadem decreta adhibuerunt ad homines emendandos Jesus et Apostoli.*

Deum perfectissimum exemplum hi informarunt, cujus morales perfectiones suo modulo imitentur et assequi studeant homines. Novimus enim Jesu vocem: Sitis perfecti, ut Pater vester coelestis perfectus est. Neque his ea, quae Apostoli dixerunt,

(1) 1 Cor. X: 13. 1 Thess. V: 24. 2 Thess. III: 3.

runt, dissimilia sunt: „ Ad exemplum Sanctissimi
„ illius, qui vos vocavit, et ipsi sancti estote;
„ scriptum enim est: sancti estote, nam Ego
„ sanctus sum. Deus est lux, neque ullae in Eo
„ sunt tenebrae. Quodsi nos habere cum Illo
„ communionem dicamus, atque in tenebris versemur,
„ mentimur neque veri sumus studiosi.
„ Quodsi sciatis, Deum esse sanctum, agnoscite,
„ quicunque virtutem colit, hunc ex Eo esse natum.
„ tum." — Uti vero Dei benignitatem imprimis
celebrare solent; ita et hanc hominibus commendant
imitandam. „ Amate, inquit Jesus, vestros
„ hostes; bona apprecamini iis, qui vobis dira
„ imprecantur; benefacite iis, qui vos odio habent,
„ ac precamini pro iis, qui vobis inferunt
„ injuriam, vosque persequuntur; ut sitis filii
„ Patris vestri coelestis; malis enim atque bonis
„ solem adscendere jubet, pluviamque demittit in
„ justos et injustos. Sitis clementes, sicut et
„ Pater vester clemens est." — Johannes vero:
„ Carissimi, inquit, nos invicem amemus, quoniam
„ niam amor ex Deo est, et quilibet, amorem
„ colens, natus est ex Deo, Deumque recte cognoscit;
„ cis; qui amorem negligit, Deum non habet
„ cognitum; nam Deus ipse amor est. Deus amor
„ est, et, qui in amore perseverat, is manet cum
„ Deo, et Deus cum ipso, conjunctus." (1)

Ve-

(1) Matth. V: 48. 1 Petr. I: 15, 16. 1 Joh. I: 5, 6. II: 29. Matth. V: 44, 45. Luc. VI: 36. 1 Joh. IV: 7, 8, 16.

Verum et alia ratione Dei proprietates ad homines emendandos adhibuerunt. Ex iis enim momenta petierunt, quae homines vitii odio virtutisque amore imbuerent. Age! et hoc nonnullis exemplis illustremus. — Dei memorant unitatem, ut homines ad mutuam concordiam benevolentiamque omnibus demonstrandam, excitent. Ephesiis omnis generis modestiam, lenitatem, in aliis ferendis indulgentiam, mutuam concordiam commendans Paulus, et hoc inter alia argumentum affert, quod sit unus Deus. Eodem auctore, omnis generis preces ac gratiarum actiones fiant oportet, pro omnibus omnino hominibus, pro regibus omnibusque, qui gerunt magistratus, ut, in omni pietate et honestate, quietam et tranquillam vitam agamus: hoc enim placet et probatur servatori nostro Deo, qui vult omnes homines servari, et ad veritatis pervenire scientiam; etenim unus est Deus (1). — Unus hic Deus cum sit spiritus, propterea qui Eum adorant, adorare Eum debent ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ (2). — Huic vero quae propria est omnium rerum perfecta scientia, maximam habeat vim oportet, ut nos a perversitatis tramite abducat, et ad recti honestique studia persequenda excitet. Discipulis suis praecepit Jesus, ut ne palam, ostentationis caussa, eleëmosynas prae-

(1) Eph. IV: 2, 3, 6. 1 Tim. II: 1—5.
(2) Joh. IV: 24.

praeberent ac preces funderent; ut ne jejunantes hujus rei externa, quae hominum admoverent oculos, signa prae se ferrent. — Huic monito morem non gerentes, suam jam mercedem acceperant. Haec vero illi in occulto, nulla cum ostentatione, obire debebant; Pater autem, qui in occulto videret, palam ipsos ornaturus erat praemiis. Sanctos se coram hominibus jactabant Pharisaei, Deus vero eorum noverat animos: quod enim in hominibus magnum est, hoc Deo est detestabile. — Erat porro, quod Hebraei Christiani ardenti studio oblatam peterent requiem; ne quis impium proavorum exemplum imitaretur, et sic misere periret. Dei enim verbum vim habet et efficaciam, magis secans, quam ullus gladius anceps, penetrans, ut animam et spiritum, compages et medullam separet, nec non dijudicet desideria et cogitata mentis: nam quocum nobis res est, Hunc nihil, quod creatum est, latet; omnia vero Ejus oculis nuda et aperta sunt (1). — Hujus adeo Dei revereri oportet omnipotentiam. Eam revereamini, inquit Jesus, qui et animum et corpus perdere possit in Gehenna. (2)

Cum vero Deus, ubique praesens, scientia sua ac vi in omnia agat, neque igitur longe a nostrum quo-

(1) Matth. VI: 1 seqq. 16 seqq. Luc. XVI: 15. Hebr. IV: 11—13.

(2) Matth. X: 28.

quoquam remotus ſit, Ipſum quaerere convenit, *utrum* forte palpitando Eum inveniamus, ad ipſiusque perveniamus notitiam (1). — Deinde cum ea Dei ſit ſanctitas, qua Ipſe malo non irritetur, per eandem fit, ut nec ullum irritet alium. Nemo adeo, cum ad peccandum ſollicitatur, ſe a Deo dicat ſollicitari. Terreſtrium rerum ſtudium Deo adverſatur; qui igitur harum ſtudioſus est, Dei evadit adverſarius. Si quis mundum amat, in eo *non est* amor erga Patrem: *quodcunque* enim *in mundo est*, *cupiditas vitioſa*, *oculorum deliciae et vitae arrogantia*, *haec non ex Patre*, ſed ex mundo ſunt. Quapropter nemo mundum amet, quaeque mundi ſint (2). — Quae Deo propria est justitia, haec debet nos cum a malo deterrere, tum ad virtutem excitare, tum vero in aliis dijudicandis reddere modestos. Discipulos ſuos jubet Jeſus a legum peritis abſtinere, qui externa tantum pietate gloriarentur: hi etenim gravius ſubituri erant judicium. Christianos admonent Apoſtoli, ut ne ſemet ipſos fallant: Deus enim non ſinit ſe impune laedi; quod enim ſeverit homo, hoc et metet. Admonent eos, ut ne quis ipſos fallat dictis inanibus; ſed ut interficiant membra ſua terrena, ſcortationem, impuritatem, malam libidinem, pravas cupiditates et avaritiam, propter quae

(1) Act. XVII: 27.
(2) Jac. I: 13, IV: 4. 1 Joh. II: 15, 16.

quae scelera poenas divinas homines impii subeant. Quum adeo Patrem, qui sine ullo partium studio, secundum cujusvis facta, judicat, colerent; cum verecundia peregrinationis suae tempus transigere ipsos oportebat. Non minus enim pios Dei oculi observant, eorumque preces ejus audiunt aures, quam impios observat ejus vultus. — Verum propter eandem Dei justitiam, modeste etiam de aliis judicare decet. Jesus: ,, Ne judicetis, inquit, ut ,, ne judicemini; quo enim judicio judicatis, ju- ,, dicabimini." Apostoli vero haec similiaque monuerunt: ,, Quisque nostrum suas rationes red- ,, det Deo; ne igitur nos invicem judicemus. ,, Unus est legislator et judex, qui et servare ,, possit et perdere. Tu vero quis es, qui alium ,, judices?" (1) — Quae Dei benignitas a N. F. scriptoribus celebratur, haec non tantum, quod vidimus, nos ad benignitatem aliis demonstrandam excitet; verum etiam in nobis gratum submissumque animum suscitet, oportet. ,, Ne quemquam in ,, terra Patrem vocetis vestrum: unus enim est ,, Pater vester in coelis. An spernis summam Dei ,, benignitatem, patientiam et indulgentiam, non ,, reputans, hanc Dei benignitatem te ad meliorem mentem velle reducere? Quid habes, quod ,, non

(1) Luc. XX: 46, 47. Gal. VI: 7. Eph. V: 6. Colosf. III: 5, 6. 1 Petr. I: 17. III: 12. Matth. VII: 1, 2. Rom. XIV. 12, 13. Jac. IV: 12.

„ non acceperis? quodsi vero acceperis, cur glo-
„ riaris, quasi illud non acceperis?" (1)

Quae autem iidem de provida cura, qua Deus omnia curat, deque regimine, quo singulas res complectitur, docuerunt; haec imprimis in hominum emendationem ipsi converterunt. „ Agite jam „ vos, inquit Jacobus, qui dicitis: hodie vel cras „ in hanc illamve urbem proficiscamur, ibi degamus unum annum, exerceamus mercaturam et „ lucrum faciamus; qui ignoratis, quid cras sit „ eventurum? qualis enim est vita vestra? fumus „ nimirum est, qui per breve tempus apparet, „ mox vero evanescit. Dicere potius conveniret: „ quodsi Dominus voluerit et vivamus, tum hoc „ vel illud faciamus." Similiter Timotheo praecipiebat Paulus, ut divites diligenter admoneret, ne superbirent, neve spem reponerent in incertis divitiis, sed in vero Deo, qui nobis omnia largiter praebeat usurpanda. Nititur eâdem doctrinâ haec, quae est in epistola ad Hebraeos, admonitio: „ Vestra vita non avara sit; contenti sitis iis, „ quae praesto sunt: Ille enim dixit: non te deseram, non te derelinquam. Itaque fiducia pleni „ dicamus: Dominus mihi auxiliator aderit, nihil „ timebo: quid mihi inferat homo?" — Eodem veluti fundamento nituntur quaecunque de debito magistratibus, heris, parentibus, praestando honore simi-

(1) Matth. XXIII: 9. Rom. II: 4. 1 Cor. IV. 7.

ſimilibusque officiis praecipiunt. Quisque magistratibus obediat. Non enim est magistratus, niſi a Deo, qui vero adſunt magistratus, a Deo conſtituti ſunt. Itaque qui magistratibus repugnat, divino reſistit inſtituto; qui vero restiterint, poenas ſubibunt. Servi vero terrestribus heris rite obedire debent, cum ſciant, quemvis recte factorum praemia a domino accepturum esſe, ſive ſit ſervus, ſive homo liber. Contra etiam heros oportet justa cum iis agere ratione, cum ſciant et ſuum in coelis esſe Dominum, qui externae dignitatis nullam habeat rationem. Liberos autem parentibus in omnibus rebus morem gerere decet; hoc enim Domino acceptum est. (1)

(1) Jac. IV: 13—15. 1 Tim. VI: 17. Hebr. XIII: 5, 6. Rom. XIII: 1, 2. Eph. VI: 5 ſeqq. Coloſſ. III: 20, 22 ſeqq.

SEC-

SECTIO V.

DOCTRINA CHRISTIANA SANAE RATIONIS, DE DEO REBUSQUE DIVINIS, DECRETA AD PERMULTORUM NOTITIAM PROPAGAVIT.

§. 1. *Cujuscunque generis homines docuerunt Jesus et Apostoli.*

Quod antiqui Philosophi agere nec potuerant, nec conati erant; id egerunt Jesus et Apostoli, ut doctrinam suam ad permultos propagarent. Philosophi docebant paucos plerumque honestioris loci juvenes. Non quidem omnes hic eadem ratione versati sunt. Socrates enim et alios instituere voluit. Veruntamen, eo excepto, fere omnes ita rem instituerunt, ut, quibuscum suam communicarent Philosophiam, paucos tantum eligerent. Exposuerunt adeo suam doctrinam non coram omnibus, sed in suis fere unice scholis. Eo nonnulli proces-

ces-

ceſſerunt, ut paucos tantum haberent discipulos, quibus ſuas de rebus philoſophicis ſententias plenius exponerent. — Itaque plebejorum hominum nullam fere rationem habuerunt. Hos vel contemnebant, altoque deſpiciebant ſupercilio, ſe ſcilicet his cultu doctrinaque longe ſuperiores arbitrati; vel, ſi non ejusmodi inflati esſent ſuperbia, hos tamen ad ſuam doctrinam accipiendam ineptos existimabant; quin adeo ſuam inſtitutionem his inutilem cenſebant. Cum enim populus ſubtiliores non caperet disputationes; facile eum per philoſophiam ad omnem deſerendam religionem adductum iri arbitrati ſunt, atque ita firmisſimum civitatis labefactatum iri fundamentum. Propterea et publice recepta ſacra colere erant ſoliti. Et vero quae Platonem Ciceronemque dicentes jam audivimus, haec ita ſunt comparata, ut noluisſe eos populum recta Dei cognitione imbuere manifestum ſit. Ut enim ille in iis, quae de religione conſtituta ſunt, ne minimam quidem mutationem inducendam esſe, neminemque ſanae mentis id unquam ſusceptum esſe cenſuit; ita hic, postquam multa, quae ad religionum everſionem ſpectarent, dixisſet, illa tamen ait non vulgo esſe diſceptanda, ne ſusceptas publice religiones disputatio talis exſtinguat. (1)

Ve-

(1) Vid. Schröckh, l. l. P. I. pag. 330. Noësselt. l. l. P. II. §. 5. Turretinus, l. l. T. I. pag. 232, 233. ſupra Sect. I. §. 1

Verum quod facere non conati sunt, hoc revera quoque variis de caussis rite facere non potuerunt. Quae enim iis propria esse solebat docendi ratio, haec ejusmodi fere erat, ut vulgarem hominum captum superaret. Et vero id aliquando desiderabant, quod in incultorum etiam animos vim habet maximam, divinam nimirum, qua suam confirmarent doctrinam, auctoritatem. Cum unice ratiocinando ad verum inveniendum et ipsi pervenirent, et alios perducerent; plerumque vulgaribus hominibus ad hanc viam persequendam neque satis otii, neque satis suppetebat facultatum. Et vero ipsorum dissensiones, in hac rerum conditione, eorum doctrinam populo fere inutilem reddebant. (1)

Quae vero philosophis objiciebantur impedimenta, quominus suam ad cujuscunque generis homines doctrinam propagarent; haec a Jesu Apostolorumque institutione longe fuisse remota, supra jam vidimus. Populari docendi ratione utebantur, quae omnibus omnino accommodata esset hominibus; ut, quae doctus miraretur, eadem indoctus quoque intelligeret. — Praeterea, quae docebant, non longe quaesitis probabant ratiociniis, verum divini auctoritate confirmabant. (2)

Ubi vero horum doctrina ita erat comparata, ut

(1) Vid. supra Sect. II. §. 1, 5. Sect. III. § 1.

(2) Vid. supra Sect. II. §. 2, 3, 5. Sect. III. §. 1.

ut facile ad cujuscunque generis propagaretur homines; ita iidem plurimis eam tradebant, atque iis etiam hominibus, qui vulgo negligebantur. Ipsi illi, quos Jesus elegit, Apostoli, quamquam non de infima plebe homines, non tamen docta cultaque educatione vel institutione usi erant. — Quos contemnebant doctores Judaeorum, et hos sua doctrina beavit Jesus. Neminem repudiavit, quem non data opportunitate institueret. In urbibus vicisque, in synagogis campisque, in montibus et navibus, quaecunque occasione, quoslibet docebat Jesus. Et vero quis non profiteatur, eum omnibus prodesse voluisse, qui vel haec Ejus audierit verba: „ Huc ád me venite, quicunque „ estis lassi et defatigati, egoque vobis requiem „ concedam?" (1) Jesum omnium hominum rationem habentem, deque omnibus sollicitum, nemo non admiretur oportet, qui vel unum hoc de Eo legerit testimonium: „ Omnes circumiit urbes vi„ cosque, docens in synagogis, et explicans lae„ tum de Regno divino nuntium, ac sanans cujus„ cunque generis morbos in populo; vidensque „ turbas, intime de iis commovebatur, quod essent „ dilaceratae ac dissipatae, ovium instar, quae in„ digent pastore. Tunc discipulis: messis, in„ quit, larga est, verum pauci sunt operarii; „ pre-

(1) Matth. XI: 28.

„ precibus itaque rogate messis Dominum, ut ope-
„ rarios in suam mittat messem." (1)

Neque aliter egerunt Apostoli. Et hi, quacunque opportunitate, quosvis instituebant; sive in templo, sive in domis, sive Hierosolymis, sive alibi. Ubivis docebant omnes, qui se ad ipsos conferebant, ipsorumque institutionem non repudiabant. Tantum aberat, ut natalium, vel dignitatis, vel omnino conditionis externae, in hominibus instituendis rationem haberent, ut contra nullum hic discrimen ipsos inter liberos et servos facerent; ut adeo Paulus pro servo Onesimo ad Philemonem epistolam mittere non recusaret; atque Jacobus severe eos reprehenderet, a quibus in conventibus sacris neglecti essent ignobiliores. (2)

§. 2. *Ad multos populos suam doctrinam propagarunt Jesus et Apostoli.*

Quae hactenus §. 1. disputavimus, satis indicant, quam parum antiqui philosophi vel conati sint, vel etiam potuerint totam aliquam gentem, ne dicam multos populos, puriori sua beare institutione. Hi ne unam quidem urbem vera unius Dei cognitione imbuere potuerunt. Qui puriorem omnino tradidit doctrinam, qui unus indoctorum etiam

(1) Math. IX: 35—38.
(2) Jac. II. 1 seqq.

etiam hominum rationem habuit, Socrates, ne in sola quidem Athenarum urbe, idololatriam evertere polytheismumque prosternere potuit. Eo vero minus posteriores id peregerunt philosophi, quo minus ipsis populus curae cordique erat. (1)

Jesus et Apostoli contra sanae rationis, de Deo rebusque divinis, decreta ad multos propagarunt populos. Erat hoc Jesu consilium, ut sua longe lateque annuntiaretur doctrina. Diserta Ejus hac de re exstant effata. Se dixit lucem mundi; Regni coelestis Evangelium per totum annuntiatum iri mundum professus est; multosque esse venturos ex Oriente et Occidente, qui cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in Regno coelorum assiderent. Apostolos jussit omnes instituere populos (2). Ipse quidem ad Judaeos imprimis missus erat, ad eosque potissimum se convertit. Vel sic tamen fidem ab exteris sibi habitam laudavit; dataque opportunitate instituere non recusavit Samaritanos (3). Apostolis hoc maxime muneris mandavit, ut ad exteros suam doctrinam propagarent. Abiens in coelum, mandatum iis dedit, quod indole sua posteriora etiam tempora spectaret: Abeuntes, doceatis populos omnes. — Quae erat omnibus gentibus destinata religio, hac omnes enim im-

(1) Vid. Turretinus; l. l. T. I. pag. 234.

(2) Joh. VIII: 12. Matth. XXVI: 13. Luc. XXIV: 47. Act. I: 8. Matth. VIII: 11.

(3) Matth. VIII: 10. XV: 28. Joh. IV: 40 seqq.

imbuendae. Pertinuerat doctrina Mosaica ad solos Judaeos. Alia erat doctrina Christiana, omnibus accommodata illa hominibus. Hanc adeo Jesus longe lateque ad genus humanum propagari voluit.

Ejus mandato obedierunt Apostoli; itemque posteriorum temporum Christiani. Primum quidem Judaeos tantum adierunt Apostoli; verum, postquam Petro divinitus erat significatum, omne gentium discrimen esse sublatum (1), ad exteros etiam se converterunt. Quoad religionem Christianam, Judaeos inter caeterasque gentes nullum intercedere discrimen, Paulus imprimis docuit.

Sic igitur sensim paulatimque, in variis terrae partibus, annuntiata est doctrina Christiana. — Quod ad Asiam attinet; ibi eam propagarunt, prioribus tribus saeculis, cum Apostoli, tum Patres Ecclesiae et doctores, per Palaestinam, Syriam, Asiam minorem, Persiae et Arabiae partem. Interiores vero Asiae gentes, a Saec. IV—VII, Nestoriani imprimis ad Christi sacra converterunt. — In Africa, amplexi sunt religionem Christianam plurimi; cum in Aegypto, imprimis Alexandriae, tum etiam in Carthaginiensium ditionibus regionibusque adjacentibus. — Europae gentes meridionales, Apostolorum jam aetate, Christi doctrina imbutae sunt. Haec sensim in Romano imperio novas accepit vires; ac tempore Con-

(1) Act. X: 9 seqq.

Constantini M. publica imperii evasit religio: Quae deinceps irruerunt gentes barbarae, hae primum quidem religioni Christianae periculum minitatae sunt, eam vero postmodum sunt amplexae. Deinceps magis magisque ea per totam propagata est Europam; et vero recentioribus temporibus ad ipsam processit Americam.

Varia quidem variis fuerunt temporibus, quae felici doctrinae Christianae progressui obesse viderentur. Quae primum moliti sunt Judaei; quae deinde Romani objecerunt impedimenta; quae postea gentes egerunt Germanicae; haec omnino religioni Christianae nocere videbantur. Verum, invitis his aliisque obstaculis, divina processit doctrina. Ipsae, quas passi sunt Christiani, calamitates in sanctissimae religionis emolumentum tetenderunt. Ipsae persecutiones, quarum auctores erant Judaei, ad doctrinam Christianam propagandam vim habuerunt. Etiamsi saevierint Nero, Domitianus, Decius, Diocletianus, etiamsi atrocissime illi Christianos persecuti sint; martyrum tamen sanguis Ecclesiae semen exstitit. Deus suam semper egit caussam, suamque tuitus est Jesus ecclesiam; et vero, quaecunque moliti sint homines, doctrina Christiana Mosaicam abrogavit gentiumque successit religioni. — Fugarunt quidem hanc doctrinam ex variis regionibus Muhamedani; attamen et hac ratione multa ejus placita ulterius propagata sunt.

ARGU-

ARGUMENTI CONCLUSIO.

DOCTRINA CHRISTIANA ET THEOLOGIAE, QUAE DICITUR, NATURALI VALDE PROFUIT, ET VERO DE GENERE HUMANO, HOC QUOQUE NOMINE, OPTIME MERUIT.

Quae hactenus expofuimus, hoc jam fatis probasfe, confidimus. Quid enim magis Theologiae profit Naturali, quam fi ipfius placita purgentur, illustrentur, quin adeo omnium gravisfimis confirmentur argumentis? Quid generi humano majus afferat emolumentum, quam fi pura de Deo doctrina cum omnigenis communicetur hominibus? Non vero est, quod hoc loco unice fubtiles prodamus disquifitiones, quibus, quid fieri potuerit posfitque, demonftretur. Ipfa mihi testis est historia, quae

quae vim ostendit, quam habuerit cum in Theologiam Naturalem, tum, hoc quoque nomine, in universum genus humanum, doctrina Christiana. Juvat haec paullo uberius illustrare; quo magis rerum antea expositarum vis et efficacia eluceat, quoque facilius ea refellantur, quae nostrae opponi possint sententiae.

SECTIO I.

DOCTRINA CHRISTIANA THEOLOGIAE, QUAE DICITUR, NATURALI VALDE PROFUIT.

§. 1. *Theologiae Naturalis conditio apud veteres Philosophos.*

Nemo veterum philosophorum praecipuas, de Deo rebusque divinis, doctrinas justo ordine et probabili ratione tradidit. — Si, quae apud eos dispersa inveniuntur, bona colligamus, multa sane recta in hoc genere dicta reperimus. Haec attendens Lactantius, antiquos dicit philosophos omnia docuisse, quae patefactae nos doctrinae debemus; ita tamen, ut nullus per se haec omnia docuerit, singuli vero varios vere dictis errores immisquerint (1).

Jam vero quod ad hanc puriorem attinet, ex cunctorum optimis dictis compositam, doctrinam;

iis

(1) Vid. Clarke, l. I. p. II. pag. 229 sqq.

ne hanc quidem ab omni parte perfectam fuiſſe, e ſupra memoratis facile patet. Antiquorum enim philoſophorum neminem materiae mundanae aeternitatem denegaſſe, vel eam docuiſſe providentiam, quae cunctas, easque minimas etiam, res complecteretur, vidimus (1). — Verum longe alia quoque res est, ſi ſingulorum doctrinam attendamus. In memoriam modo revocemus, quae ſupra a nobis ſunt expoſita (2). Vel a vero aberrarunt prorſus, vel, ſi vera docerent, multa his falſa immiscuerunt et inania. Atque adeo, ſi quandam doctrinae partem rite explicarent, aliam denuo partem vix attingebant vel negligebant plane. Neque etiam defuerunt in iis Athei Scepticique. Fuerunt, qui dicerent, totam de Diis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus, ut, quos ratio non poſſet, eos religio ad officium duceret. (3). In iis, qui Deorum vindicabant existentiam, fuerunt, qui eam Dei notionem traderent, quae omnem penitus religionem everteret; alii, qui rebus mortalibus immortalitatem tribuerent, mundumque cum Deo confunderent, ſive potius eum eſſe Deum dictitarent. — Immo vero, ſi ab his omnibus diſcedimus, eosque ſolos attendi-

(1) Vid. ſupra Sect. III. §. 3.

(2) Vid. ſupra Sect. I. §. 1. pag. 15—17.

(3) Vid. Cicero, de *nat. deorum*, lib. I. cap. 1.

dimus, qui omnium optima docuerunt; ne ab his quidem omnes abjudicare posſumus errores, neque apud ullum eorum eam expoſitam invenimus doctrinam, quae omnibus ſuis dici queat numeris abſoluta.

Si Socratem de divina bonitate providentiaque dicentem audio; miror ejus doctrinae praeſtantiam, ac merito ſummas philoſophi ingenio laudes tribuere mihi videor. Nec tamen ab eo civium doctrinam prorſus rejectam reperio. De malo phyſico ac morali nihil me monet; nec firmisſimam de animorum immortalitate mihi exponit ſententiam. — Platonis de Dei, a mundo ſejuncti, potentia, bonitate, ſapientia, providentia, ſententiam cenſeo praeclaram. Nec tamen probare posſum quaecunque de daemonibus docet; nec eam, quam fovit de materiae mundanae aeternitate, ſententiam; unde falſa multa fluxisſe, facile deprehendo. — Stoicorum, de divinis perfectionibus deque providentia, opiniones praeclaras existimo. Si, quae ex mente Stoicorum de divina cura ac benignitate Cicero dixit, lego, gratum in me erga Deum animum excitari ſentio, atque ut divinam agnoscam venererque ſapientiam, ſponte adducor. Verum ſi univerſam eorum conſidero doctrinam; eosdem quoque Deum cum mundo ſubinde commiscuisſe, atque astris, plantis, virtutibus aliisque divinitatem tribuisſe, doleo vehementer. Imo eosdem video di-

vi-

vinam providentiam, praeclaros tantum viros curantem, informasse; nec veram animorum docuisse immortalitatem (1).

Quam manca et imperfecta antiquorum esset doctrina, imprimis ex Ciceronis patet, *de natura Deorum*, libris. Ubi si singulos disputantes audias; in Velleji dictis vix sunt, quae probes; neque omnia, quae contendit Balbus, recte sese habere existimabis, quamquam ab eo multa vere et praeclare dicta reperias; Cotta vero illa omnia destruit, nec in eorum locum quidquam substituit, quo ullum nostrae de Deo rebusque divinis cognitioni paretur praesidium. Si quae Ciceroni probata fuerit sententia, quaeras, ac de diversis in hoc genere sententiis ipsius judicium cognoscere cupias; quae invenire cupieras, haud facile reperies. Stoicumne, an Academicum se prodiderit his in libris Tullius, disputant viri eruditi. Et vero, si ipse tuo marte ex variis, quas prodidit, sententiis consummatam quandam doctrinam componere studeas, haerebis. Frustra enim eam, quae perfecta et omnibus suis partibus absoluta sit, doctrinam ex his Ciceronis libris conficere studebis, nisi ipse multa aliunde addideris. Vel sic tamen vix dubio caret, quin, hos libros scripturus, ille praecipua quaeque, quae de hoc argumento essent dicta, accurate legerit ac perpenderit (2).

§. 2.

(1) Vid, Brouwer, l. l. pag 81 seqq.

(2) Vid. Valk, l. l. pag. 25 in annot.

§. 2. Theologiae Naturalis conditio apud recentiores philosophos. Quae exstitit commutatio, haec non adeo philosophorum sagacitati atque operae tribuenda est.

Recentiores philosophi plurima egregie de Deo rebusque divinis docuerunt. Non est quod hoc loco recentioris philosophiae historiam tradam. Suffecerit philosophos nominasse praeclaros Cartesium, Leibnitzium, Wolfium, Kantium. Etsi singulorum horum ratio non in omnibus probanda sit; neminem tamen facile negaturum existimo, eos multa praeclara de hac disciplina docuisse, in iisque talia, quae ne ullus quidem antiquorum philosophorum unquam tradidisset. — Apud recentiores haud paucos, eam Theologiae naturalis doctrinam reperimus, quae suis partibus distributa, sibi ipsa constans, omnes Dei tradat perfectiones, Eumque rerum omnium Creatorem, Conservatorem, Rectoremque praebeat cognoscendum. Non hoc illudve tantum decretum ab illis exponitur, verum universa illustrantur. Nec vere dictis tot errores immiscentur, quot in veterum de his rebus disputationibus deprehendas.

Hoc undenam repetendum? an igitur recentiores sagaciores fuerunt, quam antiqui, aut plus operae his dederunt doctrinis? Haec facile quis contendat doctrinae Christianae adversarius. Hunc, arrogantia elatum, facile jactantem audias: „Quid vero? mea me omnia docet ratio. Quod antiqui uni-

philosophi non omnia recte viderint, hoc inde unice ducendum, quod non eo, quo oportuerat, modo ratione sua usi sint. Nos vero nostris longius progressi sumus temporibus; quod ex humanae naturae, quae continuo tendit ad perfectionem, praestantia explicandum est."

Probabiliter haec prima specie monita videantur. Sunt tamen, quae, re rite considerata, excipienda esse facile quis videat. Quae quidem dicunt, antiquos rectius uti debuisse sua ratione, haec ejusmodi sunt, quae nemo *jure* neget, utpote quae ipsa res ac ratio comprobet. At vero longe alia res est, si quaeratur, an rectius, in omnibus hujusce disquisitionis partibus, uti sua ratione potuerint, id est, an hoc humana, qualis est, patiatur imbecillitas? Longe alia res est, si quaeratur, an nulla fuerint impedimenta gravissima, quae antiquos prohibuerint philosophos, quominus omnes omnino errores evitarent? rationis enim humanae vim eo semper judicare debemus modulo, quo esse solet, non quo esse potest atque debet. Revera vero cum institutionem, tum superstitionem, tum multarum rerum ignorationem, ne de aliis dicam, haec iis impedimenta objecisse, jure existimare mihi videor (1). Sed vel sic tamen iidem longe fuere sagacissimi, iisque, quas spectamus, doctrinis plurimum operae tribuerunt. Qui multa eorum acu-

(1) Vid. Turretinus, l. l. Tom. I. pag. 238. Noesselt, l. l. p. II. §. 8, supra Sect. II. §. 1.

acuta animadverterit ratiocinia, quique plurima, quae de his prodiderunt, scripta consideraverit, eum hoc non facile negaturum esse, arbitror. Eos vero viros a recentioribus sagacitate tam longe superatos esse, ut hi facile sponte sua omnes illorum evitarint errores; hoc vero est, quod non ita facile mihi persuaderi sinam. Quae enim antiquorum ingenia in errorem adduxerunt vitia, his omnibus quo jure immunes habebo recentiores; cum praesertim non desint, quae longe alia doceant? Defueruntne igitur recentioribus temporibus Athei ac Pantheistae? Nonne fuerunt Spinosa, Humius, Fichtius, Schellingius, aliique bene multi? Et vero, quamquam facile concedam, ab his plurima esse prolata, quae improbassent et in antiquis plurimi; video tamen et eos, qui puriora doceant, in argumentorum pro sua sententia vi dijudicanda, longe a se invicem saepenumero discedere; quod profecto, quomodo congruat cum jactata illa eorum summa sagacitate, equidem me non videre profiteor. Praeterea multas nostris etiam temporibus in Theologia Naturali superesse difficultates, nemo, hujus disciplinae paulo peritior, negabit (1). Quis igitur paullo modestior ita facile se efferet, ut nisi certum, quem in his sequatur, ducem habeat, tuto se semper Syrtim Charybdimque evitaturum esse exspectare audeat? — Quae autem de hominum dicuntur progressione, haec, quam-

(1) Vid. Brouwer, l. l. pag. 15—57.

quamquam in se verissima, non tamen nimis esse praedicanda, facile quis agnoscet. Haec enim, licet probabile reddant, recentiores longius, quam antiquos, progredi debuisse; non tamen comprobant, eo ipsos sponte sua processisse, quo pervenire debuerint, ut omnes omnino antiquorum errores evitarent. — Et vero, quod totam rem conficit, etiamsi per se eo pervenire potuissent, hoc tamen non probat, eos revera eo processisse, sine externorum subsidiorum auxilio. Jam vero hic testis mihi adest historia, quae vim doctrinae propagatae Christianae ostendat manifesto.

§. 3. *Doctrinae Christianae vis in eam, quam, recentioribus temporibus subiit Theologia Naturalis, commutationem.*

Recentiores philosophi doctrinae Christianae notitiis innutriti erant. Hoc quam vim habuerit, facile elucescit. A pueritia inde puras hac ratione, de Deo rebusque divinis, notiones acceperant, neque eas lubricis innixas ratiociniis, verum divina confirmatas auctoritate. Dictu autem difficile est, quantam vim, per totam vitam, in nostros animos ea habeat institutio, quam pueri aliquando accepimus.

Haec adeo merito in iis censetur impedimentis, quae ita antiquorum philosophorum obessent disquisitionibus, ut non prorsus omnem rejicerent im-

improbarentque superstitionem. — Jam vero longe alia est doctrina Christiana. Hanc Patres summam dixerunt philosophiam; neque illud prorsus immerito. Quod enim ex disputatis facile patet; Christiana doctrina non tantum optima quaeque decreta tradit, quae de Deo rebusque divinis antiqui prodiderunt philosophi; verum eadem ita tradit, ut nihil desit, quod ad justam Dei notionem informandam pertineat, nec vere dictis ulli errores admisceantur (1).

Sic igitur tantum aberat, ut recentiores Philosophi eam, quam a pueris inde didicerant, purgare doctrinam, aut sese ex ignorantiae et superstitionis claustris eripere deberent, ut contra optima quaeque cognita haberent placita, quae, utpote purissima, justis tantum probare ipsos oporteret ratiociniis. — Quos adeo antiqui commiscerunt errores, hos evitare non suo ipsi marte didicerunt, sed per divinam moniti institutionem. Quae antiqui non viderunt, haec ipsi non ex suo ingenio petierunt; haec potius ipsis eadem suppeditavit doctrina. Quae in Theologia Naturali sunt difficultates, has non prorsus suo marte superarunt; sed eadem facem praeferente magistra. — Non haec ita dico, quasi recentiorum philosophorum ingenium vilipendam ac contemnam. Neque hoc

(1) Vid. supra Sect. I. §. 5, 6. Sect. III, imprimis ejus §. 3.

hoc ex dictis elici potest; nec quisque alterius ingenium contemnere dicendus est, qui, quae hic a praeceptoribus acceperit, vere declarat. Nec dubito tamen, quin doctrina Christiana recentiorum philosophorum in plurimis rebus magistra exstiterit.

Hoc igitur primo loco ad eos pertinet philosophos, qui doctrinae Christianae essent amici; qui nec ipsi gratis animis hoc agnoscere neglexerunt. Et vero sunt exempla, quae doceant, quam vim in horum ingenium doctrina habuerit Christiana. *Personalitatem*, quae barbare dicitur, pertinere ad veram immortalitatis notionem, demonstravit Wolfius; ipse vero profitetur, lecta parabola Lazari et hominis divitis, se ad hanc pervenisse sententiam. Kästnerus: „Nisi adsit, inquit, immortalitas, malignus „quivis Dei se subtrahere potest imperio." Ad hanc vero pervenit sententiam Christi dicto: *Deus non mortuorum, sed vivorum Deus est.* Ejusmodi si reticeantur veri inveniendi opportunitates, facile haec aliaeque sententiae ab una ratione excogitatae censeantur. At vero, etiamsi difficile sit rite dijudicare, quid ratio per se excogitare potuisset, hoc tamen certum est, patefactioni divinae plurima nunc certe nostram debere rationem (1).

Nec vero hoc ad eos tantum pertinet philosophos, qui Christianae doctrinae essent amici, sed item

(1) Vid. Lang, l. l. pag. 20—22.

ni. Hac vero ratione rem suam tueri conati, continuo doctrinae Christianae vim suo exemplo significarunt. Quae enim pure ab illa traduntur, haec suos in usus adhibuerunt; atque ex his, quae in sua religione prorsus improbabilia esse viderent, quodammodo emendarunt. Est hoc imprimis manifestum, in placito de materiae mundanae aeternitate. Hanc, ante tempora Jesu et Apostolorum, nullus unquam negasse videtur philosophus. Cum primum vero eorum doctrina propagata est, mox factum est, ut ii quoque, qui Euangelio non favebant, hac tamen in re ad saniorem, quam commendabat, sententiam sensim accederent. Itaque Hierocles magna opera probare conatus est, ex Platonis doctrina Deum omnia fecisse ex nihilo. Alexandrum autem Lycopolitam audimus affirmantem, Deum non materia indigere, ut producat, quae antea non exstiterint (1). — Sed Julianus imprimis suo docuit exemplo, quam vim doctrina Christiana in infestissimum habere possit adversarium. Hic agnovit, fabulas fide indignas a Graecis de Diis esse fictas; ac reprehendit eos, qui lignis et lapidibus Deos constare existimant. De Deo nihil statuendum esse censet, nisi quod Ejus naturae conveniat. Dei proprietates egregie describit. Unum adesse docet mundi opificem, patrem Deorum, in quo omnia sint perfec-

(1) Vid. Mosheim in *diss. ad hist. Eccles. pertinentibus*, Vol. I. pag. 254—257, 367—270, 763.

fecta, περὶ ὃν πάντα καὶ οὗ ἕνεκα πάντα ἐστιν. Item mundi ordinationem tanquam divinum opus praedicat; divinamque providentiam summis effert laudibus. In his vero omnibus manifesto vis apparet, quam in Juliani animum doctrina habuerit Christiana; ut adeo, quamvis eam deinceps improbaret ac vehementissime oppugnaret, illam tamen in nonnullis profiteretur sententiam, quae puritate sua ad hanc proxime accederet; quin imo hujus multa placita probare non dubitaret. (1)

Ex dictis efficimus, eam, quam subiit, post Christi et Apostolorum tempora, Theologia Naturalis commutationem et emendationem, nisi totam, maximam certe partem, tribuendam esse propagatae longe lateque doctrinae Christianae.

SECTIO II.

DOCTRINA CHRISTIANA NON TANTUM THEOLOGIAE, QUAE DICITUR, NATURALI VALDE PROFUIT; VERUM DE GENERE HUMANO, HOC QUOQUE NOMINE, OPTIME MERUIT.

Quae hactenus in hac argumenti conclusione, exposuimus, docuerunt jam, hanc quoque ob caussam magni facienda esse Christi Apostolorumque me-

(1) Vid. van Herwerden, diss. de Juliano Imperatore relig. Christ. hoste eodemque vindice, pag. 121—125.

merita. Profecto enim, ſi celebrat orbis eruditus Socratis Platonisque ingenium, Leibnitzii Kantiique ſapientiam; quibus eos efferat oportet laudibus, qui doctrinam omnium puriſſimam tradiderint, quin fundamenta adeo jecerint, quibus poſterioris temporis philoſophi ſuperſtruerent, quaecunque ipſi, antiquorum in hoc genere inventis praeſtantiora, traderent! — Veruntamen non ad unas philoſophorum ſcholas Chriſti Apoſtolorumque merita pertinent. Non his ſolis profuerunt, qui, caeteris perſpicaciores, facilius videant, quid verum ſit, quid utile, quid non item. In his non ſubſiſtit noſtra oratio. Ad cujuscunque generis homines, ex eorum doctrina, emolumentum inſigne redundavit. — Magnam iis laudem tribuo legislatoribus, qui populum quendam integrum ſua bearunt inſtitutione. Majus vero quid eſt, quod de Chriſto Ejusque Apoſtolis praedicem. Plurimos populos ſua doctrina imbuerunt, excoluerunt, bearunt. Quam magnum enim eſt illud, quod meo obverſatur oculo, orbis terrarum ſpatium, per quod jam eorum doctrina propagata eſt! Verum ne his quidem finibus ſalutaris ejus vis ſepta eſt. Verum haec, age! paullo accuratius conſideremus.

§. 1. *Doctrina Christiana inter Christianos idololatriam subvertit.*

Pro Deo immortali ac majestatis pleno, gentes coluerunt ſimulacra, mortalium hominum, alitum, quadrupedum ac reptilium. Quae priscorum fuerit inſania hominum, novimus. Quam miras nec raro detestandas, quibus divinum offerrent honorem, Deorum ſaepenumero confecerint imagines, vidimus. Conſtat adeo, antiquas gentes fere omnes magis minusve a vera Numinis aberrasſe cognitione; et vero longe plerasque Ejus confecisſe imagines, quas deorum loco haberent. Erant quidem in iis, qui meliora cernerent. Exſtiterunt praeclari philoſophi, qui gentis ſuae improbarent idololatriam. Horum vero exigua vis fuit. Quae enim eorum esſe poterat vis, qui, ipſi meliora ſentientes, eadem tamen plerumque civibus commendare non auderent, eorumque ſuperſtitioni esſe cedendum existimarent? (1)

At vero quam diverſa orbis facies exſtitit, doctrina propagata Christiana! Haec longe lateque idololatriae finem impoſuit (2). Neque mirum illud. Aperte ea docuit omnes, idolum esſe nihili; quamquam multi ita dicti ſint Dii, unum tamen esſe Deum, a quo, per quem et ad quem sint om-

(1) Vid. ſupra Sect. I. §. 1. pag. 9 ſeqq.

(2) Vid. Noesselt, l. l. P. II. §. 6.

omnia. Gentes suo genio indulserant; ex auro, argento, lapide Deos confecerant. Eum vero Deum annuntiarunt Jesus et Apostoli, qui a rebus creatis sit diversus, qui omnium rerum sit Creator, Conservator ac Rex, qui harum omnium summus sit Dominus, qui, cum sit Spiritus, neque a quopiam adspici possit, neque etiam imaginibus ullis repraesentari. (1)

Haec doctrina, divinae auctoritatis notis insignita, hominibus de idololatriae persuasit insania ac stultitia; Deorum simulacra prostravit; eorum templa destruxit; eorumque sacerdotes auctoritate destituit. Quorum omnium testis est historia. Quidquid multi Romanorum Imperatores, ad gentium retinendum restituendumque cultum moliti sint, eventu eorum caruerunt conamina. Christi Apostolorumque doctrina ea, quae colerentur, numina falsa esse docuit. Desierunt homines venerari Jovem, Mercurium, Martem, reliquamque suorum Deorum ac Dearum cohortem. Idolorum templa in aedes Deo Christoque sacras commutata sunt.

Medio quidem aevo, cum Mariae, sanctis, angelisque divini deferrentur honores, polytheismi quandam formam exstitisse video. Qui jam sanctorum martyrumque reliquiis honores tribuerentur, quod et his et angelis in res humanas concederetur dominium; haec igitur idololatriae ac supersti-

(1) Vid. supra Sect. I §. 4. pag. 26 et 27.

ſtitionis ſpeciem retulisſe, non negamus (1). Atqui tantum abest, ut hoc ullo quopiam jure doctrinae tribui posſit Christianae, ut potius hoc ipſum ejusdem utilitatem necesſitatemque comprobet luculenter. Si enim hujus rei causſas indagamus, primariam in eo ſitam reperimus, quod Christi Apostolorumque doctrina neglecta jaceret penitus. Crasſa dominabatur ignorantia; S. C. nullus fere erat uſus; inque purae divinaeque Jeſu doctrinae locum humana, eaque inquinata, ſubſtituta erat inſtitutio.

Quo vero tempore ſacris Litteris ſuus honos restitutus est; atque ab Eccleſiae auctoritate recedentes ſacrorum inſtauratores, unum C. S. fidei normam conſtituerunt; Protestantes omnem idololatriae ſpeciem repudiarunt, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ colendum esſe Deum profitentes. Ab hoc inde tempore pure Deum venerari denuo inceperunt; nullumque ſanctis angelisve divinum honorem concedentes, Eum unice omnium rerum auctorem ac Dominum agnoverunt. Sanctorum quidem pie colunt memoriam, nullo vero modo iis ipſorumve imaginibus eas laudes tribuunt, quae ſimiles ſint iis, quae uni debentur Deo, omnium rerum Domino.

(1) Vid. Brouwer, l. l. pag. 109.

§. 5.

§. 2. *Doctrina Christiana purioribus de Deo notitiis Christianorum animos imbuit.*

Polytheismus natura ſua rectas, de Deo rebusque divinis, notiones labefactat. Hic enim ubi viget, ibi Dii vel majores vel minores informantur, ſibi invicem conſentientes vel contrarii. Ubi hic adest, ibi divinus aut ſoli lunaeque, aut hominibus, aut ipſis etiam animalibus, honos conceditur. — Unde, quam turpes de divina Natura opiniones non oriri non posſint, ſponte intelligitur. Et vero testis est historia, quam perverſas de Nūmine opiniones polytheismus pepererit. Hic enim efficit, ut ſinguli populi ſuos habere cenſeantur Deos, diverſos illos, pro diverſa populorum ratione atque indole, ad eandemque informatos; nec igitur hominum tantum ornatos virtutibus, ſed et eorundem vitiis inquinatos. Veluti novimus, quam turpia Diis Graeci Romanique tribuerint. (1)

Hunc polytheismum plane prostrarunt Jeſus et Apostoli, atque ita melioribus de divina Natura notitiis hominum animos imbuerunt. — Hic vim habuerunt plura, quae in eorum doctrina laudavimus. Quae enim ei univerſe tribuenda est puritas, haec ſponte ſua id effecit, ut meliores hominum mentibus infunderentur notiones. Commendavit illas egregie ſimplex eorum ac popularis docen-

(1) Vid. ſupra Sect. I §. 1. pag. 9 ſeqq.

cendi ratio. Eas Jesus illustravit, Patris in terra imaginem gerens. Quae vero divina sanctis Viris competebat auctoritas, haec effecit, ut facilius ab hominibus probarentur (1). Per propagatam igitur doctrinam Christianam, inceperunt homines Deum venerari, unum omnium rerum Auctorem et Gubernatorem; inceperunt justas de Ejus proprietatibus sibi notiones informare. Mira, pluribus in gentibus, exstitit notitiarum de rebus divinis emendatio. Quae antea coluerant Numina, haec, utpote *falsa*, *jam spreverunt et improbarunt*.

Nobiliores non tantum et doctiores hanc doctrinam acceperunt; verum etiam rudes infimaeque sortis homines. Et vero ab hoc inde tempore, quicumque puram Jesu doctrinam acceperunt, eas de divina Natura sententias professi sunt, quibus puriores Deoque digniores nullae reperiantur. Non haec ita contendo, quasi nulli unquam Christiani perversas de Numine foverint opiniones. Quae supra de medio aevo diximus, haec contrarium testantur manifesto; dogmatumque historiae rudis sit necesse est, qui non perversas haud paucas de divina Natura apud Christianos animadvertat sententias. Vel sic tamen hoc jure affirmamus, eam universe hujus doctrinae esse vim et efficaciam, ut, ubicunque libri sacri legantur et consulantur, puriorum

(1) Vid. supra Sect. I. §. 4—6. Sect. II. §. 2—5. Sect. III. §. 1. 4. Sect. V.

riores de Dei Natura cultuque notiones, apud inferioris etiam sortis homines, inveniantur, quam apud exterae antiquitatis philosophos. Medii aevi corruptio inde potissimum originem duxit, quod, cum sacri libri non consulerentur, sanae doctrinae Christianae nullum fere superesset vestigium. Quae vero post sacrorum emendationem melior invaluit ratio, haec maxime a rite consultis libris sacris fluxit; effecitque eadem, ut denuo puriores de divina Natura notiones ubivis invaluerint. (1)

Summa igitur, hac in caussa, Jesu Apostolorumque sunt merita, quibus bearunt genus humanum. Qui affligebatur doloribus, rebusque tristibus angebatur, Graecus Romanusve, hic unde solatium peteret, vix habebat. Quos vero Deos colebat, hos sibi invicem saepenumero infensos noverat. Et vero, quemnam eorum invocaret, non raro ignorabat. Qui Graecus Romanusve Deos adorabat, hominibus nisi inferiores vitiis, certe non superiores virtutibus, hic, quo moralem suam excoleret naturam, vix habebat. At vero qui Christi audit doctrinam, hic eam Dei notitiam accipit, qua fortiter periculis minitantibus resistat, gravissimasque calamitates bono animo ferat. Idem Deum propositum sibi videt, purissimae moralitatis sum-

(1) Vidd. Bruin, l. l. pag. 224—228. Buttler, l. l. pag. 244. Noesselt, l. l. P. II. §. 6. Clarke. l. l. P. II pag. 246 et 247.

summum exemplar, quod pro sua tenuitate imitari et assequi studeat. (1)

§. 3. *Jesu doctrina multos errores multaque vitia, quae conjuncta sunt cum polytheismo, apud Christianos aut abrogavit aut certe compescuit.*

Non semper tantam vim habuit doctrina Christiana, quantam pro sua indole habere potuisset. Homines non raro in iis, quae peragerent, ea vel non usi vel abusi sunt. Verumtamen tam multa immutavit, ut hac in re nullius antiquorum philosophorum doctrina comparari mereatur. „A primis inde temporibus multa attulit commoda; et vero ne perditissimis quidem temporibus omni effectu caruit, cum esset publica veluti grassantium errorum et vitiorum censura, divinae sapientiae ac sanctitatis defensio, denique veluti semen quoddam in terra absconditum, quod, si non hoc vel illo tempore, ast alio fructum proferet, remque Christianam instaurabit." (2) Historia denuo hanc doctrinae Christianae vim aperte manifestat. Quos enim superstitio apud exteros protulerit errores, neminem latet. Novimus, quantam vim hi tribuerint, quantamque fidem

(1) Vid. supra Sect. IV. §. 2, 3.

(2) Vid. Turretinus, l. l. Tom. I. pag. 242 et 243.

dem habuerint prodigiis portentisque, quantaque apud eos usi sint auctoritate augures et haruspices (1). Romanorum modo spectemus religionem. Augures observabant coeli μετέωρα, avium volatum et cantum, pullos gallinaceos, ut inde, quae futura crederent, annuntiarent. Hoc tam universe obtinuit, ut nulla res sine auspiciis gereretur. Haec consulebantur, quotiescunque vel comitia convocabantur, vel bellum suscipiebatur, vel pax rata fiebat, vel simile quid peragebatur. Procurabant autem haec omnia cives nobilissimi, qui maximam in Republica auctoritatem habebant. Hi vero quamquam hac se saepe Reipublicae profecerunt, eadem tamen re gravissimas saepe excitarunt turbas, postquam rerum novarum studiosi, ut omnia turbarent et Rempublicam everterent, hac disciplina abusi sunt. — Tanto vero honore apud antiquos haec habebantur prodigia, ut plures etiam philosophi his non omnem fidem denegarent. Hoc suspicantur de Socrate et Platone. Stoici quidem hoc palam professi sunt (2). Magna vero opera haec probare et conservare studuerunt philosophi Neo-Platonici.

Haec sua vi et auctoritate privavit doctrina Christiana, cum primum, per gentes propagata, earum prostravit religionem. Eas de Dei providen-

(1) Vid. Schröckh, l. l. Part. I. pag. 377.

(2) Vid. Brouwer, l. l. pag. 84. 87, 98.

dentia deque idolorum vanitate notitias tradidit, quae sponte sua his astutis sacerdotum fraudibus ac fallaciis omnem fidem detraherent. — Quodammodo quidem illa commenta medio aevo revocata sunt, quum populum fraudibus decipere sacerdotes non dubitarent, variisque prodigiis et portentis superstitiosa fidem haberet multitudo (1). Verum tunc veram doctrinae Christianae indolem perceptam non fuisse, nemo non novit. Quo magis vero haec cognosci coepit, quo magis S. C. legere instituerunt homines, eo magis haec ludibria evanuerunt; atque eo plures superstitiosas quasque missas fecerunt sententias.

Verum doctrina Christiana non tantum hos errores, sed multa quoque vitia, quae cum polytheismo conjuncta sunt, abrogavit aut certe compescuit. — Apud multos antiquos regnabat impudicitia; neque ea communi hominum sensu vituperabatur. Ipsae non raro Deorum Dearumque imagines, quas divino honore prosequebantur, impudicitiae provehendae accommodatae erant. Ea quoque de Diis narrabantur, quae hos ipsos maximopere impudicos fuisse testarentur. Quae de Jove, Marte, Venere, Apolline, aliis fabulantur Graeci Romanique poëtae, satis id comprobant. Ipsa adeo festa, in Deorum honorem edita, saepe ita erant comparata, ut mores ibi domina-

ren-

(1) Vid. Brouwer, l. l. pag. 109.

rentur impurissimi. Quae in Veneris Bacchique festis ac mysteriis agebantur, satis superque nota sunt. Haec autem ejusmodi apud nonnullas gentes fuerunt, ut Diis suam immolare pudicitiam nonnulli non dubitarent, quin imo leges invenirentur, quibus hoc publice mandaretur. Multi adeo Deorum sacerdotes moribus notati erant impudicissimis. — Haec vero quum esset religionis conditio, mirum non est, ita turpissima flagitia interdum apud antiquos dominata esse, ut primarii etiam viri non pauci hac labe haud immunes essent. Ea adeo publice sunt professi, eaque poëtae cecinerunt, quae nunc profiteri aut canere nemo non paullo honestior vehementer reformidet. Ipsa vero ut plurimum gentium religio haec flagitia probabat, aut iis honestatis colorem quendam inducebat. (1)

Haec valde commutata sunt, doctrina propagata Christiana. Docuit illa homines sanctos esse, prouti Deus ipse sanctus est. Non quidem omnem morum impuritatem avertere potuit; verum hoc certe effecit, ut ab omnibus nunc ignominiâ notentur flagitia, qualia peragere apud antiquos nemini haberetur dedecori. Hoc autem quam vim ha-

(1) Vidd. Schröckh, l. l. P. I. pag. 379. Muntinghe, l. l. P. VIII. pag. 386. annot. pag. 116. Gieseler, *Lehrbuch der Kirchengesch.* Tom. I. pag. 23, 24. Tholuck, in loco allato ad pag. 17. IV. §. 2.

habeat, dictu difficile est. Ea enim cavere multi solent, quae ignominiosa esse, a pueris inde moniti sunt. Praeterea longissime haec a Christianorum sacris remota sunt. Plura etiam ipsum apud nos vulgus detestatur, quae apud antiquos religio probabat. Insitae sunt hominum animis multo puriores de morum integritate notiones, quam antiquitus. Et vero quicunque unquam doctrinam Christianam toto amplexi sunt animo, hi nihil antiquius habent, quam ut omnem fugiant caveantque morum impuritatem.

Sunt plura, ab humanitate longe aliena, quae apud antiquos regnarent, vitia, ex polytheismo orta illa, ab eoque vel commendata, vel certe non repressa. In his jure censentur sequioris sexus contemtus, servitutis institutum, inhumanitas contra hostes, expositio puerorum, humana sacrificia, ludi gladiatorii. Haec vero omnia vel prorsus abrogavit, vel certe imminuit doctrina Christiana; eas de Numinis providentia hominumque cum Deo conjunctione notitias impertiens, quae non possent non humanitatis sensum excitare atque provehere. — Ut rite percipiamus, quam vim hac in causa doctrina habuerit Christiana, ab hoc loco non alienum videtur, haec Turretini verba excitare. „ Massagetae, inquit, ac Derbices propin„ quos suos miserrimos putabant, si naturali fato „ occumberent, quamobrem eos aetate jam effoe„ tos mactabant eorumque carnibus vescebantur.

„ Hy-

„ Hyrcani vivos eosdem atque spirantes canibus
„ avibusque objiciebant. Scythae, quos mortui
„ summopere adamassent, ad eorum rogos jugula-
„ bant, vel vivos una defodiebant, et humana car-
„ ne vescebantur. Persae nuptias cum matribus
„ inibant. Alii populi incesto filiarum ac soro-
„ rum concubitu se polluebant, nec deërant, qui
„ ad mares furioso libidinis aestu raperentur. Te-
„ ste Socrate hist. Eccl. Lib. I. Cap. 18. Helio-
„ politani in Phoenicia uxores communes habue-
„ runt, parentumque ac liberorum distinctionem
„ non agnoverunt, imo et virgines hospitibus
„ advenientibus constuprandas tradiderunt. Quin
„ apud Graecos et Romanos infantium expositio
„ publico more obtinebat: aderant ludi gladiato-
„ rii; et amores meretricii vagaeque libidines pro
„ nugis habebantur; neque ullum fuit Veneris
„ genus, quod apud ipsos non vigeret, vel nullis,
„ vel laxis nimium, quibus illa vetarentur, legi-
„ bus." (1)

Haec si cum conditione comparamus gentium, quas beavit doctrina Christiana; quantum cernitur discrimen! Humanitas in illis viget, certe multo magis, quam in antiquis umquam viguerit gentibus. In his vero omnibus, maximam vim doctrinae Christianae esse tribuendam, nemo non videt

(1) Vid. Turretinus, l. l. Tom. I. pag. 232. et 233.

det (1). Haec enim cum pure traderet sanae rationis, de Deo rebusque divinis, decreta, cumque ea, per divinam auctoritatem confirmata, longe lateque propagaret, effecit, ut notiones illae hominum infunderentur animis, quae humanitatem non provehere non possent, ac foedissima quaeque compescere vitia. Atque eo majorem hic vim illa habuit, quoniam haec decreta non tantum cognoscenda tradidit, verum eadem etiam ad emendandos imprimis homines adhibuit.

§. 4. *Doctrina Christiana ipsis profuit Muhammedanis.*

Maxima forent Christi Apostolorumque in genus humanum merita, etiamsi ad eos solos pertinerent, qui fidem amplexi sunt Christianam. Verum ad eos etiam populos, qui hanc doctrinam non acceperunt, hinc multa bona redundarunt. Nam Mohammedes optima quaeque, quae in Corano de rebus divinis dixit, partim ex Judaeorum, partim ex Christianorum, libris sacris hausit. Hic nimirum exstitit Saeculo VII. in Arabia novae religionis auctor. Occurrunt in ejus doctrina inania multa, nec ullo modo probanda. His tamen plurima addita sunt, perquam egregie de Deo rebus-

(1) Vid. Noesselt, l. l. P. II. §. 6. Valk, l. l. pag. 367. Paley, *bew. voor het Christ.* P. III. pag. 310 seqq.

husque divinis dicta. Docuit enim Deum unum esse, Aeternum, Omniscium, Omnipotentem, Benignum; et quae sunt hujus generis alia (1). Haec quidem ex suo ipse ingenio minime hausit. Quo enim tempore prodiit, jam in Arabia vigebat doctrina cum Judaica, tum Christiana. Mosem adeo ac Jesum magno honore habuit, tamquam divinitus missos legatos (2). Neque adeo dubium est, quin his meliora sua debuerit placita. — Muhammedis autem doctrina longe lateque per Orientem propagata est. Arabiam enim, Syriam, Palaestinam, regnum Persicum, Aegyptum, porro Africae quasdam partes septentrionales occuparunt Saraceni, qui ejus doctrinam amplexi erant. Quin et Hispaniae partem invaserunt iidem, atque ad tempora usque Ferdinandi et Isabelae retinuerunt.

In his fuerunt plures regiones, ubi Christiana jam innotuerat doctrina. Hac itaque fugata, iis populis nocuisse merito censetur Muhammedes. Verum longius etiam ejus doctrina ad alios propagata est populos, qui Euangelium ignorabant. His certe profuit, tradita iis doctrina puriori. Universe enim, ab ejus inde tempore, a gentibus Orientalibus, quae antea vel plures coluerant Deos, vel peculiarem aliquem Deum, unum Numen summum coli coepit. Hoc vero monotheismi placitum

(1) Vid. Reland, *de rel. Moham.* Lib. I. Cap. 2.

(2) Vid. Idem l. l. Lib. I. Cap. 5.

tum maxime Christi Apostolorumque institutioni debuit Muhammedes. Sic adeo et horum merita ad ipsos Muhammedanos pertinere dicenda sunt. Ut enim in Orientalibus gentibus polytheismus subverteretur, ejusque locum ubivis occuparet monotheismus, id effecit doctrina Christiana, quae Muhammedi innotuit, ab eoque suos in usus conversa, hac quoque ratione, salutarem suam vim quodammodo demonstravit.

Sic itaque ad nostrae disputationis finem pervenimus. Quae, autem consideravimus, in memoriam revocantes, Dei summam benignitatem celebremus oportet, qua nobis hanc Euangelii lucem concesserit. Etiamsi enim nihil aliud, in nostram salutem, docuissent atque egissent Jesus et Apostoli, quam id, quod hac disputatione exposuimus; vel sic tamen eorum ad homines legationem summum praedicandum esset divinum beneficium. Hanc igitur coelestem doctrinam nunquam vel repudiemus, vel ingratis animis parvi faciamus; cum certissimis nobis constiterit argumentis, ex hoc prae caeteris fonte puram nostram, de Deo rebusque divinis, cognitionem omnem esse haustam.

Quod superest, gratias ago Deo Optimo Maximo, qui mihi, hocce pensum persequenti, adfuerit,

ac

ac mihi et animum, et vires addiderit, ad gravisſimum hoc argumentum pro virili parte explicandum; cujus pertractatio meam de doctrinae Christianae praeſtantia ac ſalubritate perſuaſionem non potuit non valde confirmare!

Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς, τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν.

PAULUS, *Act.* XVII: 30.

ARNOLDI CAROLI COSMAN,

IN ATHENAEO AMSTELODAMENSI JURIS UTRIUSQUE CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM,

AB ORDINE JCTORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA A°. 1828 PROPOSITAM:

„ *Quaeritur, qua ratione fiat, ut secundum naturae jus ex pacto, nulla accedente praestatione, jus et obligatio perfecta oriantur?*

„ *Ad quam quaestionem ita respondeatur, ut, paucis ante declarata pacti natura, tum praecipuae scriptorum de hac juris et obligationis perfectae causa et fundamento sententiae explicentur et disquirantur, ac tandem, quid verius videatur, argumentis probabilibus doceatur.*"

PRAEFATIO.

Jam ab eo inde tempore, quo primum Juris Naturalis disciplina excoli coepit, in diversas prorsus sententias abierunt illius juris doctores, ubi vim obligandi pactorum probare conabantur. Haec opinionum diversitas, in antiquioribus certe scriptoribus, imprimis inde exstitisse videtur, quod aliud alii proposuerant summum Juris principium, ex quo, ut merito dici posset *summum* principium, etiam repetere debebant causam obligationis,

nis, quam e pactis oriri contendebant. Altera hujus diversitatis causa fuisse videtur, quod non satis accurate distinctis Ethices et Juris finibus, saepius, quod *Juris* esse contendebant, argumentis ex *Ethica* aut ex *utilitate* petitis, probare conarentur.

Postquam autem Kantius summum proposuit principium (1), quod hodie fere universe comprobatur et praeterea, etiam accuratius a se invicem sejunxit doctrinam juris et morum, plerique recentiores vim obligandi pactorum repetunt ex jure, quod ille, qui promittit, ei, qui promissum acceptat, concessisse videtur, et quod igitur huic invito sine injuria auferri nequit, omissis subtilitatibus, quas ipse Kantius hisce argumentis obstare putabat (2). — Cum sic lis composita videretur, duo exstiterunt in Germania viri, qui universe fere receptam de pactis theoriam novis argumentis impugnaverunt, Bausback nempe, qui nullam pactis vim obligandi tribuit et Schmal-

(1) Justa est omnis actio, quae cum libertate externa aliorum secundum legem quandam universalem consistere potest.

(2) Fuerunt tamen in antiquioribus etiam, qui eandem tuerentur sententiam, ut Treuërus, Mendelssohn, aliique.

Schmalzius, qui jus et obligationem perfectam e pactis oriri negat, quamdiu nulla accessit praestatio, aut certe, quamdiu pacti causa nihil a promissario factum est aut omissum. Bausback hucusque solus suam sententiam defendit, sed Schmalzius, non in Germania tantum, sed in ipso Belgio nostro suos nactus est sectatores, ita ut in Academia Lugduno-Batava, his ipsis annis Ludovicus Werndley peculiari dissertatione ejus sententiam explicuerit et defenderit.

Ut igitur res denuo examini submitteretur, Ordo Jureconsultorum in Academia Rheno-Trajectina studiosae juventuti hanc quaestionem proposuit:

„ Quaeritur, qua ratione fiat, ut secundum
„ naturae jus, ex pacto, nulla accedente praestatio-
„ ne, jus et obligatio perfecta oriantur?"

„ Ad quam quaestionem ita respondeatur, ut,
„ paucis ante declarata pacti natura, tum praeci-
„ puae scriptorum, de hac juris et obligatio-
„ nis perfectae causa et fundamento sententiae
„ explicentur et disquirantur, ac tandem, quid
„ verius videatur, argumentis probabilibus docea-
„ tur."

Adeo mihi arrisit quaestionis elegantia, ut statim

res-

responsionem ad eam conscribere mihi proponerem, etsi me non lateret argumenti difficultas. Sciebam scilicet, aequos judices, etiamsi non possent comprobare, certe non esse dedignaturos juvenilis ingenii conatus.

Itaque scriptionis divisionem institui, ut ipsa indicaverat quaestio. Cap. I. breviter et paucis tantum egi de pacti natura, nec plura de hoc argumento, quod latissime patet, dixi, quam principalis, de qua agendum erat, quaestio necessario requirere videbatur. Capite II. aliorum de fundamento juris et obligationis perfectae, quae ex pactis oriuntur, sententias explicui. In hoc capite tractando, quaedam se mihi obtulit difficultas. Saepius scilicet, ut aliorum sententias prorsus refutarem, jam hoc Capite meam etiam sententiam exponere, et sic argumentum tractare debuissem, de quo, ut indicaverant Viri clar., tertio demum loco agendum erat. Sic e. g. ut probarem, Bausbackium injuria pactis vim obligandi denegasse, caussam, cur ea vis illis tribuenda sit, explicare debuissem. Ut hac difficultate me expedirem, nec tamen singulorum capitum argumenta confunderem, in hujusmodi casibus ulteriorem adversariorum refuta-

ta-

tationem ad Caput III. distuli, et Capite II. universe tantummodo indicare conatus sum sententiarum, quae refutandae erant, vitia.

In explicandis autem scriptorum sententiis omnia omisi, quae non prorsus necessaria videbantur ad eas rite capiendas. Historiam Juris Naturalis non attigi; quinam fuerint Grotius, Hobbesius, Pufendorfius caet. non dixi; qualis fuerit juris naturalis illorum aetate conditio, non curavi; quaenam fuerint eorum in excolendo jure naturali merita, aut quaenam fuerint principia, quae singuli in scriptis de jure naturae secuti sunt, non explicui, nisi quatenus argumentum, quod tractandum erat, illam explicationem postulabat.

Ad calcem hujus Capitis etiam de iis egi, qui eandem ac nos, sententiam tuentur, idque propterea feci, quia verba, quae in quaestione occurrunt: ,, ac tandem, quid *verius* videatur *caet.* " mihi innuere videbantur, hoc ita voluisse Viros Cl., etsi commode etiam post explicatam nostram sententiam in fine Capitis III. de iis agi potuisset. Cum autem suffecisset solam Treuëri proponere sententiam, argumenta a Schmalzio et Werndleyo contra Mendelssohnium, Zachariae, Zeil-

Zeillerum et Hoepfnerum allata me coëgerunt, ut horum etiam fententias paulo latius explicarem.

Sic igitur nihil fupererat, nifi ut Capite III. meam de quaestione fententiam probabilibus argumentis ftabilire conarer.

Haec praemonenda videbantur de ratione, qua hanc disputationem inftitui; quam itaque Viris Cl. trado, fperans fore, ut eam aequo, ut folent, animo dijudicent, et qui infunt errores, juvenili et rudi ingenio condonent.

CA-

CAPUT I.

DE PACTI NATURA.

Necessaria fuisse pacta, simulac homines in civitatem coiërant, et dominia inter eos certa esse coeperant, res est nulli dubio obnoxia. Quamvis enim late pateant humanitatis officia, quamvis ex Ethices praeceptis obligati sint homines, ad praestanda aliis ea, quibus indigent, longe tamen abest, ut Ethices praecepta omnibus, qui incidere possunt, casibus sufficiant, et idoneas ac claras, secundum quas actiones suas instituant, hominibus regulas praescribant. Cum enim generalius sint concepta, eorum ad peculiares casus applicatio multis saepius difficultatibus laborat. Sic, ut exemplum afferam, non facile est definire, quid

quid faciendum ſit, ſi alter re quadam maximopere indiget, quam ego posſideo, et quae mihi etiam et liberis meis est utilis. Non illud praeterea omnium hominum est ingenium, ut ex ſolo humanitatis ſenſu, nulla alia accedente obligatione, aliis prodesſe velint, ubi certa iis non est ſpes, fore, ut aliquod inde commodum et ipſis existat. Alios, licet optima indole praeditos, quomodo aliorum commodis inſervire posſint, latet; et illi, quibus eorum auxilio est opus, nimis elato ſaepe ſunt animo, quam ut illud ab iis petere velint. (1)

Omnes illas difficultates tollunt pacta. His enim accurate definitur res, cujus praeſtandae obligationem in nos ſuscipimus; his jus aliquod nobis ſtipulari posſumus, quod nobis concesſum volumus, quaſi in compenſationem obligationis in alterius commodum contractae. Pactis denique, qui gratuito ab alio rem quandam, aut officium ſibi praeſtari non vult, aliam rem aut pretium vel mercedem illi promittere potest.

Ex iis, quae modo diximus jam ſequitur, pactorum eam esſe naturam, ut iis jus aliquod ab altero in alterum transferatur. Et ſane, quidnam aliud potest excogitari propoſitum partium contrahentium, ſerio animo conſenſum de aliquo facien-

(1) Cf. Pufendorf, de J. N. et G. L. III. Cap. IV. §. 1. de O. H. et C. Lib. I. Cap. IX. §. 2.

ciendo declarantium, quam ut alter alteri jus quoddam concedat?

Pactum igitur, contractus, sive conventio (cum nullum inter haec jure naturae intercedit discrimen) dici posse videtur: duorum pluriumve de aliquo dando vel faciendo idoneis signis declaratus consensus, qui eo tendit, ut jus aliquod ab altero in alterum transferatur. — Hujus definitionis probationem paulo altius repetentes, simul commode de pactorum universe natura agere poterimus.

Requisita pactorum (si modo ad distinctionis veritatem non ad latinum sermonem attendas) recte a Juris Naturalis doctoribus distinguunter in *essentialia*, *naturalia* et *accidentalia*. (1)

Essentialia requisita sunt *communia* vel *propria*. *Communia* sunt ea, sine quibus pactum cogitari non potest. *Propria* sunt, quibus deficientibus pactum, qua pactum subsistit, sed in aliam speciem deflectitur; sic locatio conductio in mandatum fere abit, si a conductore merces non praestatur (2). *Naturalia* requisita intelliguntur, quae pactis vulgo insunt, sed quae a paciscentibus expressa stipulatione possunt removeri et mutari, non mutata tamen ipsius pacti, de quo agitur, specie

aut

(1) Vid. Haus, Elem. juris doctr. Philos. §. 171.

(2) Vid. Haus, d. l. §. 171.

aut nomine (1). Sic licet mutuum natura sua sit gratuitum, mutuum tamen etiam erit et dicetur, si mutuans sibi usuras stipulatus fuerit. *Accidentalia* requisita sunt, quae sua natura pactis non insunt, sed de quibus tamen inter paciscentes conveniri potest, ut de adjectione conditionis, diei aut modi.

De pactorum natura universe agentibus *naturalia* et *accidentalia* imo et *essentialia propria* requisita, quippe quae peculiares magis spectant pactorum species, latius explicanda non videntur. Itaque pro instituto nostro sufficiat de *essentialibus communibus* egisse. Huc igitur referuntur:

I°. *Personae.* Ut pactum sit validum, duae requiruntur pluresve personae. Haec enim cum sit, ut jam vidimus, pactorum universe natura, ut iis jus aliquod ab altero in alterum transferatur, necessario duae pluresve personae intercedere debent, quae aut sibi invicem, aut ex quibus altera alteri jus quoddam concedit. Nihil autem refert, utrum illae personae sint physicae an morales, modo physica et juridica gaudeant consentiendi facultate. *Physica* non fruuntur infantes, dementes caet. *Juridicam* consentiendi facultatem non habent, qui

(1) Conf. Haus, ibid. Caeterum sponte patet, improprie tantum de *requisitis* naturalibus et accidentalibus dici. Melius forte *conditiones* naturales et accidentales vocentur.

qui aliorum potestati subsunt, ut liberi sub poteste parentum constituti. (1)

Ex eodem principio, nempe pactorum vim eo tendere, ut jus aliquod ab alio in alium transferatur, etiam sequitur in pactis necessario requiri,

II°. *Objectum*, i. e. pacto res vel facta definienda sunt, de quibus praestandis inter se convenerunt paciscentes. Pactorum igitur objectum est *praestatio personalis*, i. e. per pacta acquirimus jus petendi a certa quadam persona, ut nobis praestet illud, quod nobis promisit; jus igitur in ipsa re promissa solo pacto non acquirimus. Idque ex ipsa pactorum natura sequitur. Si enim quis promisit, se aliquid mihi esse daturum, et ego hanc promissionem acceptavi, inde quidem jus mihi oriri potest, eum cogendi ut promissis stet, sed donec rei etiam possessionem in me transtulerit, in ea ipsa jus nullum habeo, nec igitur a tertio rei possessore eam *vindicare* possum. Itaque solus debitor meus, si tertius ille injusto modo possessionem nactus est, *vindicationem* seu actionem *in re* contrà eum instituere potest, ad recuperandam rem amissam. Est igitur juri etiam naturae quam maxime consentanea regula Juris Romani in lege

20.

(1) Sic vulgo docetur. Nescio tamen, an juridica illa consentiendi facultas eadem sit ac physica, cum jure naturae parentum potestas tantum duret, quamdiu liberi ex ingenii imbecillitate ipsi suas res curare non possunt.

20. C. de Pactis (II. 3.): traditionibus — rerum dominia, non nudis pactis transferuntur. Argumenta dissentientium (plures autem dissentiunt) singula afferre et refutare hujus loci non est. Si cui plura de hac quaestione legere lubet, adeat, qui cum nobis faciunt, Henricum Coccejum, Diss., an traditio necessaria sit ad transferendum dominium; Exercit. curios. Vol. I. pag. 213. Sam. de Coccejі Diss. prooem. ad Grotium, XII. pag. 268. aliosque, quos citat Haus, d. l. §. 184. ubi etiam indicat loca auctorum, qui aliam tueatur sententiam. Add. Colenbrander, Obs. Jurid. Inaug. de pactis, Cap. II. §. 9. Lugd. Batav. 1810.

Pactum autem est *bilaterale* seu *onerosum*, aut *unilaterale* seu *gratuitum*. In prioris generis pactis uterque contrahentium ad aliquam praestationem se obligat. Exemplum sit emtio venditio, permutatio, caet. In pactis unilateralibus alteruter tantum paciscentium aliquid faciendum in se suscipit, ut in pacto de donando. In his, qui promisit, vulgo *promissor*, cui quid est promissum *promissarius* (1) appellatur. In bilateralibus pactis uterque contrahens simul est *promissor* et *promissarius*.

Praestationem, quam promissor in se suscipit, tam

(1) Perspicuitatis causa hoc vocabulum, utut minus Latinum, saepius adhibuimus.

tam in faciendo, quam in non faciendo posse consistere, ex ipsa rei natura sequitur. Quid enim obstat, quominus vim suam obtineat pactum, quo legatarius promittit, se in commodum heredis non esse petiturum legatum, ipsi a testatore relictum? (1)

Porro pactorum naturae congrua est cum conventio, qua quis rem ipsam, tum etiam ea, qua quis rei usum se praestiturum promittit, uti obtinet in locatione conductione rerum, in commodato etc. — Plures aliae sunt praestationum divisiones, quas singulatim explicare longius foret. Universe igitur dicendum, de omni praestatione jure naturae posse convenire contrahentes, quae nec *physicis* legibus nec *juris* et *virtutis* praeceptis repugnat, i. e. ut vulgo dicunt doctores, quae nec *physice* nec *juridice*, nec *moraliter* est *impossibilis*. Sunt tamen quidam, qui promissum rei *turpis* valere contendant. Error inde imprimis existere videtur, quod Ethicam a juris doctrina prorsus divellunt, non satis attendentes, utramque ex eodem *fonte*, ex sana ratione manare, etsi *ambitu* a se invicem differant, cum *Ethica* ad omnes om-

(1) Obligationes *perfectae*, quae citra pacta adsunt, fere in *non faciendo* consistunt, quippe quae oriuntur e praecepto: *alium ne laedas*. Imo ipsa obligatio perfecta, et, ut ita dicam, positiva alendi liberos e pacto tacito, per ipsum procreationis actum inito, repeti posse videtur.

omnino hominum actiones tam internas quam externas pertineat, doctrina vero *juris* ſolas externas hominum actiones regat, et tantum quaerat, an illae alios laedant, nec ne. Hinc ſcilicet fieri quidem potest, ut actio quaedam jure naturae ſit *licita* ſeu *permisſa*, tanquam nullam in alios injuriam continens, dum doctrina morum eam *reprobat*, utpote contrariam legibus virtutis, officiis v. g. pietatis; ſed abſurdum videtur ſtatuere, juris leges, quae aeque ac virtutis praecepta ex ſana ratione proficiscuntur, aliquid *jubere*, quod haec *vetant*.

Cum cuilibet homini aequalis competat naturalis libertas, nemo jure perfecto obligatus esſe potest ad pactum ineundum i. e. ad alteri quid ex ſuo jure concedendum, nam licet res, quam alius a me petit, ei ſit utilisſima, ex *juris* tamen legibus ad eam praeſtandam minime me cogere potest, cum aliorum indigentia *moralem* tantummodo obligationem mihi imponere posſit. Ex eadem naturali libertate ſequitur, neminem ad promisſionem ſibi factam acceptandam perfecte esſe obligatum. Non potest enim liberalitas nolenti acquiri (1). Hinc requiritur

III°. *Conſenſus partium contrahentium*, i. e. idoneis ſignis declarata voluntas, ſe hoc illudve facere velle.

Con-

(1) Ut est in lege 19. §. 2. D. de donat. (XXXIX. 5.), Cf. L. 69. L. 156. §. 4. D. de R. J.

Consensum *partium contrahentium* requiri diximus. Hoc enim ex pacti natura sequitur, quo alter jus aliquod vult transferre, alter acquirere, quod fieri non potest, nisi declarata utrinque voluntate. Hac igitur in re pactum differt a promissione seu pollicitatione, in qua unus tantum promisit, alter de promissione acceptanda voluntatem nondum manifestavit, nec proinde jus aliquod acquisivit. Idem dicendum de *deliberationibus* de pacto ineundo agitatis, in quibus neuter animo se obligandi quid asseverat.

A pacto etiam diversum est *votum*, quo quis non homini, sed quasi Deo quid promittit, qui an acceptaverit promissionem ignoratur. Universe autem quaestio de votis res est, de qua in Jure Naturae non est agendum, quippe quod ad jura tantum hominum inter se refertur.

Cum autem internae mentis actiones legibus juris sive *naturalis* sive *positivi*, non subjaceant, quippe quae ratione aliorum non adsunt i. e. non cognoscuntur, consensus, ut juris effectum sortiatur, necessario idoneis signis declaratus sit oportet. Idoneis signis autem censensus declaratus videtur, sive *expressus* sit, sive *tacitus*. *Expressus* est consensus, ubi quis disertis verbis se quid velle dixit, aut nutu, manus porrectione, aliove tali modo usu hominum universe, aut certae gentis recepto, se consentire significavit. *Tacitus* est consensus, ubi ex alicujus actionibus tuto colligere

 pos-

possumus, eum de aliqua re consentire; sic tacite mandare videtur, qui negotia sua ab alio geri videt et sinit, dum ipsi est impediendi facultas. (1)

Consensus a partibus rite declarati nullum aliud, ut jam initio hujus Capitis vidimus, potest esse propositum, nisi ut alter in alterum jus quoddam transferat. Hinc pactorum is semper erit effectus, ut vel obligationem perfectam, quae antea prorsus non aderat, aut tantum imperfecta erat (2), constituant, vel jam existentem tollant. Pacta igitur constituunt *modum*, seu potius, ut proprie loquamur, *titulum* acquirendi derivativum i. e. titulum acquirendi res, quae in alterius dominio jam fuerunt, cui opponuntur modi acquirendi originarii, quippe quibus acquiruntur res, quae nullius in dominio fuerunt, ut est, e. g. *occupatio*.

Caeterum consilium illud transferendi juris adesse, quo tempore serio animo declaratur voluntas, res est omni dubio major. Verum non aeque facilis dijudicatu est quaestio, utrum promissor deinceps,

(1) Cf. de hisce universe Grotius, de J. B. et P. L. II. Cap. 4. §. 3.

(2) Mendelssohn, Phaedon, in appendice pag. 219. et in *Jerusalem oder über religiöse Macht, und Judenthum*, ed. 1787. pag. 41 et 43. in fine sqq. pactis non nova jura constitui putat, sed tantum imperfecta in perfecta commutari. At vero nonne novum jus adquiro, si plurium, quam quibus mihi opus est, hominum operas luxus caussa mihi conduco?

ceps, quamdiu traditione aut universe alia quadam praestatione, promissionem nondum implevit, aut etiam post factam praestationem, voluntatem semel declaratam jure mutare possit, et a contractu recedere, an vero vi irrevocabili eum obstrictum teneat semel suscepta obligatio. — De hac igitur quaestione nobis ex industria est agendum. Antequam vero nostram exponamus sententiam, praecipuae aliorum opiniones erunt explicandae, et disquirendae.

CAPUT II.

EXPLICANTUR PRAECIPUAE SCRIPTORUM DE FUNDAMENTO JURIS ET OBLIGATIONIS, QUAE E PACTIS ORIUNTUR, SENTENTIAE.

Quaestionis, de qua agimus, difficultas vel inde maxime intelligitur, quod ii etiam, qui idem de ea sentiunt, longe diversa, quibus sententiam suam probarent, attulerint argumenta. Nam et antiquiores et recentiores *fere* omnes de Jure Naturae scriptores unanimi consensu vim obigandi pactis tribuunt, dum tamen de fundamento juris et obligationis, quae inde oriuntur, acriter disputant. Quam vera haec sint, luculenter patebit ex iis, quae hoc Capite sunt tractanda.

§. 1.

§. 1.

De Hugone Grotio.

Initium faciamus ab Hugone Grotio, nostrae disciplinae quasi parente, qui (1) etsi recte contendat, obligationem perfectam ex pacto (quod *perfectam promissionem* vocat) oriri, et merito Connani aliam sententiam tuentis doctrinam rejiciat, non aeque prospero successu fundamentum, cui illa obligatio innititur, explicuisse videtur. Locis enim ex sacro Codice depromtis docet „ vel ipsum Deum, qui nulla constituta lege obstringi „ potest contra *naturam* suam facturum, nisi pro„ missa praestaret;" Unde sequi putat ex *natura immutabilis Justitiae* venire, ut promissa praestentur.

Verum quomodo exinde, quod Deus O. M. Perfectissimus semper certo quodam modo agit, effici potest; imbecillum etiam hominem eadem observare debere. II°. Quod si vel admittatur haec Grotii argumentatio, nonne probat tantummodo, Ethices praeceptis esse consentaneum ut homo, quatenus ejus natura finit, semper agat, aeque ac Deus? Nam cum Deum nobis effingamus Optimum et Perfectissimum, non tantum ea, quae *juris* sunt, sed etiam ea, quae ab hominibus *Ethices* esse di-

(1) Videatur de J. B. et P. L. II. Cap. XI. §. 4.

dicuntur, ſervabit. III°. Denique, in quaeſtione de eo, quid juris ſit, non afferenda ſunt loca e ſacro Codice deſumta, quae tum tantum alicujus eſſe posſunt ponderis, ſi quaeritur, utrum aliquid jubeatur an vetetur per leges *virtutis*.

Attendenda tamen est dictio, qua Grotius eodem §. utitur „ Perfecta promisſio est aut via „ ad alienationem rei, aut *alienatio particulae* „ *cujusdam nostrae libertatis*. Illuc pertinent pro- „ misſa dandi, huc promisſa faciendi.” Etſi enim cum Colenbrandero (1), facere non posſum, qui propterea putat, Grotium jam recte et clare fundamentum perſpexiſſe, quo obligandi vis pactorum nititur, confitendum tamen est, inde patere, eum jam aliquomodo veram illius obligationis cauſam mente concepiſſe (2); *aliquomodo*, inquam, non adeo proptera, quod in *ſolo faciendi* promisſo particulam libertatis alienari putat (hoc enim optime convenit cum viri ſummi ſententia in promisſo dandi, *ipſius rei* dominium transferri ſtatuentis (3)), ſed quia caeteroquin non confugisſet ad illud

(1) Disſ. laud. Cap. II. §. 4.

(2) Quod etiam liquet ex Libro II. Cap XI. §. 1. No. 2. in fine. Ibi autem contra prius propoſitam ſententiam indicare videtur etiam promisſione dandi, jus tantum in *perſonam* transferri. Idem dici potest de illo: *via ad alienationem* (in L. II. Cap. XI. §. 4.) quio magis *titulus* quam *modus* acquirendi ſignificare videtur. Cf. L. II Cap. VI. §. 1. Coll. Cap. VIII. §. 25. de J. B. et P.

(3) Vid. L. II. Cap. VI. §. 1. et Cap. VIII. §. 25. modo laud.

illud argumentum a divina, ut ita dicam, in pactis servandis *fide* petitum, nec alio loco, nempe Prolegomen: §. 8. obligationem implendorum promissorum ex societatis custodia repetiisset. Posteriorem hanc sententiam potius §°. sequenti examinabimus, ubi Pufendorfii doctrina, quae eodem redit (1) erit explicanda.

§. 2.

De Pufendorfio.

Pufendorfius ex summo juris principio, quod duce Grotio proposuerat, nempe *cuilibet homini, quantum in se colendam atque servandam esse pacificam adversus alios socialitatem* (2), fontem juris et obligationis, quae e pactis oriuntur, derivavit. Sic enim ratiocinatur: „Natura homines, ut in societatem coeant, impellit. Cum autem is, qui finem vult, etiam velit media, ad finem perducentia, sequitur, naturam, aut quod eodem redit, jus naturae velle, i. e. jubere ea, sine quibus societas consistere non potest, quorsum etiam pertinet religiosa eorum, quae pactis pro-

(1) Haec etiam causa est, cur prius de Pufendorfio, quam de Hobbesio egerimus, etsi hic pluribus ante illum annis scripta sua ediderit.

(2) Vid. de J. N. et G. L. II. Cap. III. §. 15. Coll. De off. hom. et civ. L. I. Cap. IX. §. 3.

promisſa ſunt, obſervantia. Ni enim illa promisſa ſervantur, plurima pars utilitatis perit, quae ex officiorum commercio hominibus enascitur. (1)

Utrum verum an falſum ſit illud ſummum, quo haec doctrina nititur, juris naturalis principium, hujus loci non est inquirere. Concedamus illud recte ſe habere. Vel tum etiam Pufendorfio probandum fuisſet, ſeverisſimam pactorum obſervantiam *necesſariam* esſe, ut ſocietas inter homines ſtare posſit. Quod non fecit nec facere potuit, cum aliud nos docuerit experientia. In civitate enim Romana, quae per tot ſecula non tantum conſtitit, ſed etiam ita floruit, ut, magis magisque extenſis imperii finibus, tandem omnes fere noti orbis gentes imperio ſuo ſubjecerit, paucisſima tantum pacta nuda *plenam* obligandi *vim* habebant. (2) Quod igitur ſummum e Pufendorfii doctrina contendi posſit, eo redit, ut *utile* ſit pacta ſervari.

Praeterea ex illa doctrina nulla foret pactorum vis inter homines ante civitates conditas initorum, nec etiam ii, qui in diverſis civitatibus vivunt, e pacto ſibi invicem obligati esſe posſent. Niſi tamen quis per illud *ſocietas* et *ſocialitas* (3), univer-

(1) De J. N. et G. L. III. Cap. IV. §. 2.

(2) Recte hoc obſervarit Werndley, Disſ. Inaug. de oblig. quae jure nat. naſcitur pactis. e Lugd. Bat. 1827. pag. 5 ſq.

(3) Quibus vocibus locis ſupra cit. Pufendorfius utitur.

verſe hominum vel extra civitatem viventium commercium Pufendorfium intellexiſſe dicat, quo caſu posterius allata difficultas vi destituitur.

Caeterum disſentiendum mihi videtur a Conſ. Colenbrandero (1), qui putat Pufendorfium alibi, nempe de J. N. et G. L. III. Cap. IV. §. 1. aliam cauſam propoſuiſſe, ex qua obligandi vis pactorum oriatur. Ibi enim discrimen tantummodo ostendit inter officia humanitatis et juridica. Officia humanitatis, quae vulgo dicuntur imperfecta, unice ex obligationibus oriri ait, quas ipſa nobis imponit natura, dum officia juridica (perfecta) *ſemper pendent ab aliqua conventione* (?) *qua alter jus particulare ſibi acquiſivit ex nostro conſenſu;* quibus posterioribus verbis ſignificat tantummodo obligationem in pactis oriri e conſenſu; quod certe nemo, qui aliquam pactis vim tribuit, negabit; cauſam vero, cur ſemel declaratus conſenſus ſenſu juridico obliget, cur a ſemel declarata voluntate, ſalvo jure aliorum, recedere non liceat, explicuit demum §. ſeq. de quo modo egimus; quae viri explicatio etiam optime convenit cum discriminis nota, qua distingui putat obligationes perfectas ab imperfectis. Illas enim implendas putat, quia, niſi impleantur, civitas prorſus *eſſe*, i. e. conſistere non poſſit; has, quia niſi impleantur civitas *rite adeſſe* non poſſit, i. e. quia tum homines

(1) l. c. § 2. pag. 30.

nes tot inde commoda percipere non posſint (1). Operae tamen pretium foret obervare, Pufendorfium, cum e pacto *perfectam* obligationem oriri ſtatuat, minus accurate dixisſe, pactis non ſervandis plurimam *utilitatis* partem perire, quam homines e ſocialitate percipere posſint. Si enim ad perfectorum et imperfectorum officiorum criterium a ſe propoſitum attendisſet, ſocialitatem illam *prorſus adesſe non posſe*, niſi pacta ſerventur, necesſario ſtatuere debuisſet. — Posteriorem hanc ſententiam tuetur Gros (2) et Garve (3), quam tamen denuo refutare opus non videtur, cum eadem contra eam militent argumenta, quae modo contra Pufendorfii doctrinam attulimus.

Caeterum Pufendorfius aeque ac Grotius jam de vera obligationis, quae ex pactis oritur, cauſa cogitasſe videtur, etſi eam nondum clare perſpexit. Patet hoc tum ex Libri III. Cap. IV. §. 1. modo explicato, tum etiam praecipue ex Libri III. Cap. V. §. 2. initio: *in omni promisſione et in omni conventione promittens aut contrahens alteri cedit jus, quod in re aliqua habebat.*

(1) Vid. de J. N. et G. L. I. Cap. VII. §. 7.

(2) *Lehrbuch der Phil. Rechtswisſ.* edit. 3. §. 179. Coll. nota.

(3) *Phil. Anmerkungen und Abhandlungen zu* Cicero, de Officiis ad L. I. pag. 71 ſqq. edit. IV.

§. 3.

§. 3.

De Hobbesio.

Alia mihi Hobbesii de fundamento juris et obligationis, quae e pactis oriuntur, ſententia fuisſe videtur, quam quae a nonnullis ei tribuitur, qui putant, illum fundamentum illius obligationis repetiisſe ex *abſurdo*, quod obtineret, ſi quis ſerio animo quid promitteret, et dein promisſis non ſtaret (1). — Postquam ſcilicet ſtatuerat, ſingulos homines ante civitates conditas in ſingulas res jus habere, et hinc in continuo belli ſtatu vivere, pacem esſe exquirendam inquit, cum illud bellum quam maxime contrarium ſit hominum conſervationi (2). Ex hac argumentatione primam deducit naturae legem; *pacem esſe exquirendam, quamdiu fieri potest, et demum ad bellum esſe confugiendum, ſi pacem asſequi non posſumus* (3). Cum autem hanc pacem homines conſequi non posſint, quamdiu ſinguli in ſingulas res jus ſuum re-

(1) Vid. C. A. de Jongh, diſſ. inaug. de pactis ſecundum juris praeſertim naturalis principia, Traj. 1825, pag. 12. Cf. etiam Colenbrander, d. l. Cap. II. §. 5.

(2) Vid. Hobbesius de cive, Cap. I. §. 10. ſqq. Leviathan, T. I. Cap. XIII. initio cf. Cap. XIV. initio.

(3) Vid. de cive, Cap. II. §. 2. Leviathan, Tom. I. Cap. XIV. initio.

retinent, illud jus non esse retinendum contendit sed partem ejus esse omittendam et in alios transferendam (1). Haec juris translatio fit per *contractus*, si scilicet jus promissum statim transfertur, vel per *pacta*, si in futurum illud translatum iri conveniunt paciscentes (2). Valent haec, si modo aliud adest praeter verba deliberati animi indicium (3). Mutuae autem promissiones ab utraque parte nondum impletae in statu naturae, i. e. ante civitates conditas, vim non habent, ita ut a pacto recedere mihi liceat, si *nova* metus causa mihi exstitit, ut alter promissis suis stet, ubi ego mea praestitero, quia in illo statu forte physicam cogendi facultatem non habebo (4). Porterius illud ita statuere debuit Hobbesius, cum cuivis facultatem tribuisset de actionibus suis judicandi (5). Caeterum vel sic tamen agnoscit obligationem, etsi eam peculiarem ob causam implendam non esse putet. Praeterea quamvis physicam potestatem aliquem co-

(1) Vid. de cive, Cap. §. 3. Leviathan, d. l.

(2) Vid. de cive, Cap. II. §. 9. Leviathan, dicto Cap. XIV. circamed.

(3) De cive, Cap II. §. 7. et 10. Leviathan, dicto *Cap*. XIV med. De Promissionibus gratticis, vid. de cive, d. *l* §. 8. Cf. Pufendorf, de J. N. et G. L. III. Cap V. §. 8.

(4) Vid. de cive, d. l. § 11. coll. nota, Leviathan, Cap. XVI medio. *Novam* metus causam dicit, quae pacti initi tempore nondum affuit.

(5) Vid. de cive, l. c. coll. Cap. I. §. 9.

cogendi ad aliquid faciendum non habeo, morali tamen facultate illud habendi petendive i. e. *jure* non careo.

Simul ac igitur de serio contrahentium animo constat, pacta servanda esse hac ratione probare conatur: *Pax est exquirenda hominibus* (quod summum est Hobbesio juris naturae praeceptum); hunc in finem jura sibi invicem cedere debent, quod fit per *pacta*. Ut igitur pax inter homines servari possit, fides in pactis data violari non debet. Sponte igitur secundum Hobbesium ex summo juris naturalis principio; *pax, quantum fieri potest inter homines est servanda*, defluit altera lex: *pacta sunt servanda* (1). Proxime haec ad Pufendorfii doctrinam accedunt, et non minus ad Hobbesii summum principium: *pacem esse servandam*, quam ad illud Pufendorfii *socialitatem esse colendam*, observandum, illud magis esse *utilitatis* et *Ethices*, quam *Juris*, ne quid de fictitia Hobbesii communione primaeva dicamus, qua tota ejus innititur doctrina. Cur autem solis verbis de seria voluntate minus ei constare posse videatur, quam per alia signa, equidem non video. Merito jam observavit Grotius (2), *nulla* signa de animi actibus certitudinem habere mathematicam

(1) Vid. de cive, Cap. III. §. 1. Leviathan, Tom. I. Cap. XV. initio.

(2) Vid. de J. B. ac P. L. II. Cap. IV. §. 2.

cam, sed probabilem tantum. Nos autem suo loco ostendere conabimur, qua ratione pacto, solis verbis inito, violato, aliorum jus laedatur.

Illa, quam explicui, vera mihi videtur Hobbesii de pactorum vi obligandi sententia. Quod enim de cive, Cap. III. §. 2. dicit, eum, qui pacta init et ea tamen non servat, sibi ipsi contradicere, illud tantum ad eum casum referri voluit, quo cum *iis* contraximus, quos fidem datam fallere constat. Patet hoc tum ex toto paragrapho tum praesertim ex ultimis ejus verbis: *pour éviter une telle absurdité, il faut ou garder la foi promise à qui que ce soit sans exception, ou ne pas la promettre* (1). — Quodsi quis tamen illud argumentum ex absurditate petitum, ad omnia omnino pacta referre velit, observandum, I°. In vita quotidiana saepissime fieri, ut aliud homines simulent, aliud agant et II. eum non adeo sibi contradicere, qui pactum init, etsi sciat, nec se, nec alios illi secundum *Jus* obligandi vim tribuere. Possit enim illud inire, quia sana ratio et innata omnibus hominibus recti pravique discernendi facultas ipsum et alios docuit, *Ethicam* certe semper tanquam fraudis reum illum condemnare, qui fidem qualicunque modo datam violet.

§. 4.

(1) Verba refero e versione Gallica, quae jam sola mihi ad manum est.

§. 4.

De Thomasio.

Breves esse possumus in explicando doctissimi hujus viri sententia. Obligationem scilicet perfectam e pactis oriri putat, quia illud postulat *tranquillitas generis humani* et *custodia aequalitatis* (1). Prius argumentum probat tantummodo, utile esse, imo principiis morum doctrinae convenire, ut pacta serventur. Posterius autem meram continet petitionem principii. Dicit nempe: *pacta sunt servanda, quia caeteroquin laeditur aequalitas*, dum probare debuisset, aequalitatem laedi, nisi pacta serventur, quod certe facile non est. Nam etsi quis contra juris rationem contendat, servanda non esse pacta, hac doctrina tamen aequalitatem hominum non laedet, quia tum utrique paciscenti competit jus a contractu recedendi.

§. 5.

De Heineccio.

Heineccius vim obligandi pactorum sic probare conatur (2). Cum verbis ita utendum sit, ne al-

(1) Inst. Jurispr. div. L. II. Cap. VII. §. 34

(2) Vid. Elementa J. N. et G. §. 387 sq.

alter decipiatur, omnem fraudem et omne mendacium abesse oportet, adeoque standum est promissis pactisque omnibus deliberato animo initis.

Verum enim vero, etsi lubentissime concedamus, gravissime eum contra *virtutis leges* peccare, qui fidem datam violat et mendaciis alios circumvenit, minime tamen ex Heineccii argumento sequitur, eum, qui pacta non servat, *Juris* laesionem committere. Idem dicendum de secundo ejus argumento, nempe standum esse pactis propter illud vulgare: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, nam et hoc non est nisi Ethices praeceptum; sic e. g. quia ab aliis inops relinqui nolo, ex virtutis legibus et ipse alios inopes relinquere non debeo, sed juridica aliis opem ferendi obligatio procul dubio non adest.

§. 6.

De Kantio.

Quamvis iterum iterumque locum perlegi, ubi Kantius de juridica vi pactorum agit, pro certo tamen affirmare non ausim, me probe ejus mentem percepisse. Judicent viri doctiores, an revera sibi voluerit, quod sibi velle mihi visus est.

Singulari sive promittentis sive promissarii voluntate (sic disputat Kantius) τὸ suum prioris

ad

ad hunc non transfertur, ſed *conjuncta* et *ſimul declarata* utriusque voluntate. Verum hoc fieri nequit, cum ſemper inter promisſionem et acceptationem aliquod, quantulumcunque ſit, temporis ſpatium intercedere debeat. Hinc poterit voluntatem mutare promittens, donec alter acceptavit, et propter hoc ipſum, ne per acceptationem quidem obligabitur, quia ſcilicet voluntatem forte mutavit, et ſic rurſum *ſimul* non adest, quae tamen requiritur, utriusque contrahentis voluntas. Eandem ob cauſam per acceptationem non tenetur promisſarius (1).

Quare Kantio ex metaphyſica tantum (deductione transſcendentali) modus acquirendi per pacta explicari posſe videtur, ut ſic quidem acquiſitio praeſtationis, quae pacti est objectum, per declarationem conſenſus (quia ſic tantum illa acquiſitio aut apprehenſio i. e. *Beſitznehmung* ſenſibus potest percipi) fieri cogitetur, ſed cum illa relatio (i. e. apprehenſio posſesſionis juris a promisſore concesſi) mere ſit intellectualis, illa posſesſio ſola voluntate, tanquam mea occupatur, remotis illis empiricis conditionibus (i. e. voluntatis declarationibus tempore ſubſequenti factis) et finguntur actus promisſionis et acceptationis ex *communi* voluntate exſtitisſe (2). — Postulat igitur ſecundum Kantium

(1) *Metaph. Anfangsgr. der Rechtslehre*, Pars I. Cap. II. Sectio II. §. 19. alinea 2.

(2) Vid. Kant l. c. alinea 3.

tium *ratio pura*, remota omni temporis et spatii notione, ut pacta serventur, quod, uti axioma in Mathesi, ulterius probari nequit (1).

Verum ad posteriora haec obscura, nec satis certa argumenta (2) non confugisset Kantius, si modo attendisset, eundem *tacite* ac *expresse* declaratae voluntatis in jure esse effectum. Scilicet fieri quidem non potest, ut eodem prorsus temporis puncto uterque contrahens expresse consensum declaret, sed videtur omnino qui semel promisit nec revocavit voluntatem ante acceptationem idoneo tempore factam *tacite* indicare, se revera voluntatem non mutasse, ut sic igitur jure dici possit utriusque consensus eodem temporis puncto adesse. Et praeterea qui promittit, *tacite* indicat, se eo usque in eadem perseveraturum esse voluntate, donec idoneë acceptare possit promissarius. Qui enim finem vult, vult media ad finem perducentia.

Ut ut est, Kantius certe universe vim obligandi pactorum agnoscit. Solum excipit pactum de donando, et quidem propterea tantum, quia nemo suum jactare praesumitur. (3). — Merito contra hanc doctrinam observavit Colenbrander

(1) Ibid. in nota.

(2) Conf. Schmalz, *Handbuch der Rechtsphilos.* L. IV. Cap. III pag. 161.

(3) Kant, l. c. Cap. III. §. 37.

der (1), veritati cedere praesumtionem. Et revera si universe ex promisssione acceptata jus cogendi acquirere promissarium statuimus, nulla idonea excogitari potest causa, cur solam promissionem gratuitam excipiamus (2).

§. 7.

De Hoffbauero.

Hic, ut pactornm vim obligandi probet, sic ratiocinatur: Justum est, quod omnes velle debent, injustum quod velle non debent. Cum autem omnes velle debeant, ut jura transferantur, quod citra pacta fieri non potest, sequitur etiam, omnes velle debere, ut pacta serventur, et non debere velle ut violentur. Ergo justum est pacta servare, injustum ea violare (3).

In hac argumentatione notiones Juris et Ethices prorsus turbatae videntur. Regula enim illa: justum est, quod omnes velle debent, injustum, quod velle non debent,

(1) Diss. laud. Cap. II. §. 9. pag 65.

(2) Cf. de Kantii doctrina universe Grolman, *Ueber die Rechtsgültigkeit der Verträge*; *Magasin für die Philos. des Rechts*, Band I. heft I. pag. 65. sqq.

(3) Vid. Hoffbauer, *algem. Staatsr.* Tom I. Sectio XIV. pag. 184; *Untersuchungen über die wichtigsten Gegenstände des Naturrechts*, *Abschn.* 1?.

bent, quamvis principium continere videatur, ad quod velut ad lapidem lydium actionum humanarum *aequitas* exigi posſit, minime tamen ita ſe habet, ut inde etiam de *Justitia* actionum nostrarum posſit judicari. Sic, etſi omnes velle debeant, ut homines ſint pii, nemo tamen facile contendet, officium pietatis esſe *perfectum* (1).

§. 8.

De Schaumanno.

Manifestum hujus ſententia continet errorem. Ex ſolo pacto ſcilicet, i. e. ex promisſione acceptata nullum oriri putat promisſario jus cogendi promisſorem, ut promisſis ſtet. Sic enim eo tanquam medio ad ſuos fines uteretur, quod humanae dignitati est contrarium (2). Verum ubi promittens declaravit, ſe in promisſarium jus praeſtationem exigendi conferre, ubi ei jus quoddam promiſit (3), hic jus acquirit cogendi promisſorem ad ſervanda promisſa et eo utendi tanquam medio ad ſuos fines (4).

Equi-

(1) Cf. Werndley, diſſ. laud. pag. 13 ſqq.

(2) *Verſuch eines neuen Systems des natürl. Rechts.* §. 360.

(3) Ibid. §. 364.

(4) Ibidem §. 369. coll. §. 371.

Equidem non video, cur priori pacti speciei minor sit tribuenda vis, quam posteriori. Certe, qui serio animo promittit, se aliquid esse praestiturum, tacite etiam in acceptantem jus cogendi conferre videtur (1). Et praeterea si nuda *rei cujusdam* promissio acceptata nullam promittenti obligationem perfectam imponit, cur promissio *juris cujusdam* (das Versprechen eines Rechts (2)) obligationem perfectam pariet? aut, quod, eodem redit, si ex nuda promissione *rei cujusdam* acceptata jus cogendi non acquirit promissarius, cur illud acquiret ex promissione *juris cujusdam*? Merito igitur observavit Heydenreich (3) eos, qui contendunt, jus cogendi tantum oriri ex expressa promittentis declaratione, se illud in promissarium transferre, jam supponere, jus cogendi e pactis oriri.

Caeterum, si ostendimus perfecte obligari promittentem ex nudo pacto, simul etiam probamus, promissario competere jus cogendi, nec promittentem, si cogitur, queri posse, quod promissarius ipso utatur tanquam medio ad suos fines (4). De justa enim vi hoc dici nequit, cum caetero-quin

(1) Cf. infra, Cap. III.

(2) Vid. Schaumann, d. l. §. 864.

(3) *System des N. R.* Tom. I. pag. 297.

(4) Ut putat Schaumann, d. l. §. 360.

quin nullum adesset jus. Quale enim foret jus, sine conjuncta cogendi facultate? (1)

§. 9.

De Connano.

Connani, antiquioris licet Jureconsulti, hoc demum loco mentionem facimus, quia ejus doctrina de vi obligandi pactorum maxime affinis est sententiae, quam nostris temporibus tuitus est Schmalzius, quare de utroque subsequentibus paragraphis agere constituimus.

Connanus (2) contendit, jure Naturae ea pacta, quae non habent synallagma (i. e. pacta nuda sine causa inita, et propter quae nihildum praestitum est (3)) nullam inducere obligationem, honeste tamen impleri, si modo eorum objectum est licitum. Nec minorem ait esse ejus culpam, qui temere nulla de causa pollicenti credit, quam ejus, qui vanitatem adhibuit promissionis. II°. Si omni pacto vis obligandi inesset, invitis aliquando

(1) Cf. Heydenreich, d. l. pag. 288. et Grolman, d. l. pag. 65sqq.

(2) Comment. Jur. Civ. L. V. Cap. I. et L. I. Cap. VI.

(3) Vid. Pufend. de J. N. et G. Lib. III. Cap. V. §. 9. ibique Barbeyrac in nota 10.

do res nostrae nobis auferrentur, cum saepe magis ex ostentatione, quam ex voluntate promittimus, et III° justum ei videtur aliquid honestati relinquere. — Si tamen res non amplius integra est, non quod promissum est, sed quod interest, petere posse promissarium putat. Caeterum pacta nuda vim accipiunt ex contractibus, quibus adjecta sunt, aut ex rei traditione. Pacta vero stipulatione confirmata vim, quam habent, tantum ex jure civili accipiunt.

Prius argumentum sponte concidit, si infra Capite III. ostendimus, pactis nudis vim obligandi inesse. Ad secundum respondendum est, etiam ex nostra sententia pacta non obligare, nisi serio animo sunt inita (1). Quod autem tertio loco affert Connanus, nempe honestati aliquid esse relinquendum, magis esse videtnr civilis legislatoris de jure constituendo cogitantis, quam Philosophi in id, quod jure naturae praeceptum est, inquirentis (2).

§. 10.

(1) Cf. Grotius, de J. B. ac P. Lib. II. Cap. XI. §. 4. num. 3. Pufend. l. c. L. III Cap. V. §. 10.

(2) Fusius Connani argumenta refutarunt Grotius, de J. B. ac P. L. II. Cap. XI. §. 1. et 4. Pufend. J. N. et G. L. III. Cap. V. § 9. sq.

§. 10.

De Schmalzio.

Schmalzii, et qui nuper ejus doctrinam Academica disputatione explicuit, Werndleyi sententia huc redit (1). Ex pactis, quamdiu praestatione quadam nondum sunt confirmata, aut universe, quamdiu pacti causa nihil a promissario factum omissumve est, obligatio et jus perfectum non oriuntur. Cum enim cuivis plenissima competat libertas omnia faciendi, quibus externa aliorum libertas non laeditur, et cum, quamdiu nihil pacti causa factum omissumve est, nullius libertas externa laedatur, si promissum non praestatur, sequitur, eum *injuste* non agere, qui fidem pactitiam hoc casu violat. Scilicet sic externa promissarii libertas non est laesa; eadem est, quae fuit ante pactum initum, et novis tantum, in quae se exserere possit, objectis non est amplificata (2). Verum si promissarius aliquid pacti causa fecit vel omisit, quod non fecisset vel omisisset, si scivisset, promittentem pactum non esse servaturum, externa ejus libertas est laesa, et jure cogi potest promittens ad praestanda promissa (3).

Ever-

(1) Vid. Schmalz., *Handbuch*, L. IV. C. III. pag. 157 sqq. Werndley, Diss. laud pag 21. sqq.

(2) Werndley, d. l p. 23

(3) Vid. Werndley, d. l. pag. 24. Cf. Schmalz., d. l. pag. 163 in fine sq.

Everti omnem hujus argumentationis vim, si modo probamus, pacto vel solis verbis inito jus quoddam promissario acquiri, quisque videt. Nititur enim haec doctrina imprimis principio, *nudo pacto nullum posse transferri jus*, cujus falsitatem indicare hujus loci non est. Occuparemus enim sic Capitis III. hujus scriptionis argumentum. Quod igitur hoc loco faciendum est eo redit, ut ostendamus, quam parum sibi ipsi congruat Schmalzii doctrina.

Alterutrum scilicet verum sit necesse est, aut vim obligandi habent pacta, aut non habent. Si per se non obligant, ut putat Schmalzius (1), qui fieri potest, ut praestatione ab alterutra parte facta vim eam acquirant, ut jam alter etiam teneatur praestare illud ipsum, quod promisit? Quomodo voluntati meae, quae per se obligationem mihi non imposuit, vis addi potest per alterius praestationem? Ratio certe, quam hujus doctrinae reddunt Schmalzius (2) et Werndley (3) minime probanda videtur. Statuunt enim, tum demum externam promissarii libertatem laedi, si violetur pactum, postquam hic pacti causa jam aliquid praestitit, aut universe quid fecit omisitve, quia sic demum contra libertatem suam

(1) D. l. passim, praesertim, pag. 165 aphor. 170.

(2) D. l. pag. 163 aphor. 168.

(3) D. l. pag. 21. sq.

ſuam ad aliquid faciendum adactus fuit. — At vero, ſi pacto jus quoddam transfertur, et objectum pacti ad promittentis libertatem pertinere deſinit et in promisſarium confertur (1), hujus externa libertas, quae est moralis aliquid faciendi facultas, tum quoque laeditur, ſi promisſor, etiam antequam promisſarius ea uſus est, ita agit, ut ejus actio impediat, quominus alter in *futurum* ſuo jure utatur. Promisſor ſic aeque juris laeſionem committit ac fur, qui rem aufert domino, qua hic nunquam erat uſus.

Aliud etiam posſit pro Schmalzii doctrina afferri argumentum; dici posſit is, qui praeſtationem accipit, eo ipſo indicare, ſe velle praeſtare quod promiſit. — Verum quaenam idonea adest cauſa, cur ſecundae huic tacite declaratae voluntati major vis tribuatur, quam priori expresſo conſenſui?

Si quis igitur contendit, pacto vim obligandi non inesſe, praeſtatio accepta acceptanti obligationem tantum imponere poterit praeſtandi id, quod interest, quod ſi ſibi conſtitisſet, cum auctore libelli: *Beyträge zur Berichtigung der Urtheile des Publicums über die Französische Revolution* (2), etiam

(1) Quod latius probabimus infra, Cap. III.

(2) Tom. I. Pars II. pag. 204. Hac in cauſa magis etiam ſibi conſtitit Connanus. Vid. §. praec.

etiam ſtatuere debuisſet Schmalzius (1). Sed contra, illum ſcriptorem refutare conatur (2) dicens, eum ſibi ipſi contradicere, cum ille, qui contendit aliquem debere id, quod interest, ſimul etiam ſtatuat, eundem aliquid injusti commiſisſe. Hoc revera ita ſe habet; ſed quid ad rem? qui praeſtationem accepit, nec tamen ipſe, quod promiſit, praeſtat, injuste agit, et cum jure naturae aequum ſit, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorem (3), tenetur ad id, quod interest; ſed hinc non ſequitur eum, qui aliquid praeſtitit, jus acquirere, quod antea non habuerat, cogendi alterum ut et ipſe promisſionem impleat.

Quod autem praeterea Schmalzius contra laudati ſcriptoris ſententiam affert (4), nihil discriminis intercedere inter praeſtationem illius, quod interest et ipſius rei promisſae, cum jure naturae ſolus laeſus jus habeat definiendi qualitatem et quantitatem ejus, quod interest, ne hoc quidem argumento probat, quod probare voluit. Nam etſi hoc jus laeſo concedamus, certo tamen certius conſtat, illum, qui jus tantum habet petendi id,

(1) Quem hac etiam in re ſequitur Werndley, d. l. pag. 25 ſq.

(2) Schmalzius, l. c. p. 164.

(3) Vid. L. 206. D. de R. J. Cf. Cicero de officiis L. III. Cap. V.

(4) d. l. Cf. Werndley, d. l. pag. 26.

id, quod interest, nunquam petere posse ipsum illud, quod erat promissum.

Nec magis probanda est Schmalzii doctrina, ubi docet promittentem teneri praestare quod promisit, si promissarius pacti causa quid fecit omisitve. Etsi enim eadem contra hanc sententiam militent argumenta, quae contra eam attulimus, quam modo examinavimus, haec tamen magis etiam est arbitraria. Si enim ab altera parte *facta praestatio* ab altera est *acceptata*, dici possit, nunc demum de deliberato utriusque animo constare et nunc demum obligationem oriri (1). Verum quae speciosa possit excogitari ratio, cur pactum nudum vim, quam per se non habere dicitur, acquirat per actionem solius promissarii, equidem non video (2). Sc. si promissio non obligat, promissarius jus non habet aliquid ejus causa faciendi aut omittendi, nec potest igitur illud factum aut illa omissio obligationem promittenti imponere. Si vero contra promissio eam habet vim ut promissarius jure aliquid propter eam facere possit aut omittere, ita ut ex hoc facto aut ex illa omissione obligetur promittens, quaenam idonea erit causa, cur

(1) Sic tamen non ratiocinatur Schmalzius, ut vidimus.

(2) Schmalzius ita statuit, quia promissarii libertatem demum laedi putat, si jam quid fecit propter pactum, quod violatur. Hanc sententiam non esse admittendam jam supra vidimus, pag. 42.

cur non soli promissioni statim vim tribuamus obligandi promittentem, ut praestet quod promisit?

Plenius etiam hujus doctrinae falsitas ex exemplis quibusdam apparebit. Si Titius aedes locavit Maevio, non tenetur stare pacto, quamdiu nihil propter illud fecit omisitve Maevius. Sed simulac hic a Sejo res mobiles quasdam ad instruendas aedes emit, imo simulac de illis emendis tantummodo cum eo locutus est (sic enim jam aliquid pacti causa fecit) obligari incipit Titius.

Maevius conducere cupit aedes. Scit autem, tum Titium tum Sejum habere aedes, quas locare volunt. Ad Titium se confert eo animo, ut nisi cum illo de mercede convenire possit, statim Sejum adeat et ab hoc aedes conducat. Res autem inter Maevium et Titium peragitur et hic illi aedes suas locat. Ex sententia Schmalzii hoc pactum per se Titium non obligat, qui propterea tantum obligatur ad tradendas aedes, quia Maevius, contracta cum Titio locatione conductione, ad Sejum se non contulit, i. e. pacti causa quid omisit.

Praeter ea igitur, quae jam modo contra hanc Schmalzii doctrinam observavimus, animadvertendum etiam est, sic Titium obligari ex alterius facto, contra regulam a Jure Romano et sana ratione praescriptam: *inter alios acta aliis neque nocere, neque prodesse possunt.*

Cae-

Caeterum, si sola pacta gratuita excipias (et ne haec quidem omnia, nam in pacto de mutua danda pecunia, de commodando etc. idem ac in onerosis obtinet) ob omnia fere pacta promissarius quid omittet; nam qui emit aut vendidit, locavit aut conduxit et sic porro, jure praesumitur propterea *omisisse* curare, ut alibi emat aut vendat, locet aut conducat.

§. 11.

De Bausbackio.

Novam prorsus et a nullo, quatenus scio, ante eum tritam hic viam iniit (1). Universe sc. pacta jure naturae non adesse i. e. vim obligandi non habere contendit (2), et peculiares tantum ob causas fieri posse putat, ut in bilateralibus contractibus aliquando praestatione ab altera parte facta, alter etiam promissionem implere teneatur. In his nempe distinguit utrum e praestatione ab altero facta, alter commodum *reale* an vero *ideale* perceperit (3). *Reale* vocat si praestationis objectum est res,

(1) Johann Georg Bausback, *über den einzig richtigen Gesichtspunkt der Vertragslehre, Arnstadt und Rudolstadt*, 1805.

(2) d. l. pag. 39 - 49.

(3) Ibid. pag. 56.

res, quae sensibus externis potest percipi et satis certo aestimari. *Ideale* commodum Bausbackio dicitur, si praestationis objectum sensibus externis non potest percipi, nec satis certo aestimari, si igitur *actio* est sensu stricto. Priore casu qui accepit praestationem non tenetur a sua parte praestare, quod promisit, sed rem acceptam restituere debet aut ejus aestimationem, si sc. res non amplius apud eum exstat (1). Si vero *ideale* commodum Titius ex Maevii praestatione percepit, rursus distinguit Bausback, utrum haec praestatio ignorante, aut etiam sciente *nec tamen* consentiente, an vero sciente *et* consentiente Titio sit suscepta. Priore casu Titius non obligatur ad praestandum illud, quod ipse promisit, nec restituere debet id, quod accepit, (hoc enim ne physice quidem fieri potest) nec etiam tenetur praestare id quod interest. Videtur enim hoc casu Maevius *gratis* vires suas in Titii commodum exserere voluisse, cum scire debuisset, Titium jure semel declaratam voluntatem posse mutare. (2)

Haec omnia satis conveniunt universa cum doctrina, quam proposuit Bausback, atque igitur sponte refutabuntur, si infra Cap. III. ostendimus, ex pactis omnino jus et obligationem perfectam ori-

(1) Ibid. in fine sqq.
(2) Ibid. pag. 62 sq.

oriri. In iis vero, quae ſequuntur, minus ſibi conſtitit.

Si ſc. ſciente et conſentiente Titio actio promisſa est perfecta, contendit Bausback, Maevium petere posſe aut id, quod interest (cujus qualitatem et quantitatem ipſe definiet), aut etiam ipſum illud, quod promiſit Titius. Hoc enim caſu hic ſcivit, Maevium propterea tantum praeſtitisſe quod promiſit, ut conſequeretur quod ipſi erat promisſum; et commodum, quod ex Maevii actione Titius percepit, prorſus est ideale, nec igitur amplius ab hujus patrimonio potest ſeparari et auctori restitui (ſecus ac in *re* praeſtita). Nulla igitur ratio ſuperest, qua laeſa posſit restitui aequalitas, niſi ut praeſtetur illud ipſum, quod promiſerat Titius. (1)

Verum enim vero, qui fieri potest, ut obligatio praeſtandi promisſa, quae ſecundum auctoris ſententiam prorſus non affuit, exinde praeſertim oriatur (2), quod actio ſemel praeſtita non amplius in auctoris, ut ita dicam, potestatem reverti potest. Si Bausbackii de pactis theoriam asſumimus, Titius in ſpecie modo propoſita, unice ad id, quod interest, teneri dicendus est. Non adeo,

(1) Ibid. pag. 63. in fin. ſqq.

(2) Vid d. l. pag. 72. *der Grund dieſer Verbindlichkeit (ist) blos die Unmöglichkeit die einmahl realiſirte Handlung der Dispoſition ihres Urhebers zu restituiren.* Cf. pag. 63. in nota.

adeo, quia fidem pactitiam violavit, sed quia nemo ex sua ipsius fraude lucrari, quia nemo cum damno alterius locupletior fieri debeat. (1)

Idem fere dicendum de iis, quae apud Bausback pag. 68 sqq. occurrunt.

Caeterum ex auctoris nostri sententia, si praestanda actione efficere volo, ut etiam alter obligetur ad servanda ea, quae mihi promisit, praesente eo et quasi continuo consensum declarante, actionem illam perficere debeo, nam quod iterum iterumque se velle significavit, mihi non proderit. Cur enim secundae voluntatis declarationi major obligandi vis tribuenda foret quam primae, cur tertiae major quam secundae? Ipse hanc difficultatem sensit (vide pag. 71. *unter seinen Augen*) postquam alibi minus perspicue ea de re egerat. (2)

Unam hisce liceat addere animadversionem. Etsi Bausback *jure naturae* pacta non adesse statuerit, vidit tamen, ea in *statu civili* abesse non posse. Fundamentum igitur circumspexit, quo eorum vis obligandi, quam per se non habent, in civitate niti dici posset. *Legem* pro illo fundamento haberi non posse ipse sensit auctor. Lex enim ipsa non est nisi pactum inter cives initum. Quare *mores* solum fontem esse dixit obligationis et juris, quae ex pactis in civitate oriuntur. (3)

Ve-

(1) Cf. quae diximus supra de Schmalzii doctrina pag 42 sq.
(2) Vid. d. l. pag. 62 et 63.
(3) Vid. d. l. pag 135 sqq.

Verum in hisce non satis attendit, mores propterea tantum obligare cives, quia pro lege tacita habentur, quia actuum per diuturnum satis tempus frequentia, tacitum civium consensum indicare videtur, eos etiam in posterum semper eodem modo eadem negotia esse perfecturos. Si autem cum auctore expresso consensui omnem vim obligandi abnuimus, cur potius tacito eam tribuemus? Cur propterea, quod quis ipse cum aliis centies quid *fecit*, eum obligari dicemus, ut nunc etiam idem faciat, ubi eum obligatum non esse statuimus, etsi semel aut saepius etiam expresse et serio *declaravit*, se quid esse facturum? Quare qui pactis jure naturae vim obligandi inesse negat, idoneum fundamentum, quo eorum vis in civitate nitatur, non facile mihi indicare posse videtur.

§. 12.

De iis, qui ex libertatis particula, a promissore promissario concessa, vim obligandi pactorum repetunt.

Egregie ex antiquioribus Juris Naturalis scriptoribus hanc sententiam expressit Cl. Treuerus (1). „Quicunque pactum init," sic disputat vir doctis-

(1) Ad Pufend. de officio H. et C. L. L. Cap. IX. §. 8. nota *k*.

issimus, „ sponte in materia vel negotio pacti
„ libertati suae renuntiat, ejusque partem subjicit
„ alterius voluntati, qui hac ratione jus sibi acqui-
„ rit concessam sibi libertatem in suos usus con-
„ vertendi, sibique vindicandi, ut et cogendi al-
„ terum ad ea praestanda, quae illuc pertinent.
„ Non itaque laedendus est in eo, quod suum
„ ipsi fecimus consensu nostro et concessione. Lae-
„ dimus autem eum, si praestanda non praestemus,
„ pacta non servemus, sive si nostram libertatem,
„ cui in alterius gratiam renuntiavimus, invito al-
„ tero nobis rursus vindicare, et a limitibus pacto
„ determinatis liberare vellemus."

Moses Mendelssohn etiam optime caussam explicuit juris et obligationis perfectae, quae e pactis oriuntur. Ejus doctrina sic se habet. In statu naturae i. e. ante civitates conditas, quisque, quatenus alios non laedit, pro lubitu rebus et viribus suis (quae uno nomine *bona* ab illo scriptore vocantur) potest uti (1). Si igitur quis declaravit, se aliquid, quod ipsi competit, alii volenti velle concedere, haec voluntatis declaratio effectum sortiri debet. Ni enim effectum sortiatur, irritum est illud hominis jus de bonis suis statuendi (2). Pactum autem dicitur, ubi quis alteri acceptanti aliquod ex suis juribus offert; quod propter caussas mo-

(1) Vid. Jerusalem etc. pag. 39.
(2) Vid ibid. pag. 40.

modo commemoratas servari debet. Ni enim servatur, promissario jus eripitur ipsi a promissore concessum. (1)

Ex hisce satis patet, Mendelssohnii argumentationi minime inesse principii petitionem, quam in illa deprehendi visum est Schmalzio (2). Non enim tantummodo dicit: pacta sunt servanda, quia illud, quod promissum est per acceptationem ad nostri juris objecta pertinere desiit, atque alteri est acquisitum, sed omnino etiam recte causam explicat, cur illud, quod promissum est, per acceptationem ad acceptantem pertinere coeperit. Praeterea etiam Mendelssohn non ipsam *rem promissam*, sed tantum *jus promissum* ad promissarium transire statuit (3). Minus recte tamen, ut jam supra Capite I. pag. 17. in nota obiter indicavimus, contendit, per pacta semper jus imperfectum promissarii in perfectum commutari, nec unquam nova inde jura oriri.

Zeillerus et Zachariae, qui rei promissae dominium sine traditione transire statuunt, sic ratiocinantur (4): si rem quandam externam meam esse volo, salvisque aliorum juribus velle possum, res

(1) Vid. ibid. pag. 42. in fine usque ad pag. 44.

(2) Vide *Handbuch*, pag. 158 sqq. Idem prorsus habet Werndley, d diss. p. 9 sq.

(3) V. ll. cc. praesertim P. 41 sq.

(4) Vid Zeillerus jus nat. priv. §. 94. K S. Zachariae, *Anfangsgründe des phil. Privatrechts*, §. 81.

res ea ſtatim mea ſit. In pacto igitur promiſſarius ſola voluntate rem ſibi promiſſam, ſuam facit, cum ſic nec volentem promiſſarium nec alios laedat.

Mira ſunt, quae contra haec argumenta affert Werndley (1): Sc. iis uti poſſe furem, cum dubium non ſit, quin ille etiam rem ablatam ſuam eſſe velit, nec etiam voluntate, utpote actione mentis interna, nil quicquam de alterius dominio detrahi poſſit. — At vero non ſatis attendit Werndley, ex Zeilleri et Zachariae doctrina dominium omnino ſola voluntate poſſe acquiri, modo conſentiat etiam rei dominus, quod tamen in furto, quo fraudulenter invito domino res ſurripitur, non obtinere, quisque videt. Unice igitur in Zeilleri et Zachariae ſententia reprehendendum videtur, quod citra traditionem rei promiſſae dominium transire ſtatuerint.

Eadem est Hoepfneri ſententia (1). Putat tamen Werndley (3), (injuria, ut modo vidimus) hunc a Zeillero et Zachariae in eo differre, quod voluntatem intelligit, *qua in exitum deducenda* nemini fit injuria et contra ejus doctrinam obſervat, ni-

(1) Diſſ. laud. pag. 11.

(2) Vid. jus nat. ſing. hom. ſociet. et gent. §. 68. Etiam hic dominium citra traditionem tranſire putat, vid. d. l. §. 79. coll. nota. 2.

(3) Dicta diſſert. pag. 12.

nihil sic obstare, quominus quis omnes res nullius sola voluntate suas faciat, cum ea voluntate sive habenda sive exsequenda nullius jus laedatur. Unde ex Hoepfneri doctrina sequi contendit, jure Alexandrum VI. P. R. terras novi orbis nondum occupatas partim Lusitanis partim Hispanis potuisse concedere.

Verum hoc e recte intellecta Hoepfneri doctrina non sequitur. Dicit enim quidem rei promissae dominium ex conjuncta domini alienare volentis, et promissarii acquirere cupientis voluntate, in hunc transferri, cum uterque suo jure utatur, nec ullius alius jus laedatur; sed hinc tamen non sequitur, sola voluntate *res* etiam *nullius* acquiri posse. Cum enim singulis hominibus jus competat eas occupandi, i. e. eas physice apprehendendi et pro suis habendi, modo alius antea eas non occupaverit, is omnino aliis jus suum auferre, atque sic eos *laedere* videtur (sic eliditur Werndlei argumentum) qui sola voluntate res *nullius* sibi occupasse contendit. Et revera statuit etiam Hoepfnerus, rem nullius non sola voluntate posse acquiri, sed insuper etiam requiri physicam ejus apprehensionem. (1)

Ex libertatis particula promissario concessa, aut quod eodem redit ex jure in eum translato, vim obligandi pactorum etiam repetunt Grolman (2)

(1) Vid. l. c. §. 48.

(2) Vid. *Magasin* l. c. pag. 65 sqq.

et Colenbrander (1), qui latius quaestionem nostram tractarunt. Praeterea Wolf (2); van der Meulen (3); de Cocceji (4); Ever. Otto (5); Heydenreich (6); Ulrich (7); Bauer (8); Weber (9); Haus (10), et caeteri plerique recentiores, in quibus tamen alii paulo magis, alii paulo minus accurate sententiam suam explicuerunt.

(1) Diss. saepius cit. Cap II.

(2) Vid. jus nat. Parte III. §. 357, cf. etiam §. 360, 366. qui tamen, nescio cur, solius faciendi promissionis mentionem facit.

(3) Ad Grotium, L. II. Cap. IX. §. 4 Nimium tamen cum Grotio tribuit argumento ex Dei in pactis servandis fide petito.

(4) Ad Grotium, J. B. ac P. L. II. C. IX. §. 1. prop. 10.

(5) Ad Pufend. de O. H. et C. L. I. C. IX. §. 3.

(6) *Syst. des N. R.* T. I. p. 287 sqq. et in Excursu ad hunc locum, T. II. p. 89 sqq.

(7) *Initia Phil. justi*; §. 238.

(8) *Lehrb. des. N. R.* §. 129.

(9) *Von der Nat. Verbindl.*, §. 83. p. 317.

(10) *Elem. jur. doctr. phil.* §. 167 sqq.

CA-

CAPUT III.

QUID NOBIS DE CAUSA JURIS ET OBLIGATIONIS PERFECTAE, QUAE E PACTO ORIUNTUR, SENTIENDUM VIDEATUR.

Aequalis jure Naturae competit cuivis homini externa libertas. Ipsa autem illa aequalitas certis singulorum libertatem finibus circumscribit, cum sponte inde sequatur, quemvis eatenus tantum sua libertate jure posse uti, quatenus ea utendo aliorum externam libertatem non laedit. Si quis igitur ita agit, ut jus seu libertatem externam aliorum laedat, obligationem jure naturae ei impositam, i. e. *obligationem perfectam* violat; is autem, cujus libertas alterius actione aut omisione laeditur, *jus* habet petendi, ne alter agat aut omittat; quod jus etiam est *perfectum*. Non potest enim

co-

cogitari *obligatio perfecta* ab una parte sine *jure perfecto*, quod alteri parti competit. Obligatio vero *imperfecta* est, qua non implenda Ethices tantum praecepta violamus, nec igitur jus proprie sic dictum aliorum laedimus, sed officia nostra interna legibus virtutis nobis imposita. Huic etiam obligationi non nisi jus *imperfectum* respondet.

Hisce praemonitis videamus quomodo fiat, ut pacto nudo promissor perfecte obligetur ad praestanda ea, quae promisit, promissarius autem jus acquirat petendi ut pactum servetur.

Cuilibet homini, ut jam diximus, competit libertas omnia ea faciendi aut omittendi, quibus faciendis aut omittendis aliorum libertas non laeditur. Potest igitur etiam partem illius libertatis alienare, et in alium volentem transferre (1). Quod, ubi serio et deliberato animo fecit, particula illa libertatis, quae ipsius fuerat, jam alterius esse coepit, in cujus nempe dominium (2) transsit. Quod si igitur ille, qui alienavit, ei, qui acquisivit, nolenti illam particulam aufert, aeque ejus jus violat, ac si rem quandam corporalem invito domino surripit.

Haec principia ad pacta applicemus. Omnis pacti

(1) Eadem prorsus ratione, qua etiam res corporales, quae in ipsius dominio sunt, alienare potest.

(2) Improprie tamen hoc vocabulum in rei incorporalis acquisitione usurpatur.

ti objectum est praestatio personalis. Promissor vel dicit, se quid esse daturum, vel promittit, se quid esse facturum (1). Utroque casu si praestatio promissa *legibus physicis* non repugnat, nec praeceptis *juris* aut *virtutis* est contraria, necessario ejus effectus is esse debet, quem sibi voluerunt paciscentes. Absurdum enim foret, alicui jus de rebus suis statuendi tribuere et tamen contendere, hujus juris exercitionem nullum sortiri effectum (2). Itaque cum *voluerit* et *potuerit* promissor partem suae libertatis alienare, cum *voluerit* et *potuerit* promissarius eam acquirere, particula illa libertatis revera ab illo alienata, huic vero acquisita est. Si igitur promisi *me esse daturum*, non amplius mihi competit libertas *non dandi*, si promisi *me esse facturum*, non amplius utor libertate non faciendi; hac ratione jam Grotius dixit nullam idoneam adesse causam, cur non aeque pacto jus in personam tranferri possit, ac aliis modis jus in re (3). Possit vero contra modo propositam sententiam satis speciosum moveri dubium, quasi mihi ipse non constiterim statuendo, rei promissae dominium non sine traditione transire, particulam autem libertatis nudo pacto i. e. sola voluntate transferri.

(1) Quo nomine etiam omissiones comprehendere licet.

(2) Vid. Mendelssohn, Jerusalem etc. pag. 40.

(3) Vid. de Jure B. ac P. L. II. Cap. XI. §. 1. num. 3.

-ri. At vero hoc ex ipsa rei natura sequitur. Promissor enim pollicetur, se rem quandam *esse daturum*, verbis de futuro tempore conceptis, et hoc dicendo statim in acceptantem promissarium particulam suae libertatis transfert. Videtur enim sic simul dicere; do *tibi facultatem petendi* etc., verbis de praesenti tempore conceptis. Nec potest hoc casu ulterior traditio cogitari, cum pars illa libertatis res sit incorporalis.

Hoc igitur modo jus acquirit promissarius petendi, ut pactum servetur, etiamsi nulla accessit praestatio. Quin imo eos sibi ipsos contradicere qui contendunt, pacta vim obligandi demum ex praestatione ab alterutra parte facta acquirere, abunde supra, Cap. II. pag. 41 seq. ubi de Schmalzii doctrina agebamus, ostendisse videmur. Contendit tamen hic (1) semper nobis licere a contractu recedere sub praetextu, nos serio animo voluntatem non declarasse, cum nemo jus habeat a nobis petendi, ut vera dicamus.

At vero, quamvis concedamus, jus originarium hominibus non competere ab aliis postulandi, ut vere ac sincere loquantur, observandum tamen est, *actiones externas* tantum *juris* legibus subesse. Si quis igitur actu externo voluntatem suam de aliquo dando vel faciendo declarat, et quidem eo modo, ut neque e verbis neque e factis appareat,

(1) *Handbuch*, pag. 157.

reat, eum jocare, jus mihi est externe declaratam voluntatem pro interna mentis cogitatione habendi et jure contendere posſum, promittentem re vera mihi concesſisſe jus, quod ſe concedere velle ſignificavit (1). Qui contrariam tuetur ſententiam ſimul contendit, jure naturae licere alios mendacibus illudere promisſionibus, et omnis inter homines commercii certitudinem tollit. Ulterius tamen, quam par est, procedere videtur Liedts (2), qui ſic uſurpationem etiam quamlibet legitimam posſe fieri contendit. Jure naturae enim, ut mihi videtur, omnis actio, quae aliorum jura laedit est injusta, nec ſpectatur animus, quo ea ſuscepta esſe dicatur. Sic, qui agrum, quem alius ſemper posſedit, vi occupat, procul dubio ad damni reſarcitionem tenetur, quidquid deinde dicat de animo, quo illam actionem perpetraverit. Hoc tamen omnino verum est, ex Schmalzii doctrina, cum omnia ſigna probabilem tantum reddant internam voluntatem (3), ne impleta quidem pacta ſancta esſe, nam ſemper promittens

(1) Cf. Grolman, *Magazin*, d. l. pag. 68-71. Haus, *Elem. jur. doct. phil.* §. 169. Liedts, Comm. *de pactis universe ſpectatis*; Ann. Acad. Gand. 1821-22 8. pag. ſqq. Zeiller, *Jus nat. priv.* §. 95.

(2) D.l. pag. 9.

(3) Cf. omnino Grotius, de J. B. ac P. L. II. Cap. IV. §. 3.

tens rem traditam repetere posset, dicendo: se eam animo dominium transferendi non tradidisse (1).

Si igitur revera per pactum promissor particulam suae libertatis alienat et in alium transfert, certe quod queratur, non habebit, si alter suo jure utitur et eum cogit, ut actionem promissam perficiat. Promissor enim sic contra libertatem suam non cogitur, cum objectum pacti ad ejus libertatem pertinere desierat, et in promissarii dominium transierat. Simili ratione jam Romani dixerunt, in bonis nostris etiam ea esse, quae sunt in actionibus *caet.* quae nobis competunt (2).

Cum autem sola promissoris alienare volentis declaratio ei promissum implendi obligationem non imponat, sed insuper etiam promissarii acceptatio requiratur, inde subtile hoc magis quam verum argumentum contra pactorum vim obligandi affert Bausback (3), quod sic promissarii acceptatio sola promissorem obligare dicenda sit, quod tamen fieri non posse ait, nisi ille pro hujus legislatore habeatur. — At vero *solam* promissarii acceptionem promissori obligationem imponere, nemo unquam statuit; contra *praeter promissoris oblatio-*

(1) Cf. Haus, l. c. §. 170.

(2) Vid. L. 49. coll. L. 143. D. de V. S. L. 52. D. de acq. rer dom. L. 15. D. de R. J.

(3) L. saepius cit. p. 45.

tionem etiam promissarii acceptatio requiri dicitur, propterea tantum, quia nemini invito liberalitas obtruditur, quia particula libertatis, quam promissor in eum transferre voluit, ad eum transire non potuit, nisi declaravit, se eam velle acquirere. Sic etiam rei corporalis dominium non transfertur, nisi ille, cui oblata est, eam acceptat.

Ex dictis etiam patet, objectum pacti, quamdiu acceptatio nondum secuta est, minime pro re derelicta esse habendum, nam promissor, in favorem *solius* promissarii, suo juri renuntiare voluit.

Quae autem universe de vi obligandi pactorum diximus, tam ad unilateralia quam ad bilateralia pertinent. Bilaterale enim pactum non est nisi *duplex unilaterale*; hoc tamen inter utramque speciem intercedit discrimen, quod in bilateralibus pactis neuter praestare teneatur, nisi etiam alter paratus sit ad faciendum quod promisit, quia hisce pactis ipsa natura sua semper inest conditio: *faciam si tu facies*. Propterea tamen non minor iis vis obligandi inesse dicenda est (1), nam etsi cogi non possum ad faciendum, nisi alter etiam facere velit, summo tamen jure si ego promissum implere volo, alterum etiam cogere potero, ut a sua parte pactum servet.

Et

(1) Sic tamen statuit Bausback, d. l. pag. 50. sq.

Et haec sunt argumenta, quibus pactorum servandorum necessitas secundum juris naturalis praecepta probatur. Nec ad rem videtur alia hunc in finem afferre ex *utilitate publica*, *ex regulis honesti*, et *aequitate naturali* petita (1); horum enim argumentorum vim jam suo loco dijudicavimus. Hoc tamen observare liceat, omnium peraeque gentium leges pactis vim obligandi tribuisse. Quin etiam ipsi Romani, qui peculiares ob causas actionem e pacto nudo negabant, quod ad caeteros effectus attinet, non minus e pacto nudo quam e civili contractu obligationem perfectam oriri putabant. Hinc debitum naturale poterat novari (2), fidejussione et pignoris datione confirmari (3). Hinc compensatio ei opponi poterat, qui natura aliquid debebat (4). Hinc e pacto nudo oriebatur exceptio (5). Hinc naturale debitum solutum condictione indebiti repeti non poterat (6). Hinc denique Praetor aequitati Naturali

(1) Ut fecit Ever. Otto, ad Pufend., de officio hom. et civ. L. I. Cap. IX. §. 3.

(2) Vid. L. I. §. 1. D. de Novat.

(3) L. 6. §. 2. L. 7. L. 16. §. 3. D. de fidejusf. L. 5. pr. D. de pignor.

(4) Vid. Vid. L. 6. D. de compens.

(5) Vid. L. 7. §. 4. ff. de pactis.

(6) Ex pluribus legibus, quae huc pertinent, solas citamus L. 10. D. de O. et A. L. 16. §. 4. D. de fidejusf. et L. 3. §. D. *Quod quoque juris in alterum.*

li favere dicitur, quia constitutum ex consensu facta custodit, quoniam grave est fidem fallere (1).

Et revera qui fidem fallit, omne commune praesidium oppugnat, ut egregie dixit Cicero (2). Justitiae enim tanta est vis, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, sine ulla ejus parte vivere possint (3).

Les conventions légalement formées tiennent lieu de loi à ceux, qui les ont faites.

Art. 1134. Cod. Civ.

(1) Vid. L. pr. coll. §. penult. D. de const. pecunia.
(2) Pro Sexto Roscio, Cap. 38.
(3) Cicero, de officiis, L. II. Cap. XI.

TANTUM.

GERARDI BACKER,

MEDICINAE IN ACADEMIA GRONINGANA CANDIDATI,

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM PHYSIOLOGICAM,

A

FACULTATE MEDICA

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE

ANNO MDCCCXXVIII.

PROPOSITAM:

„ *Succincte enarrentur praecipua recentiorum experimenta clar. Bell, Magendie, Eſchricht, Schöps et Bellingeri, de actione nervi Olfactorii, Trigemini, Facialis, nec non de utriusque radicis nervorum ſpinalium officio, ut denique e disputatis concludatur, quaenam probabiliter ſit actio horum nervorum.*"

PROÖEMIUM.

Nulla ſane doctrina ad morborum ſymptomata rite explicanda ipſosque morbos feliciter tractandos Medicum, indicando morborum naturam atque ſedem, magis adjuvat, quam Anatomia cum Phyſiologiâ conjuncta: quae cum vera ſint, facile quoque intelligimus, cur, fabricâ atque functione variarum partium, quae ad ſystema nervoſum pertinent, nondum penitus perſpectis, curatio morborum, quibus illud ſystema tam ſaepe afficitur, adeo difficulter peragatur.

Gratiſſima itaque mihi fuit quaestio Phyſiologica, a clariſſima Facultate Medica Academiae Rheno-Trajectinae A°. 1828 propoſita, ad quam respondere conatus ſum. Quamvis autem virium mearum imbecillitatis ingeniique tenuitatis conſcientiam propoſito meo admodum obſtitiſſe lubenter fatear, in respondendo tamen vires periclitari, exercitii cauſâ, ſummopere mihi utile duxi: quam ob rem Judices graviſſimi! ut hocce opusculum, qualecum-

que ſit, benevolo et indulgenti animo accipiatis, etiam atque etiam oro.

Quae de hac Commentatione praemonenda habeo, Viri Clarisſimi! pauca ſunt, et huc redeunt.

1°. Ut cujusque Capitis concluſio, ex experimentis petita, certior evaderet, ſingulam concluſionem argumentis, ex Anatomia comparata et pathologica collectis, ulterius confirmare conatus ſum.

2°. Licet a Facultate clarisſima ipſius medullae ſpinalis pertractatio diſertis verbis propoſita non ſit, eam tamen post disquiſitionem de functione utriusque radicis nervorum ſpinalium elaborandam cenſui, tum ob functionis analogiam inter radices nervorum ſpinalium et medullam ſpinalem, tum etiam ob diverſam variorum ſcriptorum opinionem de utriusque columnarum ſeriei actione.

3°. Ea, quae ſcriptores, vario experimentorum exitu, dubia aut minus clara reliquerint, quantum potui, propriis experimentis et obſervationibus explicare tentavi.

Quidquid autem in hac commentatione elaboranda profecerim, pro viribus feci; et licet vestram Viri Clarisſimi! comprobationem ſperare vix audeam, ſummam tamen ex responſione mihi utilitatem redundasſe, evictum habeo, quod certe laboris, huic operi impenſi, praemium jam est gratisſimum.

CA-

CAPUT I.

DE NERVO OLFACTORIO.

---

§ 1.

Si illas systematis nervosi partes, quae *nervi Olfactorii* nomine venire solent, perscrutemur, simulque attendamus ad harum partium structuram, atque originem, ab ea aliorum nervorum longe diversam, earumque inconstantiam respiciamus, certe non mirabimur, varios auctores de illarum usu atque functione tam varias fovisse opiniones.

Veteres enim, Zoötomiâ tantum corporis nostri fabricam illustrantes, in plerisque animalium speciebus invenerunt, ipsam lobi cerebralis medii partem anteriorem prolongari in processum quasi mamillarem (1), perfecte cavum, hancque cavitatem cum

(1) Cf. Clar. G. Bakker, *de Natura hominis*, T. II, p. 74.

cum ventriculo cerebri laterali communicantem, atque huic procesſui adjacentem nervum itidem cavum: ex hac autem cognitione ad corporis humani fabricam concludentes, docuerunt, etiam in homine nervos Olfactorios esſe canales, cum ventriculis cerebri confluentes, quo facto, iterum ſtatuebant, hosce canales inſervire excretioni humorum, qui in cerebro erant ſecreti et ventriculis contenti, ut ſcilicet hac ratione materies peccans vel abundans per nares educeretur; ab eo tamen inde tempore, quo ipſum corpus humanum investigari coepit, fabricâ corporis nostri tunc melius cognitâ, omnis quidem de nervorum Olfactoriorum cavitate et functione excretoriâ evanuit opinio (1), ast vero non potuit quoque non, quin primum par, ob ejus discrepantem fabricam, caeteris nervis molliorem, ex materie pultaria fere ſolummodo conſtantem, ut et ob defectum neurylematis a plurimis tunc temporis ſcriptoribus inter nervorum numerum non reciperetur.

Dein vero examine accuratiori ab aliis inſtituto, patuit, nervos primi paris formare ganglion in

(1) In foetu jam maturo licet nervorum Olfactoriorum cavitas non amplius detegatur, in hominis tamen metamorphesibus datur periodus, quâ nervi Olfactorii revera canales conſtituunt; in embryone ſcilicet 3 menſium illos cavos invenit Soemmering, ita quidem, ut per illos etiam ventriculi aëre inpleri potuerint. Cfr. J. F. Meckel, *Beyträge zur vergleichenden Anat.* II *Band*, I *Heft*, p. 57.

in lamina cribrosa ossis Ethmoidei, atque ex eo nasci filamenta nervea, eaque in membranam narium pituitariam distribui, qua propter primum par Olfactui inservire arguebant, omnemque litem hac ratione optime componi putabant.

Neque hanc opinionem prorsus fuisse arbitrariam, egregie demonstrare videntur observationes de primo pare pathologicae, quas breviter enarrare liceat: refert enim Eustachius Rudius (1), se juvenem vidisse, qui jam inde a nativitate Olfactu erat destitutus, et in cuius cadavere par primum haudquaquam inveniebatur, quamque observationem Rolfink atque Magnenus, ejusmodi additis exemplis, ulterius comprobarunt; cum his quoque convenit illa doctissimi Oppert observatio (2), de muliere quadam, Anosmiâ completâ laborante et cujus nervos Olfactorios destructos observavit; sic Balonus quoque amissum Olfactûs sensum vidit ex abcessu in lobis cerebri anterioribus, nervos Olfactorios comprimente, nec non Loder Anosmiam completam tumore scirrhoso, par primum comprimente, productam, se observasse testatur (3).

Ha-

(1) Apud Schneider, *de osse cribriformi*, p. 118.

(2) In Dissert. *de Vitiis Organicis*, p. 16.

(3) Cfr. Eschricht, in Dissert. *de functionibus primi et quinti paris in Olfactorio organo propriis*, p. 54. Idem in Magendii *Journal de Physiologie experimentale et Pathologique*, Tom. VI, No. 4, p. 340.

Harum autem observationum ad nervorum primi paris functionem determinandam momentum breviter erit dijudicandum.

§ 2.

Quod si ad observationes memoratas attendamus, statim animadvertemus, eas, quae ultimo loco attulimus, omnes eodem vitio laborare, prouti scilicet earum observatores tantum de *primo pare*, vel *lobis cerebri anterioribus* mentionem fecerint, neque sermonem instituerint de *iis partibus*, quae recentiori demum tempore notabilem vim exserere atque efficaciam in Olfactûs organon luculenter sunt comprobatae; etenim non dixerunt, utrum *nervorum quinti paris* conditio sana fuerit, nec ne: antiquiori namque tempore functio primi paris Olfactoria a nemine in dubium vocabatur, et nondum nervi trigemini cognitio physiologica, neque usus in quatuor sensus, capiti insidentes, rite erat perspectus. Facile itaque fieri potuit ob praeconceptam jam illam de functione primi paris opinionem, ut ii, qui propter Anosmiam cadavera secuerunt et investigarunt, neglectis aliis encephali partibus, se morbi originem atque fontem invenisse putarint, simul ac nervos Olfactorios affectos, vel partes vicinas alienatas invenissent.

Quod autem attinet ad Eustachii Rudii, Rolfinkii et Magneni observationes, monendum,

dum, eas certe ad rarissimas pertinere; etenim recentiori tempore, quo cadaverum sectiones magna cum diligentia sunt institutae, memoratae conditionis historias vix amplius invenimus observatas (1).

Neque et hodie quoque desunt exempla, quae omnino contrarium docere videntur: sic enim Mery testatur (2), se quatuor homines dissecuisse, qui per totam vitam illaeso Olfactu fructi erant, et quorum tamen nihilominus nervi Olfactorii callosi deprehendebantur. Cum hac etiam sequens convenit observatio degenerati utriusque hemisphaerii cerebralis, salvo tamen odoratu non solum ad effluvia fortiora et stimulantia, verum etiam ad odores subtiliores et magis fugaces (3).

Beclard quoque tractavit aegrum (4), amaurosi laborantem, et doloribus supraorbitalibus vexatum, salvâ tamen per vitam omnis Olfactûs functione: post mortem sectio cranii docuit, utrumque lobum cerebri anteriorem, scirrhi instar, induratum, nervos ipsos Olfactorios horumque pedun-

(1) Cfr. Eschricht, in Dissert. p. 63. et apud Magendie, l. c. p 347.

(2) Cfr. *Histoire de l'Anatomie et Chirurgie*] *par* Portal, III. p. 603.

(3) Cfr. M. Ramon apud Magendie, l. c. Tom. IV, No. 2, p. 174.

(4) Cfr. Magendie, l. c. Tom. V, No. 1 et 2, p. 17 sqq.

dunculos vix reperiri, quippe qui in massam duram scirrhosam erant commutati, et ad narium usque cavitatem producti, laminamque ossis ethmoidei cribrosam plane destructam.

Ex dictis itaque patet, observationibus hisce, quales praestant Pathologicis, nos non duci posse ad veram et omni dubio superiorem de primi paris functione conclusionem.

Hinc nuperrime repetita est quaestio de nervorum Olfactoriorum usu et functione, praecipue quoniam Magendii experimenta docere videbantur, nervos primi paris vix ullam in Olfactus sensum habere efficaciam. Ut autem horum experimentorum argumenta rite dijudicare valeamus, ea sequenti paragrapho breviter exponere necesse est.

§. 3.

Magendii *experimenta in nervos Olfactorios* (1).

I. In Cane duodecim mensium, ablatâ parte anteriore cranii, denudabantur nervi Olfactorii, qui, licet punctione irritati, vel ammoniâ liquidâ tentati, sese plane insensiles probarunt; sed simul ac primum guttula ammoniae liquidae lateraliter deflueret in laminam ossis Ethmoidei cribrosam, ibique tetigisset filamentum nerveum, a ramo Opthalmi-

(1) Cfr. Magendie, l. c. Tom. IV, No. 2, p. 169 sqq.

mico ortum, manifesta doloris signa observabantur.

II. Jam vero Magendie delevit utrumque nervum Olfactorium, qua operatione se omnem Olfactum destructurum putabat; attamen, non sine magna Auctoris admiratione, odoratus sensus mansit integer. (illud credidit saltem Magendie); naribus enim acido acetico, ammonia liquida, oleo aethereo Lavendulae et oleo Dippelii admotis, evidentia *sensibilitatis* phaenomena conspiciebantur, eadem ratione, ac si nervi primi paris destructi non fuissent; imo stylus naribus immissus eundem praestitit effectum ac in cane intacto.

III. Saepe numero in *Phasiano gallo* (femina) et in *Corvo pica* abstulit utrumque lobum cerebralem anteriorem ut et utrumque nervum Olfactorium; narium tamen cavitas non solum omnem servavit sensibilitatem; sed animalia effluvia fortiora evendenti modo perceperunt.

IV. In *Anate Boschas* Magendie destruxit utrumque hemisphaerium cerebrale simul cum nervis Olfactoriis, vixit Anas per octo dies atque odoratum (scilicet sensibilitatem ad effluvia acriora) plane servavit.

V. Ut autem sibi persuaderet Magendie, num effluvia mitiora eosdem exsererent effectus, huic scopo elegit canem feminam, insigni odoratus acie gaudentem, cujus destruxit utrumque nervum Olfactorium, et nihilominus tamen animal non modo efflu-

effluvia acria jam memorata percepit, sed et mitiora, uti carnis, licet papyro bene involutae. Monendum vero, ipsum Magendium huic experimento non multum habere fidei, quippe quod, si caro, inscio animali, fuisset deposita, eam Olfactu non animadvertere videretur (1).

VI. Ut nunc nervi quinti paris detegeret functionem, dissecuit Magendie nervum trigeminum in uno tantum latere, quam sectionem subito sequebatur narium insensilitas ejusdem lateris, neque irritationes styli immissi, neque effluvia acria percepit animal. In altero autem latere, in quo solummodo dissectus erat nervus Olfactorius, illaeso nervo trigemino, remansit effluviorum fortiorum perceptio simul cum hujus lateris nasi integra sensibilitate (2).

VII. Secuit porro nervi trigemini truncum in cuniculis, canibus, felibus junioribus et in *Cavia Cobaya*, quo pacto omnis odoratus videbatur amissus: haec enim animalia adhuc intacta, admoto naribus acido acetico, vel ammonia liquida, caput removere conabantur, nares pedibus fricabant, sternutabant: secto autem nervo trigemino, iisdem substan-

(1) Cfr. Magendie, l. c. Tom. IV, No. 2, p. 174. Ait enim: „*mais je ne regarde pas cette tentative comme suffisam-* „*ment probante, car dans d'autres circonstances il m'a paru* „*manquer d'odorat pour trouver des aliments, que je mettais* „*près de lui à son insu.*"

(2) Cfr. Magendie, l. c. Tom. VI, No. 4, p. 344.

ſubſtantiis non amplius haec animalia commovebantur.

Ex hisce concludit Magendie, nervos ita dictos Olfactorios haudquaquam abſolute Olfactui inſervire, ſed ſenſibilitatem Olfactoriam, imprimis quoad odores fortiores, in nervo trigemino esse quaerendam, ibique cum ſenſibilitate generali commixtam, quoniam ſcilicet, post hujus nervi ſectionem, et narium ſenſibilitatem et ſimul Olfactum amisſum credidit. Hinc itaque movit quaestionem, *quaenam aut qualis foret primi paris functio* (1)?

Hac autem de re infra § 7 et 8. agemus, dijudicemus nunc primo, quid a Magendio, in experimentis de nervo Olfactorio, revera ſit demonſtratum.

§ 4.

Recte monet doctisſimus Eschricht (2), Magendium quidem nervum olfactorium ſenſibilitate generali destitutum obſervasſe, neque, licet nervus primi paris tangeretur, pungeretur, omnique, qua potuit, violentiâ adficeretur, ulla ſenſibilitatis ſigna dedisſe, ut et, prorſus deſtructis utro-

(1) Cfr. Eschricht, apud Magendie, l. c. p. 343. et Tom. IV, No. 2. p, 175. Magendie, *Précis elementaire de physiologie*, Tom. I. p. 183.

(2) Cfr. Magendie, l. c. Tom. II, N. VI, N°. 4, p. 350. ſqq.

utroque cerebri hemisphaerio et nervo olfactorio, non *olfactum*, ſed membranae pituitariae, quae narium cavitatem) investit, „*ſenſibilitatem* eandem manſiſſe ac ante nervorum olfactoriorum ſectionem: etenim ſubſtantiarum volatilium effluviis acrioribus, uti ammoniae liquidae etc. valdequam animalia commovebantur, ſecto autem N. trigemino, deletaque idcirco naſi ſenſibilitate generali, illis effluviis acrioribus imo et corroſivis non amplius adficiebantur; hinc tamen nullo modo ſequitur, memoratos effectus olfactui relicto et integro esſe tribuendos, nervumque primi paris vix alicujus uſus esſe in olfactûs organon, uti propoſuit Magendie, atque omnem fere hanc functionem N. trigemino incumbere (1): novimus enim, nervos ſenſuum, uti olfactorios, opticos, auditorios, omnes eâdem gaudere naturâ, quâ, licet omni ſenſibilitate generali destituantur, nihilominus tamen notabili ſenſibilitate ſpeciali et ſui generis fruantur; quam ob cauſam etiam tantummodo ſtimulos ſpeciales et determinatos percipiunt, neque aliis prorſus incitamentis adficiuntur: hinc itaque, quamvis ſcindantur, irritentur, vel dilacerentur, nulla ſenſibilitatis ſigna commonſtrant, ast vero ſtimulum ſpecialem lucis, ſonorum etc. optime percipiunt (2).

Ut

(1) Cfr. Magendie. *Précis élémens. de phyſiologie*, Tom. I. p. 181 et p. 167.

(2) Cfr. infra Cap. II, § 15, Experiment. II, ſub N°. 5, § 17, ab initio ad finem.

Ut autem ea, quae diximus, magis eluceant, breviter videamus,

I°. Num Magendie probaverit, secto pare primo, olfactum mansisse integrum.

II°. Num Magendii experimenta monstraverint, secto N. Trigemino, olfactûs sensum evanuisse.

§ 5.

Quo ad primam quaestionem:

Quod si ad substantias, quibus in suis experimentis usus est Magendie, attendamus, statim animadvertimus, illum solummodo probasse, narium sensibilitatem generalem remansisse post primi paris sectionem vel destructionem (1); admovit scilicet talia Magendie, quae, praeter proprietates odoriferas, etiam alias quam maxime irritantes et stimulantes habebant, quibus itaque naso admotis, adeo membranae pituitariae *sensibilitas generalis* adficiebatur, ut animalia protinus caput removere studerent, nares pedibus fricarent, sternutarent, quae tamen non haberi possunt tanquam indubia olfactûs servati signa, quia eadem phaenomena quoque observantur, si nares stimulo mechanico, ab omni odore orbato, plumula v. g., titillantur.

Hu-

(1) Cfr. Eschricht, in Dissert. p. 66. Idem apud Magendie, l. c. Tom. II, N°. 4, p. 449.

Hujus rei veritatem etiam quotidiana docet obſervatio; etenim, ſi odoramentum illud naribus applicemus, quod *aquae Colonienſis* nomine inſignitur, et per nares ſat fortiter inſpiremus, *ſenſibilitas* membranae pituitariae, *generalis* adeo incitatur, ut per concenſum oculi lacrymis inundentur, ſed, ſi per os et tracheam idem illud inſpiretur, in haec organa etiam evidenti ratione vim valdequam ſtimulantem exſerit, imo tusſim movere valet; manifesto igitur documento, talia effluvia praeter vim odoriferam, etiam vi fortiter ſtimulante pollere, nec non adhibita a Magendio effluvia admodum et vere unice in *ſenſibilitatem* narium *generalem* egisſe post N. olfactorii ſectionem.

Hanc autem experimentorum explicationem infringere conatur Magendie ideo, quod ſe eadem phaenomena obſervasſe testetur post applicationem olei aetherei Lavendulae et Dippelii, quae inter *Odorifera non ſtimulantia* collocat; aut vero hic de materie adhibita non ſolum, ſed etiam quam maxime de animalium genere cogitemus, necesſe est, in quod experimenta inſtituta fuerunt, atque ex hac comparatione, eadem haec phaenomena ab ejusdem ſenſibilitatis generalis adfectione oriri, luculenter apparebit.

Canes enim, ut de plurimis aliis animalium ſpeciebus taceam, tam mire ſubtili fruuntur olfactu, ut ea, quae a nobis nunquam animadvertuntur et de quorum praeſentiâ ne levisſimam quidem habemus

mus notionem, ad notabilem fatis distantiam percipiant: huic accedit, quod huic olfactûs aciei, quo ad copiam, etiam ramuli, a nervo trigemino provenientes, femper respondeant, quorum copiâ auctâ, narium fubtilior fenfibilitas generalis fimul cum olfactûs perfectione increscit. Quae fi omnia perpendamus, facile intelligimus, tales fubftantias, uti oleum aethereum Lavendulae oleumque Dippelii, quae tam confpicue in homine jam agere folent, in animalibus, olfactûs et narium fenfibilitatis acumine homine longe fuperioribus, vim valdequam habere irritantem, ftimulantem.

Hanc quoque veritatem experimentum fequens, a Magendio ipfo inftitutum, abunde comprobat. *Ranae Bufoni* fcilicet totum fustulit cerebrum, fimul cum nervis olfactoriis, quo facto, animal vitam egit per 14 dies, natans in cisterna aquaria; tamen animal, naribus admotâ ammoniâ liquidâ, ftatim refiliebat, caput detorquebat, nares pedibus anterioribus fricabat: at quotiescunque etiam lagena, quâ ammonia liquida continebatur, ano admovebatur, toties eadem fymptomata fefe obtulerunt et quidem inverfa ratione; protinus nempe tunc procurrebat, celerrimus erat fphincteris motus, nec non pedibus posterioribus anum palpabat (1), ex quibus patet, talia phaenomena unice ab irritatione par-

(1) Cfr. Eschricht, in Disfert. p. 68, in nota. Idem apud Magendie, l. c. Tom. II., n°. 4, p. 350.

partium sensilium pendere, ideoque illud quam maxime evictum esse, secto nervo olfactorio, tantum de *incolumi* narium *sensibilitate generali*, non vero de *integro olfactu*, ex Magendii experimentis, constitisse.

§ 6.

Quo ad alteram quaestionem, longe quoque abest, quin Magendio concedamus, de olfactu actum fore post N. trigimini sectionem: ut scilicet constaret, utrum olfactus remaneret nec ne, tales exhibuit substantias Magendie, quas supra jam vidimus praecipue in narium sensibilitatem agere generalem; non mirum itaque, quod, deletâ penitus membranae pituitariae sensibilitate post sectionem N. trigemini, haec iisdem substantiis irritantibus non amplius adficeretur. Quod autem ad carnis perceptionem attinet papyro involutae, huic experimento ipsum Magendium non confisum esse, supra jam monuimus (1).

Verum quidem est, Magendii experimenta absque omni dubio docuisse, nervos primi paris nec irritatione chemica, nec mechanicâ nec et dilaceratione ullo modo adfici, eosque ideo carere sensibilitate *illâ*, quam vocamus *generalem*, hancque solummodo nervi trigemini ramis esse tribuendam, ex iis

(1) Cfr. Supra, § 3. Experiment. V.

iis tamen neutiquam sequitur, primum par sensibilitate *speciali* destitutum esse, quali et nervum opticum et auditorium gaudentem infra indicabimus (1): quum autem adeo difficile sit, ut recte dijudicetur, utrum haec illave substantia solum agat in narium sensibilitatem specialem olfactoriam, an vero in sensibilitatem, quae naso inest, generalem; ut haec phaenomena rite distinguere nos non valeamus, quisque facile intelliget, nunquam fortasse nos vivifectionibus certam de N. olfactorii functione theoriam eruere posse (2).

§ 7.

Conclusio.

Si fabricam totius regni animalis exploremus, variarumque partium structuram cum functionibus comparemus, statim observabimus, legem illam quam maxime in nostro corpore vigere, alicujus or-

(1) Cfr. Caput II, § 16. Experment. II, sub n°. 5. § 18, ab initio ad finem.

(2) Forsitan vivifectiones, in *Capra* instituendae, majorem lucem spargere possent; haec enim animalia quam maxime panem, e *Secali cereali* confectum, appetunt, ast vero, ubi panis oris exhalatione inquinatus fuerit, illum pertinacker recusare solent; operae sane pretium foret in Capra inquirere, an, sectis utroque nervo olfactorio, haec qualitatem panis dijudicandi facultas remaneret, nec ne. Mihi saltem talia experimenta instituendi non fuisse opportunitatem admodum doleo.

organi actionum vitalium varietatem semper convenire cum nervorum etiam diversitate, ita quidem, ut, si organon quoddam *unam* tantum praestet actionem vitalem, etiam in illo unius tantum generis nervi reperiantur; sin vero munere fungatur complicatiori, nervorum quoque diversitas huic complicationi respondeat.

Quodsi itaque hancce legem nostrae quaestioni adplicemus, concludere jam licet, etiam in olfactus organo de duabus actionibus vitalibus esse cogitandum, prouti nervis adeo inter se discrepantibus gaudeat hoc organan.

Nervo itaque olfactorio, sensibilitate generali destituto, sensibilitatem tribuimus *sui generis specificam*, valdequam subtilem, cujus ope non substantiae ipsae, verum earum quasi qualitates peculiares discernuntur, non secus ac nervus opticus solummodo lucis stimulo adficitur.

Hanc autem amplectimur sententiam, sequentibus argumentis freti.

I°. Docet enim anatome comparata, in omnibus animalibus, uti Canibus, Felibus, Cuniculis multisque aliis, quae cetera animalia, imo et hominem, olfactûs acumine mirum quantum antecellunt, lobos olfactorios ejusdemque *nervos* majorem accepisse evolutionem, quam unquam in homine observatur (1); imo etiam in *Erinaceis* et Chel-

(1) Simile quid in *Falconibus* observamus; in his scilicet ner-

Cheiropteris lobi olfactorii $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{3}$ fere partem totius voluminis cerebralis conſtituunt (1): huic addatur, quod piscium olfactus ſubtilior cum nervorum olfactoriorum majori evolutione pari pasſu ambulet; pisces enim, qui cadaveribus et carne nutriuntur, uti *Squali*, *Rajae* aliique, quique ideo, ut haec e longinquo jam perciperent, perfectiori indigent olfactu, lobos cerebrales, ut et nervos olfactorios, prae aliis majores gerunt (2).

II°. Hanc quoque de nervo primi paris ſententiam evidenter habemus comprobatam obſervationibus pathologicis; fuerunt enim homines, quorum olfactus, ſive facultas effluviorum qualitates discernendi, penitus erat deletus, quibus nihilominus tamen membrana narium pituitaria optime ſenſilis erat, ita ut immisſo corpore alieno irritatio inde producta rite perciperetur (3): evidenti igitur argumento, uti videtur, in hisce hominibus

N.

nervi optici inſigne acquirunt incrementum, et nemo quoque est, qui eorum viſus aciem non admiretur.

(1) Cfr. Magendi, l. c. Tom. V, n°. 1 et 2, p. 23. Idem memorat Scarpa; conſtitit nimirum experimentis, aves, quarum nervi olfactorii magis evoluti erant, etiam ſubtiliori gaudere olfactû. Cfr. G. Cuvier, *Leçons d'Anat. Comp.* Tom. II, p. 655.

(2) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. I, p. 170. Tom. II, p. 712.

(3) Cfr. Magendie, *Précis Element. de Physiol.* T. I, p. 132. Eschricht, in Disſert. l. c. p. 75.

N. olfactorium solummodo fuisse adfectum, intacto N. trigemino, nec non *olfactum* et narium *sensibilitatem generalem* a se met invicem vere esse distinguendam, quoniam olfactus nullus esse potest, vigente tamen narium sensibilitate.

Neque minoris momenti ad hanc rem confirmandam haecce deprehenditur observatio, scilicet de homine quodam, qui, post lapsum alicujus ponderis in caput, delirio aliisque laesi organi cerebralis symptomatibus laborabat: ab his autem sanatus aeger et gustum et olfactum amisit, ita ut neque spiritum vini, neque saccharum, neque Zingiber gustu discernere potuerit, sed haec omnia ei eadem viderentur. Naribus autem admovebatur gummi asa foetida, cujus tamen nullum percipere potuit odorem: ubi autem naribus admota fuerat ammonia liquida, aeger dicebat „ nunquam aliquid expertus sum tam fortiter agens, oculi „ mei lacrymis inundantur, ast nullum inde odorem distinguere possum (1).“ Etiam in hac observatione primi paris nervorumque lingualium functionem praecipue fuisse labefactatam admodum probabile est.

Hanc quoque opinionem extra omne dubium posuit observatio de homine quodam, qui olfactu prorsus erat destitutus, ita quidem, ut, absque ul-

(1) Cfr. Froriep, *Notizen*, X Band, n°. 12.

ulla foetoris perceptione, foricarum ſtercus removendo victum quaereret, ad quod opus quaſi a Naturâ ipſâ destinatus videbatur; dein vero hepatitide chronicâ exſtinctus est, atque, aperto ejus cranio, patuit nervos olfactorios non ſolum defuisſe, ſed et ſulcos in parte inferiore loborum cerebralium anteriorum quoque non inveniri, ideoque evictum esſe, omnem olfactûs functionem nervo incumbere olfactorio (1).

„ At" dicat quis „ nonnunquam tamen morboſa primi paris conditio obſervata est, absque „ ut ideo omnis perierit olfactus." Monendum vero, illas obſervationes nimis vagas esſe, neque iis totum functionis nervorum olfactoriorum defectum probari, ideoque omnino incertas esſe.

§. 8.

Quae omnia ſi in unum colligamus, magnâ cum veri ſpecie concludere posſumus, nervum primi paris pollere *ſenſibilitate ſpecificâ*, trigeminum e contra gaudere *ſenſibilitate generali*, qua ſcilicet, tanquam narium custode fidelisſimo de rerum nocentium praeſentia monemur.

Sic itaque, ſi narium ope effluvia quaedam animad-

(1) Cfr. Doctisſ. L. Cerutti, *Beſchreibung der pathologiſchen Präparate des Anatomiſchen Theaters zu Leipzig.* 1819. p. 209, n°. 828.

madvertimus, non ſolum *olfactu*, ſed et *ſenſu* ſimul ea percipimus, dijudicante N. olfactorio quaſi effluviorum virtutem. Saepe autem haec effluvia valde volatilia ſunt et, praeter odoriferam, inſigni qualitate ſtimulante et irritante ſcatent, uti ammonia etc., quo fit, ut fortioris irritationis perceptionem ab olfactu rite distinguere non valeamus, „ fortior enim ſtimulus debiliorem ob- „ tundit," uti jam ſuo tempore docuit Hippocrates (1).

Alia itaque est perceptio alicujusque rei in N. trigemino aliisque nervis ſentientibus, alia ſpecificorum perceptio in N. olfactorio, optico, auditorio obſervanda; quum autem narium uterque nervus adeo multiplici conjungantur anastomoſi et quaſi coalescant, non mirum est, effluviorum incitationem et odorem uno quaſi momento percipi.

(1) Cfr. Aphorismorum Liber, Sect. II, Aphor. 46.

CA

CAPUT II.

DE NERVO TRIGEMINO.

§ 1.

Licet hujus nervi ſingulorumque ejusdem ramorum deſcriptionem anatomicam omittamus, de utraque tamen portione, majori ſcilicet minorique, e quibus N. trigeminus vulgo oriri dicitur, quaedam monere non inutile erit, quippe quae portiones, ratione *originis*, *distributionis*, *ſtructurae* atque *functionis*, adeo a ſemet invicem discrepant, ut merito pro ſeparatis nervis habeantur.

I. Quo ad *originem*, portio minor magis antrorſum ex ventriculi quarti pavimento exſurgit, magis posteriora verſus portio major (1).

Haec

(1) Cfr. F. Hildenbrandt, *Lehrbuch der Anatomie*, Tom. IV, §. 2986. Eschricht, in Disſert. pag. 26. M. a. Lenhosſék, *Phyſiol. Med.* Tom. IV, p. 164.

Haec quoque origo portionis minoris, ab eâ majoris valde diversa, jam dudum cognita fuit, ita ut jam Fallopius portionem minorem pro separato nervo habuerit (1), nec non Palletta quoque portionem minorem tanquam nervum vere diversum descripserit, sub nomine N. *Crotaphitici et Buccinatorii*, quorum prior dividitur in ramum massetericum et duos temporales, alter vero in ramum buccinatorio-labialem et pterygoideum (2).

II. Quo ad *distributionem:* nervus trigeminus cum duabus portionibus e cerebro provenire vulgo creditur, quarum major sive posterior vario modo per omnes faciei partes dividitur, cujusque ramulis organa sensualia, uti olfactus, visus, auditus et gustus instructa sunt, portio vero minor seu anterior econtrario abit ad musculos temporales, masseteres, pterygoideos aliosque, ideoque solummodo terminatur in musculis masticationis. Portio major ganglion efformat, cui tantummodo adjacet portio minor, ita ut haec cum altera portione non commisceatur, sed vere separata maneat (3).

III.

(1) Cfr. p. W. Lund, *Physiol. Resultate der Vivisectionen neuerer Zeit*, 1826, p. 309.

(2) Cfr. J. B. Palletta, in Ludwig, *Script. neurolog. minor.* Tom. III, p. 68.

(3) Cfr. Eschricht apud Magendie, l. c. Tom. II, n°. 3, p. 240. F. Hildebrandt, l. c. § 2988.

III. Differunt portiones illae quam maxime *ftructurâ*; portio enim minor mollior fimulque albidior est, quum contra portio major magis ruboris fpeciem prae fe ferre folet, nec non fibrae portionis minoris, licet numero pauciores, fatis notabili tamen crasfitie fibras portionis majoris fuperant (1).

IV. Quantum denique interfit discrimen inter utramque hanc portionem, docent obfervationes pathologicae, comprobant experimenta; plura enim proftant aegrorum exempla, in quibus functio musculorum masticationis, quos totam quantam portionem minorem accipere jam vidimus, fervata fuit, fimul cum integritate portionis minoris, morbofe licet adfectâ portione majori: etenim, ut unum e pluribus memorem, fectionem cadaveris inftituit Magendie in Nofocomio Lutetienfi, atque obfervavit portionem N. trigemini majorem degeneratam, imo plane deftructam; portionem vero minorem integram, falva quoque per vitam omni musculorum masticationis functione (2).

Sin vero Phyfiologice utramque hanc portionem contemplemur, miram quantam obfervamus differentiam: majorem fcilicet portionem per omnes fa-

(1) Cfr. Hildebrandt, l. c. — Eschricht, in Disfert. l. c. p. 26.

(2) Cfr. Eschricht, in Disfert. *de functionibus feptimi et quinti paris in facie propriis*, p. 31 fq. Idem apud Magendie, l. c. Tom. VI, n°. 3, p. 244. Cfr. hujus capitis § 11.

faciei partes ſenſibilitatem diffundere, portionem vero minorem musculorum masticationis nervum esſe motorium, ſequentibus docebimur.

§ 2.

Bellii *experimenta in N. trigeminum* (1).

I. Secuit Bell ramum infra — orbitalem N. trigemini in latere ſiniſtro, nervum vero facialem in latere faciei dextro; hanc ſectionem ſecutae ſunt paralyſis musculorum faciei lateris dextri, inſenſilitas vero completa lateris ſiniſtri; ſectio N. facialis nullum ei ſenſibilitatis ſignum oſtendit, ſed tantum convulſivos motus musculorum faciei, quales vero non conſpiciebantur ſub ſectione rami infra - orbitalis.

II. In Aſino ſecuit ramum infra - orbitalem lateris ſiniſtri, nervum vero facialem lateris dextri; in hocce latere ſenſibilitas remanſit, musculi tamen erant paralytici: in latere ſiniſtro deleta erat ſenſibilitas, ſervata mobilitas. Irritatio nervi facialis *motus* musculorum, non vero dolorem, irritatio au-

(1) Cfr. Charl. Bell, in Meckel, *Deutſches Archiv für die Phyſiologie*, VIII *Band*, II *Heft*, p. 401 ſqq. Idem in Magendie, l. c. Tom. II, N°. 1, p. 66 ſqq. Cfr. Idem, *Expoſitions du ſyſtème naturel des nerfs*, A°. 1825. p. 69 ſqq. Cfr. A. Numan, *Vee-Artſenykundig Magazyn*, Vol. I, Part. 3, p. 388 ſqq.

autem rami infra-orbitalis *dolores vehementes* ciebant (1).

III. In homine, prosopalgiâ laborante, secuit Bell ramum N. trigemini supra-orbitalem; dolores vehementes hac sectione producebantur, sed supercilium servabat mobilitatem: quum e contra in alio aegro musculus Corrugator supercilii paralyticus factus erat, propter exulcerationem rami superioris N. facialis, quod ulcus ante aurem externam aderat.

IV. In Asino denudato ramo N. trigemini infra-orbitali, huncce ramum attigit; attactum hunc dolores graves insequebantur: sectio autem rami infra-orbitalis non musculorum motum, sed hujus lateris faciei sensibilitatem exstinxit. Sectis utroque ramo infra-orbitali, sibi relictum est animal. Post hanc sectionem utriusque rami infra-orbitalis pabulum labiis non amplius excipiebat Asinus, sed labia solo imprimebat, ut hac ratione linguae ope pabulum lambere posset (2). Monet quoque Bell, se saepenumero observasse, labia hosce motus ad pabulum excipiendum in utroque adhuc latere instituisse, secto licet *unius* lateris N. faciali (3), qualem observationem etiam Schöps memorat (4).

Hanc

(1) Cfr. Magendie, l. c. p. 71.

(2) Cfr. Bell, l c. p. 399 et 401.

(3) Cfr. Infra, Cap. III, § 1. Experiment. I.

(4) Cfr. Infra, Cap. III, § 2. Experiment. II.

Hanc quoque N. trigemini sensibilitatem comprobavit Schöps (1); secuit scilicet in *Cuniculo* ramum infra-orbitalem, ex qua sectione dolores haud exiguos redundare expertus est; post sectionem autem, puncto, vellicato, vel alià quacunque ratione laeso labio superiore, nulla inde doloris signa observabantur, sed simul etiam labium non amplius porrigebat, neque cum labio tales motus instituebat animal, quales requiruntur ad pabulum labiis rite excipiendum, quodque igitur cum Bellii observatis convenit.

§ 3.

Antequam autem ulterius progredimur, prolata experimenta cum conclusione exinde imprimis a Bellio factâ comparabimus, ut hoc pacto dein indagemus, quid alii scriptores de hujus nervi functione experti sint: Bellii itaque sententia huc redit.

I°. N. trigeminum pertinere credebat ad classem nervorum ita dictorum *regularium*, ex duabus scilicet radicibus ortorum, qualem imprimis nervi spinales constituunt, ideoque ner-

(1) Cfr. Meckel, *Archiv für Anat. und Physiol.* 1827, N°. 3, p. 409.

nervum trigeminum nervo ſpinali putavit ſimilem (1).

II°. Nervum trigeminum non ſolum per faciem ſenſibilitatem diffundere, ſed et ejus ramum infra-orbitalem motui praeësſe ſtatuit labiorum, qualis requiritur ad pabulum excipiendum, ut et motus labiorum maſticatorios perficiendos; viderat enim, ſecto ramo infra-orbitali, pabulum non amplius labiis ſuſcipi potuisſe (2).

§ 4.

Qua ad primum.

Licet lubenter concedamus, nullum remanere dubium, quin portio major omnibus faciei partibus ſenſibilitatem impertiat, portio vero minor musculorum maſticationis nervum ſiſtat motorium, longe tamen abest, quin, recte monente Doct. Eschricht, N. trigeminum nervo ſpinali habeamus ſimilem (3): verum est, nervum quinti paris, primo quidem adſpectu, hancce ſuadere ſententiam, ast vero, utroque nervo ſingulatim indagatis, maximum adesſe discrimen nervum trigeminum inter interque nervum ſpinalem, obſervabimus.

Ete-

(1) Cfr. Ch. Bell, *expoſitions du ſyſtème naturel des nerfs*, p. 21.

(2) Cfr. ſupra, § 2. Experiment. IV. Cfr. infra, Cap. III. § 1. Experiment. I. § 2. Exp. II.

(3) Cfr. Eschricht, in Disſert. p. 24 ſqq.

Etenim si minori, quam decet, curâ hancce exploremus quaestionem, nervus quidem trigeminus cum spinali convenire *videbitur*, ideo quod duplicem originem sive radicem *simulet*, quarum altera, seu posterior, ganglion efformat, et sensibilitatis fontem sistit, altera vero, seu anterior, ganglio portionis majoris tantum adhaeret et motoria est, sed nunc omnis cum nervo spinali convenientiae species evanescit; mox enim nervi spinalis radix anterior et posterior intime secum invicem conjunguntur, ita ut harum radicum distinctio in nervis spinalibus non amplius detegi queat, idemque nervus et motum et simul sensibilitatem diffundat, qua propter, laeso vel dissecto nervo spinali, et motus perit et sensibilitas.

Longe autem aliter res sese habet in N. trigemino; hujus enim portiones haud confluunt in unum nervum, qui faciei et motum et sensibilitatem conciliat, sed omnino separatae manent non solum, verum etiam portionem minorem, vulgo nervo trigemino adscriptam, hujus nervi partem *non constituere*, sed ab eo vere diversam esse, supra jam vidimus (1). Hisce etiam accedit, quod *faciei* mobilitas non pendeat a portione minori, sed *nervus facialis* faciei nervum motorium sistat, quemadmodum ex praecedentibus passim jam vidimus, quodque sequenti capite ulterius erit comprobandum:

(1) Cfr. supra, § 1.

dum: hinc itaque patet, portionem minorem nihil commune habere cum *faciei* vel fenfibilitate vel mobilitate, fed unice *musculis masticationis* esse destinatam, ideoque N. trigeminum, tanquam ex una portione tantum provenientem, haudquaquam nervo fpinali fimilem esse habendum.

Verum quidem est, portionem minorem arcte cohaerere cum ramo maxillari inferiori, illamque simul cum eo exire e foramine osfis fphaënoidei ovali, fibrae tamen portionis minoris cum iis majoris non commiscentur, ast quidem filamenta quaedam nervea accipit portio minor a majori eo in loco, quo utraque portio fibi invicem arctisfime adhaerent, quam ob rem portio tantum minor aliquam cum nervo fpinali convenientiae fpeciem habere videtur: nec mirum; portio enim minor, tanquam vere motoria, omnis fenfibilitatis generalis expers est, et tamen musculis opus est nervus non folum motorius, fed etiam talis, qui fimul fenfibilitatem diffundit.

Quum itaque musculi masticationis nervo proprio et feparato fenfibili destituantur (1), fequitur, ut portio minor, tanquam musculorum masti-

(1) Hujus rei quoque analogiam habemus in nervo faciali et trigemino; etenim nervus faciei motorius omni destituitur fenfibilitate generali, (Cfr. infra, Caput III, § 3, 4, 5.) ideoque folus fcopo non fufficeret: huic autem incommodo profpexisfe obfervamus Naturam, nervum feparatum fenfilem in facie conftituendo.

ticationis nervus tantum motorius, aliqua accipiat filamenta a portione majori sensibili, cui tam proxime adhaeret, ad debitum sensibilitatis gradum musculis masticationis conciliandum (1).

Ex dictis itaque sequitur, portionem majorem, quae *unice* nervum trigeminum constituit, ideoque nervo spinali *non similem*, omnibus faciei partibus conciliare sensibilitatem, portionem minorem e contrario exhibere vim motoriam, nec non utramque portionem nervos revera diversos esse atque separatos.

§ 5.

Quo ad alteram quaestionem, scilicet de amisso labiorum motu manducatorio, quem Bell sectioni ramorum infraorbitalium tribuerat, eam egregie suis experimentis solvisse videtur Mayo (2). Hic enim secuit ramum infra-orbitalem, quo facto animal pabulum labiis non amplius excipiebat, atque iis, inter manducandum, non sine molestiâ utebatur, ast labia tamen aperiri poterant, cujus rei contrarium statuerat Bell (3); haec tamen phae-

(1) Cfr. F. Hildebrandt, l. c. Tom. IV, § 2988. Eschricht, l c p. 27 sq.

(2) Cfr. *Anat. and Physiol. Comment.*, Aug. 1822, p. 107 sqq. Eschricht, l c. p. 19 sqq.

(3) Cfr. Eschricht, l. c.

phaenomena ex labiorum amissa sensibilitate jure merito explicanda putat Mayo: etenim animal, pabulum excepturum, illud labiis sentire nequit, ideoque se illud non apprehendisse opinatur, quapropter demum lingua in auxilium vocatur.

Hanc autem labiorum mobilitatem tantum nervo faciali incumbere, sequenti experimento extra omne dubium posuit laudatus auctor; secuit enim utrumque nervum facialem, illaesis utroque ramo infra-orbitali: hancce sectionem subito sequebatur musculorum faciei omnium ut et labiorum perfecta resolutio tum ad pabulum accipiendum, tum ad quoscunque alios motus perficiendos, quum certe, si vera esset Bellii conclusio, quod scilicet rami infra-orbitales labiorum motus ad pabulum excipiendum et manducandum ducerent, in hocce experimento, illaesis utroque ramo infra-orbitali, motus labiorum memorati perdurare debuissent, qui tamen omnes evanuerunt post nervi facialis sectionem.

Ast vero quoque Bell „ labia in utroque late-„ re motus memoratos adhuc instituisse observave-„ rat, secto licet unius lateris nervo faciali (1)."

Quaeritur itaque, qua ratione fieri potuit, ut, secto nervo faciali, ejusdem tamen lateris labia moveri queant? hujus autem phaenomeni explicatio

... faci-

(1) Cfr. supra, § 2. Experiment. IV., Infra Cap. III, § 1, Experiment. I, § 2, Experim. II.

facile in promptu est; etenim sectis, uti mox vidimus, utroque nervo faciali, labia plane resoluta erant, ex quo patet, Bellium ideo deceptum fuisse, quod in omnibus suis experimentis tantummodo unius lateris nervum facialem secuerit: musculus enim orbicularis oris, tanquam musculus impar, salva hujus parte dimidiâ, ramos nerveos ab uno latere accipiens, totus fere manet integer, quod in aliis faciei musculis locum habere nequit.

Huic accedit, quod contractione partis dimidiae musculi in latere illaeso etiam musculi pars lateris paralytici passive commoveatur, et hoc pacto speciem prae se ferre queat, ac si ipsa contractionem suam voluntariam conservasset; evidenti igitur argumento, ramum infra-orbitalem solummodo sensibilitate pollere, sectisque nervo utroque faciali, plane resolvi musculum oris orbicularem aliosque faciei plures, ideoque omnes quoscunque labiorum motus unice a nervo pendere faciali (1).

§ 6.

Magendii *experimenta in nervum trigeminum* (2).

I. Secto in cuniculo nervo trigemino unius late-

(1) Cfr. Eschricht, l. c. p. 21.

(2) Cfr. Magendie, l. c. Tom. IV, N°. 2, p. 176 sqq.

teris, totius hujus faciei lateris deleta erat sensibilitas; membrana nasi pituitaria, ut et oculi conjunctiva erant insensiles, neque punctiones, neque irritationes chemicae substantiarum valde acrium, uti applicatio ammoniae liquidae ad oculi conjunctivam ulla proferebant sensibilitatis vel dolorum indicia. Alteri vero oculo instillabatur parum ammoniae liquidae, atque sequebantur exquisitae sensibilitatis signa, uti motus atque contorsiones variae, lacrymarum secretio aucta, quum tamen in oculo illius lateris, in quo nervus trigeminus erat dissectus, talia phaenomena non conspiciebantur: oculus scilicet erat siccus et immobilis, iris immobilis atque contracta ut et palpebrarum nictationes periodicae cessarunt.

Die sequenti oculus, cujus nervus trigeminus erat illaesus, stimulo ammoniaco valde erat inflammatus, nulla autem inflammationis signa aderant in alterius lateris oculo: sectio itaque nervi trigemini partium sensibilitatem exstinxit, earumque prohibuit inflammationem.

II. In pluribus cuniculis secuit Magendie nervum trigeminum, tum in uno latere tantum, tum in utroque simul; haecce animalia per aliquot dierum spatium observavit atque sequentia annotavit:

1°. Viginti quatuor horis post N. trigemini sectionem cornea evadebat opaca, quae opacitas

per

per tres dies valde increvit, ita ut die 5° et 6° colorem lacteum acquisiverit.

2°. Inde a die secundo conjunctiva oculi rubra fiebat et videbatur inflammata, materiem puriformem lacteam copiosam secernens; palpebrae inmobiles et apertae vel materie puriformi agglutinatae erant.

3°. Altero post sectionem die iris quoque rubra fiebat, ejus vasa sanguine turgebant; denique accendebatur inflammatio superficiei anticae iridis, formabantur pseudo-membranae, iisque antica oculi camera impleta est.

Ut autem Magendie sibi persuaderet, opacitatem illam corneae non oriri ex hujus organi continua expositione aëri, secuit in cuniculo tantum nervum facialem, qua ratione palpebrae reddebantur paralyticae et apertae manebant, sed in oculo, qui sic per plures etiam dies aëri fuit expositus, tamen nulla corneae opacitas aut inflammatio observabatur, neque iridis, neque conjunctivae. — Ut autem ulterius pateret, lacrymarum secretionem, sectione N. trigemini impeditam, huic corneae opacitati reliquisque symptomatibus ansam non praebere, totam quantam eripuit Magendie glandulam lacrymalem, et nulla inde opacitas corneae conspiciebatur, ne octavum quidem post diem.

4°. Die octavo post sectionem N. trigemini cornea degeneratur, solvitur a sclerotica, in centro

tro corneae incipit suppuratio, oculi humores fiunt turbidi, defluunt, et tandem oculus ipse in tuberculum minus redigitur, et in massam, ex materie albâ caseosâ coagulatâ constantem, convertitur.

5°. Visûs facultas, si non omnis perierit, pro maxima saltem parte videtur debilitata et labefactata. Si acu punctetur retina, nulla inde exsurgunt sensibilitatis generalis indicia (1): sectis utroque N. trigemino, animal videtur coecum, motusque ejus sunt singulares. Si cursum instituit animal, maxilla inferior terrae innititur, ut eâ, tanquam viae duce, uteretur. Monet porro Magendie, motus hosce diversos esse ab iis, quales instituuntur ab animalibus, tantummodo ob morbosam oculorum conditionem coecis, illaeso pare Trigemino; haec enim animalia tunc adhuc mystacum sive vibrissarum ope, ut et sensibilitatis faciei cutaneae auxilio, cursum dirigere possunt, omniaque impedimenta evitare, quum e contra animalia, quorum nervi trigemini dissecti sunt, obstacula non animadvertunt neque evitant, sed caput huic obstaculo ita impingere pergunt, ut demum omnis faciei cutis defricetur.

Animal tunc insensibile est atque coecum, neque et rumoribus amplius deterretur, omnes sensus,

(1) Hanc insensibilitatem retinae etiam in homine observavit noster Auctor. Cfr. ejus journal, l. c. p. 180. ibique in Notâ

fus, capiti infidentes, tangi et irritari posfunt, absque ut animal illud fentiat (1).

6°. Lingua infenfilis est in eodem latere, quo N. trigeminus disfectus est, et, fectis utroque hoc nervo, utriusque lateris infenfibilitate laborat, mobilitas autem intacta remanet, nullus obferva-tur gustus, imprimis in linguae apice: in canibus et felibus dependet maxilla inferior, propter relaxa-tos musculos masticatorios.

7°. Secto uno tantum nervo trigemino, in ore nafo et lingua ejusdem lateris morbo-fae affectiones oriuntur notabiles; linguae pars dimidia albida fit, ejus epidermis infpisces-cit, gingivae corrumpuntur et a dentibus rece-dunt.

8°. Credidit quoque Magendie, nervi tri-gemini fectionem delere audiendi facultatem, ad-ditque, hanc opinionem non prorfus improbabilem esfe, quoniam in quibusdam animalium fpeciebus nervus auditorius non nifi ex ramulo nervi tri-gemini conftat (2). Hujus fententiae veritas etiam ex

(1) Cfr. Eschricht, in Disfert. *de functionibus primi et quinti paris in olfactorio organo propriis*, p. 70 fqq.

(2) Cfr. Desmoulins, l. c. p. 357, qui in *Raja* nervum auditorium nervi trigemini ramum esfe dicit. Cfr. G. Cuvier, *Leçons d'Anat. compar.*, Tom. II, p. 228 et 230. Qui nervum auditorium in piscibus ad trigeminum pertinere testatur.

ex Serresii obſervatione pathologicâ, infra memorandâ (1), patet.

§ 7.

Ex praecedentibus itaque experimentis concluſit Magendie, nervum trigeminum magnam vim habere in olfactûs, viſus et auditûs organa, ſimulque organon ſistere gustatorium atque ſenſibilitatis generalis faciei, nec non partium, quas petit N. trigeminus, inſervire nutritioni: Hasce autem hujus nervi proprietates, ut accuratius determinaret, ſequentibus experimentis ulteriori ſubmiſit examini (2).

III. Secuit Magendie in cuniculo N. trigeminum in ipſo cranio ad partem oſsis petroſi posteriorem, eademque phaenomena obſervavit, ac ſi N. trigeminum magis antrorſum ſecuiſſet, eo tamen cum diſcrimine, quod oculi mutatio morboſa minor erat, quam post nervi ſectionem in foſſa temporali, ut et perturbatio nutritionis oculi non tam inſignis conſpiciebatur: nunc enim leviter tantum oculi pars ſuperior erat inflammata, et opacitas corneae inde producta tantummodo ſegmenti partem ſuperiorem minorem occupabat.

IV.

(1) Cfr. Hujus Capitis, § 20.

(2) Cfr. Magendie, l. c. Tom. IV, n°. 3, p. 302 ſqq.

IV. Secto N. trigemino prope ejus originem in ipsa medulla, inter foramen occipitale magnum et vertebram cervicalem primam, omnis sensibilitas hujus lateris faciei omniumque sensuum erat deleta, ast vero oculi nutritio rite procedebat, neque hujus organi, primis saltem diebus, ulla laesio conspiciebatur, quae tamen post dies septem, licet leviter, incipiebat: cornea parum erat opaca, et in oculi camera antica paucae tantummodo pseudo-membranae erant formatae. Die nono moriebatur cuniculus (1).

V. Secuit Magendie lateraliter medullam in regione cervicis superiore, inter arcum vertebrae primae et secundae, quam sectionem sequebantur, uti in experimento praecedenti etiam jam vidimus, eadem insensibilitatis phaenomena, ac si N. trigeminus ipse dissectus fuisset.

Credidit itaque Magendie, ex hisce experimentis concludi posse, nervum trigeminum, licet a medulla sectione separatum, per aliquot adhuc temporis spatium propriam retinere efficaciam in organorum nutritionem, ut et hujus functionis perturbationem eo citius atque gravius in conspectum venire, quo magis in antica parte nervi trigemini sectio fuerit instituta, nec non huic nervo ines-

se

(1) Ex hoc et sequenti experimento sequi videtur, portionis majoris originem, ut dicitur, quaerendam esse in parte superiore columnarum dorsalium.

se vim peculiarem, ab ea systematis nervosi generalis vere distinguendam.

§ 8.

Quum e praecedentibus experimentis simul quoque animadverterat Magendie, secto pare Trigemino, videndi facultatem fuisse deletam vel saltem labefactatam, sequentia experimenta instituenda excogitavit, ut naturam et functionem nervi trigemini et optici in visus organo rite distingueret (1).

VI. Secto in cuniculo pare quinto unius lateris, subito in oculum immittebantur radii flammae lucentis candelae; oculi partes haudquaquam commovebantur: luce fortiori, (d'une lampe de Carcel) subito in oculum inmissa, nihilominus oculi partes manebant inmobiles: radii hujus lucis per lentem (loupe) intendebantur, ita ut lux fortior et copiosior oculum intraret, sed nullum inde observabatur sensibilitatis indicium.

Ex tenebris autem subito luce Solari in oculum immissa, cuniculi palpebrae claudebantur: haec autem lucis perceptae phaenomena evidentius etiam observabantur, quando radii solares, per lentem (lentille) convergentes, in oculum incidebant.

VII.

(1) Cfr. Magendie, l. c. p. 307 sqq.

VII. Putabat Magendie, calorem lucis ſolaris hujus effectûs esſe cauſam; admovit itaque *ferrum candens* oculis plurium animalium, quorum N. trigeminus erat disſectus, imo per lentem (loupe) radii inmittebantur in corneam et ſuperficiem anticam iridis, attamen nulla aderant ſenſibilitatis ſigna: evidenti igitur argumento, *lumen* ſolummodo *ſolare* vim exercuisſe in N. opticum, eundemque non *omnem* perdere ſenſibilitatem pro hujus luminis ſtimulo, licet N. trigeminus fuerit disſectus. Hanc quoque opinionem ſequentibus experimentis ulterius comprobat.

VIII. Secto unius lateris N. optico, alterius autem nervo trigemino, animalia coecitate completâ adficiebantur, ſalva tamen oculi, cujus N. opticus intactus erat, ſed ſectus trigeminus, erga lucem ſolarem ſenſibilitate.

IX. Perforatâ osſis frontalis parte mediâ ſupraorbitali, ſecuit Magendie, acu incurvata, N. opticum in ipſo cranio, quâ peractâ ſectione, ſtatim videndi facultas erat deleta, et, ſectis utroque N. optico, completâ laborabat animal coecitate: radii ſolares, vitro artificiali concentrati, in oculum inmittebantur, ſed nulla inde adfectionis ſigna oborta ſunt, quae in aliis experimentis obſervabantur, in quibus N. opticus erat integer, ſed ſectus N. trigeminus. Hinc recte monet Magendie, N. trigeminum non aptum esſe ad lucem, quam maxime licet intenſam, percipiendam, ſed N, opticum tantum-

tummodo pollere illa sensibilitate speciali atque subtili, eumdemque nervum quidem aliquid hujus sensibilitatis retinuisse post sectionem N. trigemini; verum etiam hancce N. optici facultatem lucem percipiendi pro maximâ parte inertem fieri, ubi efficacia N. quinti paris tollitur, ut et nullam oculorum nutritionis perturbationem produci post sectionem nervorum opticorum, denique nec retinae, neque N. optici irritationem vel sectionem sensibilitatis signa generalis ostendere evidentia, quarum partium insensibilitatem etiam in homine se observasse testatur (1).

X. In cane et cuniculis remota parte cranii laterali simulque posteriori, nec non ablata ⅓ parte cerebelli, conspiciebantur N. trigeminus, supra os petrosum decurrens, nervusque auditorius, porum acusticum internum petens: uterque nervus tangebantur, et toties, quoties etiam levissime tangebatur N. quintus, signa exquisitae sensibilitatis oborta sunt, quum vero animal tranquillum manebat, tacto, puncto vel plane dilacerato N. auditorio.

§ 9.

Conclusio.

Quodsi omnia jam prolata experimenta secum invi-

(1) Cfr. Magendie, l. c. Tom. V, No. 1 et 2, p. 39.

vicem comparemus, eorumque effectus in animum revocemus, neutiquam dubitabimus, quin declaremus, N. trigeminum tanti profecto in oeconomia animali momenti esse, ut nullus fere nervus vitae animalis queat excogitari, qui *tot* ac *tantis* fungi possit muneribus: hujus itaque nervi functio et utilitas, experimentorum habitâ ratione, sequentibus breviter erunt recensendae.

Portio minor vulgo N. trigemino adscripta, nervum separatum constituit, eique, propter functionem motoriam, quam exercet in musculos temporales, masseteres aliosque, maxillam inferiorem inter manducandum moventes, nomen *nervi masticatorii* tribuendum non incongruum habemus: longe vero aliud officium incumbit portioni majori, nervum trigimenum unice constituenti, quemque nervo spinali haud similem diximus, et cujus proprietates multiplices jam magis speciatim indicabimus.

I. Portionem majorem faciei *fontem* exhibere *sensibilitatis generalis*, allata experimenta egregie demonstrarunt; sectio enim portionis majoris omnium faciei partium sensibilitatem penitus delevit, stimulis postea neque mechanicis, neque chemicis iterum excitandam. Hanc quoque veritatem ulterius comprobat Anatome; fabrica enim faciei mollior et sensibilior pari passu ambulat cum N. trigemini ramorum incremento ramulorumque copiâ auctâ; hinc labia, prae aliis partibus, admodum

dum sensibilia deprehenduntur. — Quis porro non noverit exquisitam illam conjunctivae sensibilitatem, qua fit, ut ne pulvisculum quidem in oculum incidere queat, quin dolores inde gravissimi percipiantur, atque glandula lacrymalis in consensum ducta, quasi lacrymarum flumine corpora heterogenea depellere vel irritantia solvere et diluere studeat.

Respiciamus denique ad *Insectorum* antennas (1), ad *Carnivororum* et *Ruminantium* vibrissas (2), ad *Viverrae nasuae* nasum, ad *Anserum* et *Anatum* rostra (3), ad nonnullorum *piscium* appendices digitiformes, quae, tanquam organa tactui inservientia, insignes a pare trigemino ramulos nerveos accipiunt, atque facile portionem hanc majorem *faciei nervum sentientem* declarabimus.

II. Hac autem quinti paris sensibilitate generali adeo organa sensualia indigent ad debitam functionem praestandam, ut, secto N. trigemino, vel morbosa ratione impedita hujus nervi efficacia, olfactus, visus, auditus et gustus simul cum sensibilitate generali pereant (4), ideoque quintum par ner-

vo-

(1) Cfr. Bell, in Meckel, *Archiv.*, l. c. p. 402.

(2) Cfr. W. Vrolik, *Specimen Anatomico-Zoolog. in Academia Rheno-Trajectina defensum*, p. 49, p. 67, 68 et tab. II, fig. 1.

(3) Cfr. Blumenbach, *Handbuch der Vergleichende Anat.* *Gottingae* 1805, p. 324.

(4) Cfr. P. W. Lund l. c. p. 319. *Revue Médic.* 1825. p. 301.

vorum olfactoriorum, opticorum et auditoriorum, licet sensibilitate determinatâ et quasi specificâ pollentium, *nervus* videtur *adjutorius*; quo fit, ut alter sine alterius auxilio nec odores, nec lucem, nec sonos legitime percipere queat (1).

III. Quo ad functionem N. trigemini gustatoriam, hac de re non omnes consentire videntur auctores; fuerunt enim, qui putarent, linguam a ramo linguali tantummodo accipere sensibilitatem generalem, neutiquam vero sapores discernendi facultatem: Magendie autem ramum lingualem *gustui praeësse* declaravit, quamque etiam opinionem inter veteres Galenus, inter recentiores Richerand, Fodera, Mayo (2), Hildebrandt (3), Desmoulins aliique amplexi sunt, quaeque et nobis videtur praeferenda.

Dicta Magendii sententia huic nititur experimento (4); viderat enim, secto ramo linguali, lin-

(1) In *Talpis* nervus opticus capilli instar tenuissimus est, magnus et evolutus ramus opthalmicus, qui simul cum N. optico retinam praecipue formare videtur. In *Proteo Anguino* tantummodo ramus opthalmicus oculum petit, desunt opticus, oculi motorius, trochlearis et abducens; ramus itaque nervi trigemini hic sufficere videtur ad tenebras a luce distinguendas. Cfr. Treviranus, *Vermischte Schriften*, T. I, p. 139 sq.

(2) Cfr. P. W. Lünd, l. c. p. 315 sq. Magendie, l. c. Tom. III. N°. 4, p. 355.

(3) Cfr. F. Hildebrandt, l. c. Tom. III, § 1767.

(4) Cfr. Magendie, *Précis Elément. de Physiol.* Tom. I, p. 143 sq.

linguam tamen legitimam retinere mobilitatem, sapores autem linguâ non amplius percipi; aliqua tamen sapores discernendi facultas remanserat in palato, gingivis atque in superficie *genarum* interna; quae vero etiam deleta observabatur in his partibus, ita quidem, ut neque materiâ acri neque causticâ amplius adficerentur, si N. trigemini truncus ipse dissectus fuisset. Monet autem Doct. Lünd (1), ex hocce experimento tantum patere, partium sensibilitatem vel remansisse vel deletam fuisse, neutiquam vero aliquid constitisse de gustus praesentiâ vel defectu, quoniam scilicet Magendie tales exhibuerat substantias, quae praecipue in linguae aliarumque partium sensibilitatem generalem agunt.

Ast vero hic eandem, ac in capite de *nervo olfactorio* vidimus, offendimus difficultatem, eligendi scilicet tales substantias, quae tantum agunt in gustum, non vero in sensibilitatem linguae generalem: has tamen vix, ac ne vix quidem, dari, unicuique facile patebit, qua propter etiam hic quaestionem de sensibilitate rami lingualis gustatoria experimentis solutam iri, haudquaquam sperandum est.

§ 10.

(1) Cfr. P. W. Lünd, l. c. p. 216.

§ 10.

Quae cum ita sint, videamus, num alia, quam experimentorum ratione functionem rami lingualis indicare valeamus. Linguam praecipue gustus organon constituere nemo sane negabit, linguaeque sapores discernendi facultatem unice efficaciae nervorum tribuendam esse, omnes libenter concedent; quae si vera sint, nobis tantum est inquirendum, *a quonam* linguae *nervo* illa sapores discernendi facultas dependeat: haec itaque quaestio jam examini est subjicienda.

Si ad compagem nerveam organi gustatorii attendamus, animadvertimus, illud organon, in utroque ejus latere, tres diversos accipere nervos, quorum primus *hypoglossi*, alter *glosso-pharyngei*, tertius vero *lingualis* nomine venire solent.

Nervus hypoglossus et glosso-pharyngeus linguam movent (1), licet nonnulli auctores huic nervo actionem mixtam tribuant (2), ramus e contrario lingualis eximie sensilis deprehenditur; novimus enim, irritationem nervi hypoglossi tantum motus linguae convulsivos excitare, irritationem vero nervi glosso-pharyngei contractiones mus-

(1) Cfr. Mayo apud Magendie, l. c. Tom. III, N°. 4, p. 355, F. Hildebrandt, l. c. Tom. III, § 1767. Magendie, *Précis Elem. de Physiol.* Tom. I, p. 216.

(2) Cfr. Clar. G. Bakker, l. c. Tom. II, p. 106.

musculares producere musculi ſtylo-glossi et pharyngis ſuperioris, irritationem autem rami lingualis dolores vehementes excitare (1); ſequitur inde, ſapores distinguendi facultatem prorſus non pendere a nervo hypoglosſo, tanquam nervo tantum linguae motorio, atque hoc quoque munus nervo glosſo-pharyngeo non competere, admodum probabile est: *pisces* enim, *ſerpentes* et *Batrachii* nervo hypo-glosſo et glosſo-pharyngeo, *aves* nervo hypo-glosſo destituuntur, teste Desmoulins (2), quodque optime convenit cum horum animalium minori linguae mobilitate (3).

Hinc itaque, ſi de nervi glosſo-pharyngei ſenſibilitate constet, atque hic nervus in homine aliquid ad ſenſibilitatem linguae gustatoriam conferre queat, *nervus* habeatur *adjutorius*, cujus ope conſenſus formatur linguam inter interque pharyngem, ſed ramus lingualis, cui praecipuam gustûs partem incumbere ſequitur, jure merito *nervus* dicitur *gustatorius*.

Denique nihil obſtat, quo minus huic etiam ramo functionem gustatoriam tribuamus; nullus enim in lingua datur nervus proprius, quem in oculo, aure et naribus offendimus, ideoque quaſi ſponte con-

(1) P. W. Lünd, l. c. p. 316.

(2) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. II, p. 463 et 472.

(3) Cfr. Richerand, *Physiologie*, Tom. II. § 127, *du Goute* (Editio nona).

conducimur ad gustum ramo linguali impertiendum, quoniam nervus hypoglosſus per ſe huic functioni inſervire nequit, atque glosſo-pharyngeus, ſi conſtiterit de ejus ſenſibilitate gustatoria, certe *pro parte* tantum ad gustum contribuit.

„ At," dicat quis," ſi vera esſet haec rami „ lingualis ſapores discernendi utilitas, etiam *alii* „ quinti paris rami, uti infra-orbitales caeteri„ que, tanquam ex eodem atque communi fonte „ provenientes, ſapores percipere deberent, ubi „ ſubſtantiae quaedam hisce ramis imponebantur, „ quae tamen iis non gustum referunt, ſed tan„ tum dolores excitant."

Verum enim vero, ſi attendamus, quantum variarum partium natura atque functiones mutentur, postquam in organorum fabrica, ad quae pertinent, ſeſe inſinuarunt, objectio illa facile refutatur; etenim mira datur functionum diverſitas earumdem arteriarum in variis organis ſecernentibus obvia: quantum et diſcrimen non invenitur inter ſenſibilitatem brachii aliarumque corporis *partium* interque digitorum ſenſibilitatem tactus, ab ejusdem naturae nervis, e plexu brachiali ortis, productam, quaeque ſenſibilitas tactus tam incredibilem ſubtilitatem in digitis accipere potest, ut tactûs organon viſûs locum occupare posſe, aliquando ſit obſervatum; etenim non deſunt exempla hominum, coecitate laborantium, qui tamen, *digitorum ope*, varios colores accurate distinguere po-

potuerunt. Hisce addatur, quod etiam in omnibus nervi trigemini ramulis non eadem prorſus deprehendatur utilitas; alia enim incumbit ramo lacrymali, glandulam ejusdem nominis petenti, alia ramis aliis functio; quid mirum itaque, ramum lingualem in organo, gustui destinato, talem acquirere ſenſibilitatis ſubtilitatem, qualis requiritur ad ſapores rite distinguendos.

Itaque nervus lingualis merito habeatur *gustatorius*; attamen neutiquam negamus, etiam alios nervi trigemini ramulos, palatum, uvulam aliasque oris partes petentes, ſua poſſe conferre ad gustus perfectionem.

Hanc quoque rami lingualis utilitatem Anatome comparata ulterius illustrat; in avibus, v. c. *Palmipedibus* et *Scolopacibus nervi* linguales valde evoluti ſunt, atque in hisce animalibus etiam ſubtiliorem gustûs ſenſum prae ceteris obſervamus (1): quo ad Anatomiam pathologicam novimus quoque, deficiente linguâ, etiam N. lingualem omnino deficere (2).

Hujus denique rami lingualis functionis gustatoriae veritatem extra omne dubium poſuit egregia illa obſervatio pathologica de homine quodam, qui omnia devorabat, nullâ habitâ ratione ſub-

(1) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. II. 708.

(2) Cfr. Cl. G. Vrolik, *Nieuwe Verhandelingen van het Instituut*, 1ſte Deel.

ſubſtantiarum indolis, cuique omnis deërat guſtus. Poſt mortem autopſia cadaveris docuit, utrumque ramum lingualem plane linguae deësſe, neque et hujus nervi veſtigia inveniri in palato aliisque oris locis; linguae tantummodo erat nervi hypoglosſus et glosſo-pharyngeus, ramo linguali ad occiput reflexo.

Hinc itaque ſequitur, ramum lingualem unice *linguae nervum* ſiſtere *guſtatorium*, inque eo ſenſibilitatem generalem cum guſtatoriâ conjunctam esſe atque confuſam.

§ 11.

IV. Aliam denique, a ceteris longe diverſam functionem praeſtare videtur nervus trigeminus, quâ ſcilicet partium conſervationi praeëst, earumque nutritionem moderat (1), in oculo, linguâ et gingivis vere conſpicuam; etenim, ſecto nervo trigemino, partes memoratae corrumpuntur et degenerantur, glandula lacrymalis non amplius lacrymas ſecernit, palpebrarum nictatio periodica ces-

(1) Haec autem efficacia in partium nutritionem non unice tribuimus N. quinto, verum etiam quam maxime a ramulis nervi ſympathici organorum ſenſualium nutritio et conſervatio pendent. Cfr. *Zeitſchrift für Phyſiol. II. Band, 2 Heft,* p. 237 ſqq.

cessat (1), quae omnia in statu naturali adeo conspirant, ad totius organi machinam illibatam servandam. Singulare tamen est, hujus nutritionis perturbationem eo *graviorem* esse atque eo *citius* in conspectum venire, quo magis sectio nervi trigemini in ejus parte *antica*, ideoque quo magis ab origine nervi remota, instituatur.

Hanc denique nervi trigemini utilitatem in partium nutritionem comprobavit observatio pathologica, a Doct. Serres communicata (2), epileptici scilicet cujusdam, opthalmiâ lateris dextri laborantis, sensim sensimque in pejus ruente; cornea opaca fiebat atque omnis tandem periit videndi facultas, dein sensus reliqui deperdebantur; oculus, palpebrae, narium et linguae pars dextra prorsus insensiles erant, functionibus lateris sinistri plane integris: hisce accessit adfectio scorbutica gingivarum, auris dextrae surditas, atque dentium elapsus. Sectio cadaveris docuit, ganglion nervi trigemini tumidum, decolor, ipsumque nervum

(1) Haec autem nictatio impedita non pendet a musculorum palpebrarum paralysi, sed a defectu earum ipsiusque oculi sensibilitatis, quae adeo requiri videtur, ut motus memorati instituantur; luce enim fortiori solari in oculum immissâ, palpebrae claudebantur. Cfr. Magendie, *Précis Elem. de Phys.* Tom. I. p. 309.

(2) Cfr. *Bulletin des Sciences Medic.* n° 1, *Janvier*, 1825, p. 30. Cfr. Magendie, *Journ.* Tom. IV, n°. 3. p. 302, ibidem, Tom. V, n°. 3, p. 333.

vum, per totum ejus decursum, ad commisfuram magnam (pontem Varolii) usque in masfam gelatinosam commutatum: filamenta autem portionis minoris omnia sana deprehendebantur, salva quoque per vitam omnis manducationis functione.

Vidimus itaque, portionem minorem nervum esse motorium, à portione majori vere diversum; portionem autem majorem faciei fontem exhibere sensibilitatis generalis, nec non olfactûs, visûs et auditûs nervum esse adjutorium, atque praeterea nutritioni partium inservire, ejusque ramum lingualem exhibere nervum linguae vere gustatorium.

CAPUT III.

DE NERVO FACIALI.

---

§ 1.

Duo imprimis nervorum paria faciem petunt, quorum alterum, five quintum par, tanquam *nervum faciei fentientem* ex dictis jam agnovimus; nunc itaque inquirendum est in alterius, five *nervi facialis*, naturam, quam Bell primus egregie demonftravit, cujusque auctoris experimenta fequentibus funt indaganda (1).

I. In Afino, compresfis manuum ope narium alis, per aliquod temporis fpatium nares claudebantur; impedimento autem hoc dein fublato et in-

(1) Cfr. Ch. Bell, l. c. p. 398. Idem apud Magendie, l. c. Tom. II, N°. 1, p. 66 fqq. Ch. Bell, *expofitions du fystème naturel des nerfs*, p. 62 fqq. A. Numan, *Vee-Artfenijkundig Magazijn*, Vol. I, Parte 3, p. 338—341.

insequente profunda inspiratione, narium alae valde commovebantur, vicissim scilicet dilatabantur et contrahebantur: secuit nunc Bell unius lateris nervum facialem et protinus hujus lateris omnes alae nasi *motus respiratorii* cessarunt, continuo sese movente altera nasi ala. Sectionem nervi facialis nulla doloris signa comitabantur et animal post operationem facile alimentum adsumere et edere potuit.

II. Emisit porro ex Asino tantam sanguinis copiam, ut hac ratione interficeretur animal; quum autem Asinus versabatur in agone mortis, durante quo musculi faciei tam activi conspiciuntur et quasi convulsive moventur, ad respirationem difficilem et labefactatam adjuvandam, secuit Bell in uno latere nervum facialem, et statim hujus faciei lateris omnes musculi paralysi adficiebantur, quum e contra in latere, cujus nervus facialis illaesus erat, fortius etiam commovebantur musculi.

III. Secto in Asino unius lateris nervo faciali, naso lateris illaesi Bell admovit Carbonatem ammoniae, et motus faciei musculorum observavit, quales, instante sternutatione, conspiciuntur, uti retractionem alae nasi totiusque hujus *lateris faciei*; in latere vero, ubi nervus dissectus erat, naso etiam admovebatur Carbonas ammoniae, sed, licet nervus trigeminus esset integer, nullos hujusmodi motus observavit Auctor.

IV.

IV. In *Simia* secto nervo faciali unius tantum lateris, statim hujus lateris mobilitas illa deleta erat, quâ suos animi adfectus tam egregie exprimere valebat, simulque palpebrae et supercilia paralysi adficiebantur, neque palpebrae, licet manus quam citissime oculo admoverentur, amplius claudebantur; et, quum ad iram incitata, Simia dentes monstrare conabatur, labium lateris, in quo nervus facialis dissectus erat, rite attollere non potuit, sed hoc passive in latus oppositum trahebatur.

V. In *Cercopitheco* instituit Bell sectionem nervi facialis in uno latere, quâ protinus omnis hujus lateris mobilitas ita cessavit, ut iratum animal dentes monstrare non potuerit in latere adfecto, sed labium in latus oppositum atque sanum traheretur.

VI. In *Cane Venetico* secto unius lateris nervo faciali, animal incitabatur ad impetum faciendum in canem adversarium; huic scopo quidem satisfecit, sed omnis mobilitas faciei hujus lateris, quâ irae aliorumque adfectuum indicia canes tam conspicuae denuntiare solent, penitus erat exstincta („là face fuit privée de toute expression."). Quum vero adversarium suum dentibus aggredi conabatur, labium lateris, in quo nervus facialis dissectus erat, attollere non potuit, sed hoc in latus oppositum trahebatur, quum vero illaesa altera faciei pars conditione naturali gaudebat; haec in utra-

utraque faciei parte tam evidens diversitas ridiculum sane obtulit adspectum.

§ 2.

Haecce Bellii experimenta ulterius prosecutus est, eorumque veritati suum adjecit calculum vir ornatissimus Schöps, cujus experimenta sequentibus jam nobis enarranda sunt (1).

I. In Fele Schöps sibi proposuerat dissecare nervum facialem lateris dextri, prope nervi exitum e foramine stylo-mastoideo; attamen propter motus vehementiores, quos instituebat animal ad vincula, quibus detinebatur, solvenda, propterque conamina ad effugiendum, satius putabat auctor, solummodo in illum nervi facialis ramum inquirere, qui, e glandulâ parotide proveniens, sese per faciem dispergit: sectio hujus nervi *dolores produxit*, simulque palpebrarum hujus lateris paralysin. Os et nares, manuum ope, claudebantur ad respirationem per aliquod tempus impediendam, ut dein hac ratione inspirationes profundiores instituerentur; remoto nunc obstaculo, os atque nares comprimente, ea, quae viderat Bell, etiam Schöps observavit; ala nasi scilicet ut et labia sinistra motus instituebant, qui pectoris expansioni et contrac-

(1) Cfr. Meckel, *Archiv für Anatomie und Physiolo*. 1827, N°. 3, p. 406.

tractioni respondebant, quales vero in latere faciei dextro haudquaquam conspiciebantur.

Auris quidem dextra mobilitatem servaverat, sed monendum, unum modo nervi facialis ramum, eumque anteriorem, fuisse dissectum: non mirum itaque, salvo ramo nervi facialis, qui ad aurem abit, etiam incolumem mansisse auris dextrae mobilitatem.

II. In Cuniculo quatuor hebdomadum secuit Schöps nervum facialem dextrum, prope ejus exitum e foramine stylo-mastoideo; *nulla* evidentia ex nervi sectione oborta sunt *dolorum* vel *sensibilitatis indicia:* labium dextrum nullos motus respiratorios instituere valebat, ast optime quidem labium sinistrum. Motus autem labiorum, quo ad pabulum excipiendum, rite instituebantur (1). Palpebrae oculi sinistri subito claudebantur, simul ac manus huic oculo admoverentur, vix, ac ne vix quidem, palpebrae oculi dextri; auris quoque dextra omnem amisit mobilitatem, illaesa tamen per omnem hujus lateris faciem sensibilitate.

III. In Cuniculo, secto lateris dextri ramo infra-orbitali, protinus deleta observabatur hujus lateris

(1) Dextri autem labii mobilitatis, quae remansit post sectionem sinistri tantum nervi facialis, causam pendere supra jam vidimus a nervi facialis integritate lateris oppositi, minime vero ab efficaciâ rami infra-orbitalis motoriâ. Cfr. supra, Cap. II, § 5.

tis sensibilitas, integrâ tamen mobilitate; lateris e contra sinistri secto nervo faciali, hujus lateris remansit sensibilitas, sed omnis periit partium motus.

Hisce addantur experimenta, quae ipse institui: in plurimis nimirum animalibus, de quibus infra sermo erit (1), ingestâ nuce vomicâ, vehementissimas provocavi totius corporis convulsiones; secto jam in hisce animalibus tum uno tantum nervo faciali, tum utroque simul, ea, quae observaverant Bell et Schöps, vera atque manifeste comprobata habui: etenim subito post nervorum facialium sectionem musculi faciei immobiles et quieti conspiciebantur ad mortem usque, violenter commotis reliquis musculis.

De dolore autem, sectione hujus nervi producto, ex hisce experimentis nihil certi constitit, propter tam gravem horum animalium systematis nervosi adfectionem.

§ 3.

Ex iis itaque, quae attulimus, luce clarius apparet, nervum facialem faciei motui praeesse; difficilior autem est quaestio, utrum huic nervo etiam facultas partium sensibilitatem promovendi sit tribuenda, nec ne: Bell enim nervum facialem insensilem declarat in *Asino* (2), quod etiam Schöps

(1) Cfr. Cap. V, § 6, 7, 8.

(2) Cfr. supra, § 1. Experiment. I.

Schöps in cuniculo expertus est (1), ast hic vero sectionem nervi facialis in *Fele* valde dolorificam testatur (2).

Haec autem experimenta a Fodera (3) et Magendie (4), repetita sunt, eo cum effectu, ut nervum facialem *omnino sensilem* declaraverint, quoniam animalia sub sectione clamabant; hanc autem nervi facialis sensibilitatem in aliis animalibus obtusiorem, in aliis vero acutiorem proposuit Magendie, nec non dolores, sectione nervi facialis productos, multo mitiores esse testatur iis, qui sectionem aut irritationem nervi trigemini insequuntur: hinc itaque concludit, nervi facialis sensibilitatem in omnibus animalium speciebus forsitan *non eandem* esse, ideoque Bell inquisivisse in animalia, quorum nervus facialis mitiori gaudebat sensibilitate.

Hanc quoque litem de nervi facialis sensibilitate solvere conatus est Mayo (5), statuens, nervum facialem aliosque nervos motorios pollere sensibilitate leviori, cui nomen „ *muscular sensation* " tribuit, quam tamen in Asino parcam, et vix ul-

(1) Cfr. supra, § 2. Experiment. II.

(2) Cfr supra, l. c. Experiment. I.

(3) Cfr. Eschricht, in Dissert. *de quinto et septimo pare*, p. 35. Cfr. Magendie, l. c. Tom. III, N°. 3, p. 204.

(4) Cfr. Magendie, l. c. Tom. II, N°. 1, p. 67, ibique in Nota.

(5) Cfr. *Anat. et Physiol. Comment.* N°. 2, *Julii*, 1823, p. 4.

ullam credidit, insignem vero se observasse testatur in Equo, Cane, Fele, aliisque.

Hic itaque in labyrintho quasi versabamur, prouti scilicet observationes sese invicem infirmant, atque hypothesis de nervi facialis sensibilitate musculari („ *muscular sensation* ") non tanti videtur momenti, ut huic, tanquam stabili fundamento, exstruatur *certa* conclusio: auctorum itaque experimenta repetere mihi fuit propositum, ut hac ratione indicaretur, cuinam sententiae calculus esset adjiciendus.

Huic igitur scopo duas elegi Feles juniores totidemque canes, quorum nervos faciales denudavi et prudenter, intactis aliis partibus, dissecui; hanc tamen sectionem evidentia dolorum signa secuta sunt, ita ut de nervi facialis sensibilitate fere constare mihi videretur. Hanc autem nervi facialis naturam saepius in animo volventi, simulque ad hujus nervi originem, ex anteriori scilicet medullae oblongatae parte provenientis (1), *respicienti*, nec non experimenta, praecedenti capite *jam* exposita, in mentem revocanti, non potuit non, quin nervi facialis sensibilitas magis magisque dubia mihi redderetur; etenim, secto ramo infra-orbitali vel ipso nervo trigemino, omnis faciei *sensibilitas* ita deleta erat, ut punctâ, vellicatâ vel aliâ quacunque ratione laesâ aliquâ faciei parte, nulla inde sen-

(1) Cfr. Cl. G. Bakker, l. c. Tom. II, p. 111.

sensibilitatis exsurgeret notio, quum tamen, si *per se* nervus facialis revera gauderet sensibilitate, etiam dolorum signa leviora inde oborta fuisse debuissent: quum itaque tractatum egregium Meckelii de nervo trigemino evolvens attendissem ad innumeram, quam ineunt nervus trigeminus et facialis, anastomosin (1), non prorsus improbabilis mihi visa est sententia, nervi facialis sensibilitatem omnem posse oriri a nervi trigemini ramulis, anastomosin cum ramulis nervi facialis ineuntibus.

Ut itaque hujus conjecturae veritatem dignoscerem, in tribus canibus, secto ramo infra-orbitali lateris dextri, ejusdem lateris ramos majores nervi facialis, forcipe compressos, dissecui; hanc autem compressionem et sectionem nulla, ne levissima quidem, dolorum vel sensibilitatis signa insecuta sunt: econtrario sectio nervi facialis in latere sinistro, illaeso ramo infra-orbitali, sensibilitatem nervi facialis luculenter demonstravit. Hinc igitur nervi facialis sensibilitatem unice efficacia rami infra-orbitalis oriri, mihi certo certius constitit.

Ast! quantum percepi gaudium, quum mihi ad manus venisset egregia ista doctissimi Eschricht Dissertatio, in qua evidenti modo non solum ea, quae

(1) Cfr. Meckel, in Dissert. *de quinto pare nervorum*, p. 122.

quae ipse observaveram, comprobantur, sed omnem litem ita compositam invenimus, ut ne minima quidem remanserit difficultas; hujus itaque scriptoris experimenta sequenti paragrapho enarrabimus (1).

§ 4.

I. In cuniculo Eschricht denudavit nervum facialem lateris sinistri, qui, cultro attactus et vellicatus, dolorum signa et convulsiones musculorum faciei produxit.

II. Aperto cuniculi cranio, et sublatâ parte aliquâ hemisphaerii cerebralis sinistri, nervus trigeminus in conspectum venit, durâ meninge tectum, quem sub dolorum acerrimorum indiciis disfecuit; oculus hujus lateris inanimus et quasi emortuus videbatur, omnique splendore et sensibilitate orbatus, quae omnia tamen in altero oculo integra remanserant: nervus facialis in latere sinistro vellicatus est, atque spasmi labiorum semper insequebantur, saepius etiam corporis agitationes ut et capitis ad latus laesum inclinatio.

Putavit nunc vir doctissimus signa doloris, quae remanserant, oriri a nervo trigemino non plane dissecto, quam ob rem aliarum faciei partium sensibi-

(1) Cfr. Eschricht, l. c. p. 42. Idem apud Magendie, l. c. Tom. VI, N°. 3, p. 253.

sibilitatem exploravit, sed totum faciei latus sinistrum, licet violenti ratione laesum, nullam sensibilitatis speciem prae se tulit; emortuo autem cuniculo, ex cadaveris sectione patuit, nervum trigeminum prorsus fuisse dissectum. Ex hisce quum sequi *videretur*, nervum facialem etiam *per se* gaudere sensibilitate generali, examini rem denuo subjecit.

III. Aperto cranio, et secto nervo trigemino sinistro, magis posteriora versus, quam in experimento antecedenti, nulla amplius hujus lateris faciei ut et oculi aderat sensibilitas. Oculus tamen non tam conspicue omnem suum amiserat splendorem, quam in praecedenti experimento: vellicabatur imo forcipe comprimebatur nervus facialis lateris sinistri, convulsiones inde productae minus erant vehementes, neque unquam ulla doloris signa oborta sunt. In dextro latere, in quo nervus trigeminus erat integer, itidem forcipe comprimebatur nervus facialis, quam laesionem manifesta doloris indicia sequebantur.

IV. Porro in cuniculo secuit nervum trigeminum sinistrum, denudavit nervum facialem dextrum; vellicato nervo faciali dextro, acerrimi dolores oboriebantur: nervi facialis sinistri partem anteriorem irritavit, sequebantur spasmi alae nasi atque labiorum, sed nullum, ne minimum quidem, doloris indicium inde conspiciebatur. Irritatâ vero hujus nervi parte posteriori, corporis sequebantur agitationes. Ex

his itaque patuit, partem nervi facialis anteriorem propter nervi trigemini sectionem fuisse insensilem, partem vero posteriorem suam conservasse sensibilitatem: haec autem sensibilitas incipiebat eo in loco, quo meatus auditorius externus conspicitur.

V. Cuniculi secto nervo trigemino sinistro, sensibilitas hujus lateris faciei erat deleta; detractio cutis ad nervum facialem denudandum haud dolorifica observabatur, sed ubi culter prope aurem cutim attigisset, animal dolores notabiles percepit; nervus vero facialis dexter denudabatur sub vehementi corporis agitatione, clamoribus stipata. Vellicatâ nervi facialis sinistri parte anticâ, nulla sequebantur dolorum signa. Punctâ vero nervi facialis parte sub meatu auditorio externo, ubi etiam cutis sensibilitas non omnis erat exstincta, evidentia doloris signa observabantur, leviora tamen iis, quae nervi facialis dextri vellicationem sequebantur.

§ 5.

Conclusio.

Hisce omnibus itaque rite indagatis, nervi facialis functionem atque proprietates luculenter habemus expositas; vidimus enim:

I. Nervo faciali, integrâ ejus cum aliis nervis sen-

ſentientibus anastomoſi, veram eſſe ſenſibilitatem eamque haud obtuſam.

II. Sectionem nervi trigemini delere ſenſibilitatem illorum ramorum nervi facialis, qui ante meatum auditorium externum inveniuntur atque partem faciei anticam petunt.

III. Secto licet nervo trigemino, ramos nervi facialis, qui post meatum auditorium discedunt, retinere ſenſibilitatem. Haec autem ſenſibilitas partis nervi facialis posterioris tribuenda videtur ramulis nervorum cervicalium ſuperiorum, non ſecus ac ſenſibilitas nervi facialis in parte antica dependet a nervo trigemino. — Ideoque

IV. Nervum facialem *per ſe inſenſilem* ſtatuimus eumque omnem ſenſibilitatem accipere a nervo trigemino et primis cervicalibus (1).

Nullum quoque amplius remanet dubium, quin nervum facialem *nervum faciei motorium* declaremus, imprimis quoniam ea, quae experimenta docuerunt, anatome comparatâ ulterius comprobantur; pisces enim atque aves, qui faciem immobilem gerunt, quorumque animi pathemata in facie non exprimuntur, nervo faciali etiam destituti ſunt (2).

Excipiantur tantummodo *ſtriges*, uti *Strix bubo*, *Strix flammea* aliaeque, quae revera nervo faciali gau-

(1) Cfr. Eschricht, l. c. p. 49. P. W. Lünd, l, c. p. 242 ſqq. Magendie, l. c. p. 253—259.

(2) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. II, p 700 et 760. Bell, l. c. p. 393.

gauderit: monendum tamen, haec animalia aure externa mobili esse instructa, cujus musculos petit eorumque motui praeëst nervus facialis (1).

Novimus, quoque, proboscidem elephantis, tanquam organon tactui inserviens et simul egregie motorium, ramos insignes accipere, tum a nervo trigemino, tum a nervo faciali provenientes (2); Nec non mystaces *Lutrae marinae*, *Phocae* aliorumque animalium non solum tactui inservire, sed et simul moveri, atque unicuique indaganti etiam patebit, tot ramulos nervi facialis vibrissarum bulbos petere una cum ramulis, a nervo trigemino provenientibus, quot bulbi inveniuntur (3).

Ex hac denique nervi facialis functione movendi omnis exsurgit explicatio, quare, post inflammationem glandularum maxillarium et inde productam compressionem in nervum facialem, tam frequenter paralysis musculorum faciei oboriatur.

Hanc tamen nervi facialis actionem movendi ita intelligendam putamus, ut omnes quoscunque faciei motus, sive respiratorios, sive eos, *quibus* animi pathemata exprimuntur, aliosque plures huic nervo tribuamus; quanta enim conamina saepe

mus,

(1) Cfr. Desmoulins, l. c. p. 706.

(2) Cfr. Bell, l. c. p. 397 et 402.

(3) Cfr. Bell, *Exposition du système naturel des nerfs*, p. 55, in Nota. Hujus argumenti egregia inveniuntur praeparata *Lutrae marinae* et *Phocae vitulinae* in splendidissimo musaeo viri clarissimi G. Vrolik.

musculi faciei instituant in pleuritide graviori; peripneumonia, vel aliâ quacunque organorum thoracicorum laesione, ut et in ipso mortis agone ad respirationem labefactatam et fere impeditam hac ratione coadjuvandam? memorat nempe Desmoulins (1) observationem feminae cujusdam, destructione nervi facialis in uno latere laborantis; in qua scilicet, quum in agone mortis versabatur, horridae convulsiones observabantur in latere faciei sano, quum e contra in faciei latere, cujus nervus destructus erat, ne levissimus quidem motus conspiciebatur. In cuniculis quoque morientibus protinus tollebantur faciei convulsiones, simul ac nervus fuerat dissectus.

Monendum vero, hujus nervi efficaciam non prorsus voluntati subjectam esse, sed etiam nonnunquam involuntaria ratione posse exseri, prouti scilicet iidem labiorum nariumque motus respiratorii observentur durante somno profundo et in hominibus apoplexiâ correptis.

Quo ad motus faciei, quibus animi adfectus exprimuntur, nihil quoque obstat, quo minus et hos a nervo faciali perfici statuamus; etenim abunde notum est, omnia animalia, quae, prae caeteris, animi pathemata in facie ostendere solent, eo pluribus nervi facialis ramulis gaudere, simulque multiplicem secum invicem subire anastomosin, quo fit, ut evidentius

vul-

(1) Cfr. Desmoulins, l. c. p. 761 sq.

vultum mutare valeant: exemplo nobis sint *Simiae*; nulla sane animalia tam proxime homini accedunt, tum convenientiâ fabricae ipsius faciei, tum et alacritate physiognomica, sed et nulla quoque dantur animalia, quae homini tam proxime accedunt, quoad ramorum nervi facialis copiam innumeramque eorum anastomosin, quam Simiae. Hinc igitur nervi facialis sectio in simia efficit, ut nulla amplius pathemata in facie exprimantur, relictâ licet totius faciei sensibilitate: hinc quoque in *Camelo*, *Equo*, *Elephante* aliisque labia majorem copiam ramorum, a nervo faciali provenientium, habent, quoniam labiis non solum appetitui atque siti fiat satis, sed praeterea haec animalia labiis et amorem et terrorem et iram indicare soleant (1).

Quis porro ignoret, quantum facies, quantum oculi mutentur, quantum labia moveantur, si canis quempiam, per longum jam temporis spatium absentem, iterum gratetur reducem, quae omnia adfectuum signa mox evanescunt post *nervi facialis* sectionem; hinc in cane hilari, secto unius lateris nervo faciali, omnia hujus lateris gaudii signa exstinguuntur (2): hinc denique in cane pugnante, post nervi facialis sectionem, nulla aderit labiorum contractio, neque et aures posteriora versus trahen-

(1) Cfr. Desmoulins, l. c. p. 764 sq.
(2) Cfr. Bell, l. c. p. 400.

hentur; eodem licet cum furore in hostem irruere observetur (1). Talia quoque phaenomena in felibus conspiciuntur; in quibus tamen et illud singulare est, quod post sectionem nervi facialis simul ista facultas deleatur, sonum illum peculiarem edendi, quem deterriti aut prosecuti edere solent.

Nec minus cum hisce convenit Bellii illa observatio de duobus aegris, quorum alteri, inter operandum, ramum nervi facialis disfecuit, qui abit ad angulum oris, quo facto labia sibilandi facultatem amiserant; alter vero, ulcerationem ante aurem passus, facultatem amiserat ridendi, imo sub sternutatione hujus lateris faciei motus nullus observabatur (2).

Aves, uti jam supra monuimus, faciem immobilem gerentes, etiam in facie nervo movente destituuntur; dantur tamen quaedam species, quae nervo nostro motus gaudent, qui tamen in hisce ad regionem cervicalem descendit atque efficit, ut hoc in loco iram annuntiare valeant: hinc itaque *Phasianus gallus* (masculus), durante pugna, erectione plumarum cervicalium iram indicat; secto autem nervo faciali, plumae non amplius erigun- tur,

(1) Cfr. Bell, l. c. p. 401.

(2) Cfr. Bell, l. c. Plura alia exempla pathologica paralyseos musculorum faciei, adfectionem nervi facialis insecutae, refert J. Shaw apud Magendie, l. c. Tom. II, No. 2, p. 136.

tur, licet ipſe in pugna haudquaquam minorem ostendat ardorem (1).

Neque opus est verbis, quum hujus veritatis testimonia tam egregia inveniantur; unicuique enim, cui Carnivora, uti *Leones* aliaque, obſervandi fuit occaſio atque locus, innotuit, quam horrendum ſpectaculum, erectis jubis et capillis cervicalibus, haec animalia, prae caeteris ostendere posſint, neque amplius hanc rem mirabimur, ſi attendamus ad diverſam in carnivoris nervi facialis distributionem. In his ſcilicet rami nervi hujus valde inſignes descendunt in cervicem et collum, quales vero in aliis, v. c. ruminantibus, neutiquam inveniuntur.

Nervo itaque faciali, *per ſe* non ſenſibili, illud incumbere officium, ut omnes quoscunque faciei motus dirigat, ex praecedentibus concludere posſumus.

(1) Cfr. *Annales des ſciences Nat.* Tom. VIII, p. 252 ſqq. J. Shaw apud Magendie, l. c. Tom. *II*, Nr. *1*, p. 80 et 86.

CA-

CAPUT IV.

DE RADICIBUS NERVORUM SPINALIUM.

Magendii experimenta (1).

§ 1.

I. Celebris hicce naturae ſcrutator in canibus ſex hebdomadum, denudatâ medulla ſpinali, disſectâque durâ meninge, radices ſuperiores nervorum ſacralium et lumbarium forfice disſecuit, quo facto partes vicinae omnem amiſerant ſenſibilitatem.

II. Disſectis nervorum ſpinalium radicibus inferioribus eo in loco, quo duram meningem perforant, obſervavit partium vicinarum paralyſin muſculorumque relaxationem, ſalvâ tamen omni ſenſibilitate.

III.

(1) Cfr. Magendie, l. c. Tom. II, n°. 3, p. 276. n°. 4, p. 366. Meckel, *Deutſches Archiv*, 1823, p. 113 et 138 ſqq.

III. Disectis radicibus nervorum spinalium superioribus et inferioribus, omnes perierunt motus omnisque sensibilitas. Ejusmodi experimenta saepius a Magendio instituta sunt in variis animalium speciebus, atque observationes memoratas egregie comprobarunt non solum, verum etiam demonstrarunt, sectionis effectum prorsus eundem esse, sive haec in corporis parte antica, sive in postica fuerit instituta.

IV. Post ingestam Nucem Vomicam dissecuit Magendie radices nervorum spinalium superiores, et nihilominus tamen motus convulsivi nuce vomica producti aeque graves conspiciebantur in partibus sectioni vicinis, ac in omni alia corporis parte, imo eadem violentiâ observabantur, ac si nulla radicum sectio fuisset instituta.

Abscisis vero radicibus nervorum cruralium inferioribus in uno latere, pedis hujus lateris subito sequebatur quies, atque musculorum relaxatio, nullusque, ne levissimus quidem, motus in hocce pede amplius observabatur, reliquis licet corporis partibus gravissimis convulsionibus afflictis.

V. Irritationem radicum superiorum nervorum spinalium sequebantur evidentia doloris signa; dolores autem multo vehementiores percipiebantur, ubi locus ipsius medullae spinalis, ex quo radix ortum ducit, tangebatur, nec non hac radicum superiorum irritatione producebantur agitationes musculorum vicinorum convulsivae, quae imprimis

au-

augebantur, irritato ipsius medullae spinalis loco (1).

Irritatione radicum inferiorum instituta, fortiter et convulsive contrahebantur musculi adjacentes, vix autem doloris signa conspiciebantur; utraque radicum serie stimulo Galvanico tentata, musculorum contractiones provocabantur, quae tamen multo fortiores et perfectiores conspiciebantur, si stimulus Galvanicus radicibus inferioribus applicaretur.

* VI. In cane contumaci neque facile tractando (2), denudatâ medulla spinali in regione lumbari, dissecuit Magendie radices nervorum spina-

(1) Haud mirum est, post irritationem partium sensilium motûs indicia oboriri; etenim laesâ vel irritatâ aliquâ corporis parte, incitatio haec ad cerebrum defertur, unde doloris notio; quo fit, ut jussu voluntatis, vel etiam nonnunquam quasi involuntariâ ratione in actum ducantur partes non solum vicinae, verum etiam remotissimae, quales vero motus non amplius observantur, intercepta doloris ad cerebrum via; quotidiana nimirum docet observatio, pulvisculum in oculo illapsum palpebrarum excitare nictationes frequentissimas, non quoniam corpusculum heterogeneum nervi facialis ramulos stimulat, quos insensiles vidimus, neque ideo, quod quinti paris rami palpebras moveant, sed id circo, quod doloris notione ope *nervi sentientis* ad cerebrum delata, inde *N. facialis* instituatur reactio.

(2) Duo haecce experimenta per asterico insignita, ab Amico quodam acceperam, qui ipse Magendium vivisectiones instituentem observaverat, prolataque experimenta annotaverat. Duo ejusmodi experimenta sequenti quoque addidimus capiti, eaque tamen eodem signo notanda curavimus.

nalium superiores unius tantum lateris, cujus lateris extremitas posterior omnem suam amisit sensibilitatem, ita ut neque hujus punctio, neque scissura, neque ipsa cutis detractio, ullum dolorem produxerit; quum vero irritatâ quacunque aliâ corporis parte, canis sese fortiter defenderet, facultas movendi pedem insensilem integra remansit; sibi enim relictus canis motus instituebat solitos.

* VII. Dissectis in latere opposito ejusdem animalis radicibus inferioribus omnis hujus lateris pedis evanuit motus, paralytice nimirum pes dependebat et passive protrahebatur, integrâ tamen hujus pedis sensibilitate; punctâ nempe extremitate paralytica, valdequam irascebatur animal.

Huc quoque pertinet Bellii observatio (1): denudatâ scilicet medullâ spinali, remotaque durâ meninge, irritavit radices nervorum spinalium inferiores, quam irritationem sequebantur musculorum vicinorum motus convulsivi, quales vero non conspiciebantur post irritationem radicum superiorum.

§ 2.

Cum hisce Magendii Belliique *experimentis* pro

(1) Cfr. Ch. Bell, *Idea of a new anatomy of the brain*, 1809. P. W. Lünd, l. c. p. 295. Bell. *Exposition du système naturel des nerfs*, p. 17, sq. et p. 22 sq.

pro maxima parte ea conveniunt, quae Schöps instituisse legimus (1).

I. In Cuniculo, denudatâ medullâ spinali, in regione dorsali posteriori totaque lumbari praescindebantur radices superiores; hanc sectionem evidentia doloris signa insequebantur, quae autem multo graviora observabantur, tactâ ipsâ columnâ medullari.

II. Vellicatio et compressio radicum inferiorum doloris quoque signa atque contractiones musculorum gravissimas produxerunt. Post ultimam Cuniculi exspirationem, irritatis radicibus inferioribus, motus musculares adhuc excitari poterant, quum vero radices superiores nullam amplius irritationis perceptionem ostendebant.

III. In columba secuit Schöps, in regione sacrali et lumbari, radices superiores lateris dextri, lateris vero sinistri radices superiores et inferiores simul; hancce sectionem phaenomena sequebantur simillima iis, quae in duobus praecedentibus experimentis annotavimus.

Monet autem Schöps utramque extremitatem aliquem sensibilitatis gradum retinuisse, nec non in cauda integrum fuisse et motum et sensibilitatem (2).

§. 3.

(1) Cfr. Meckel, *Archiv für Anatomie und Physiologie*, 1827, n°. 3, p. 404 sqq.

(2) Nec mirum; radices enim nervorum, qui partem medul-

§ 3.

Vidimus itaque ex praecedentibus, omnia experimenta in eo convenire, quod radices nervorum ſuperiores ſenſibilitatem diffundant, inferiores *vero* motui inſerviant musculorum; remanet autem quaestio, utrum radices inferiores, praeter vim movendi, etiam polleant ſenſibilitate, quod imprimis Schöps ſuis experimentis docere videtur (1), an vero haec radicum inferiorum ſenſibilitas pendeat ab irritatione aliarum quoque partium. Posterior ſententia praeferenda videtur, quoniam imprimis obſervationibus pathologicis, infra memorandis, evictum habemus, et motum et ſenſibilitatem ſeparatim posſe deleri, quod certe obſervari non potuisſet, ſi utraque nervorum radix efficaciâ motus et ſimul ſenſibilitate pollerent.

Ut autem hujus rei veritas certior esſet, in cane et

dullae ſpinalis ultimam conſtituunt, disſecari non potuerunt, propter canalis ſacralis anguſtiam, propterque peculiarem horum nervorum directionem ſibi invicem ferme parallelam, unde facilis motus et ſenſibilitatis explicatio, qui in columbae caudâ erant relicti: quod autem attinet ad relictam in utroque pede aliquam ſenſibilitatem, eam oriri ab *imperfecta* radicum disſectione, admodum veroſimile est, imprimis quoniam auctor post mortem columbae ſe non certiorem reddidit de partibus disſectis, quae ſane ſectionis comparatio cum effectu operae quidem pretium fuisſet.

(1) Cfr. Supra § 2., Experiment. II.

et Cuniculo adultioribus experimenta repetere mecum constitui, atque Magendii experimenta egregio modo habui comprobata; irritatio nimirum radicum superiorum dolores vehementes, imo clamores excitavit: harum autem sectio sensibilitatis omnia phoenomena delevit, quod certe locum habere non potuisset, si radices anticae, adhucdum illaesae, etiam gauderent sensibilitate.

Post sectionem radicum superiorum irritatae imo compressae sunt radices inferiores, atque earum functio *unice movens* mihi egregie patuit; etenim musculi vicini vehementer convellebantur, clamores autem nullos, neque ulla doloris signa animalia dederunt, si modo caute atque omni cum prudentiâ evitarentur partes vicinae: cultello enim vel leviter attactâ parte laterali medullae spinalis seu radice sentiente viciná, vehementer clamabant animalia, inprimis canes. Evidenti igitur argumento, utramque radicem *diversas* agere partes, nec non sensibilitatem radicum inferiorum haud manifestam esse, sed unice pendere a partibus sensilibus simul irritatis.

§. 4.

Conclusio.

Ex dictis igitur patuit, utriusque radicis nervorum spinalium actionem vere distinctam esse, radices scilicet inferiores sive anticas vim moven-

tem producere, ſuperiores ſive posticas vero partibus concedere ſenſibilitatem.

Hancce quoque utriusque radicis functionem diverſam et ſeparatam egregie comprobarunt obſervationes plures pathologicae; etenim non *deſunt* aegrorum exempla, qui unius lateris ſenſibilitate deperdita laborabant, ſalvo tamen ejus lateris omni motu voluntario (1). Huc quoque pertinet caſus hominis cujusdam (2), qui, jam a prima juventute cyphoſi laborans, nulla inde evidentia expertus erat incommoda ad annum aetatis usque trigeſimum quartum; hoc autem tempore, lapſu ab alto in partem columnae vertebralis adfectam, amiſit facultatem movendi extremitates ſuperiores, quae rigidae et contortae obſervabantur, integrâ tamen omni harum partium ſenſibilitate.

Emortuo autem aegro, anno aetatis ſuae quadrageſimo quarto, ſectio cadaveris de medullâ ſpinali docuit,

1°. Medullam ſpinalem, a foramine *occipitali* magno ad nervum cervicalem quartum, ſanam.

2°. Medullae ſpinalis duas tertias partes inferiores in regione dorſali itidem ſanas.

3°. Inter hos vero terminos omnem medullam ſpi-

(1) Cfr. Bulletin *des annonces et nouvelles*, 1823, p. 209, *Journal Univerſel des Sciences Medicales*, Tom. 28, 189.

(2) Cfr. l. c. Tom. 27, p. 37. M. Rullier, apud Magendie, l. c. Tom. 3, n°. 2, p. 173 ſqq.

ſpinalem morboſe adfectam esſe, ad longitudinem ſex vel ſeptem pollicum; haec ſcilicet medullae ſpinalis pars adeo mollis erat et quaſi diffluens, ut dura meninx tantummodo humore videretur impleta: radices anticae nervorum, qui plexus brachiales efformabant, ligamentorum inſtar, erant commutatae, dum radices posticae materiâ medullari fibroſâ gaudebant, ex quarum naturali conditione extremitatum ſuperiorum intacta ſenſibilitas facile explicatur, ast vero harum paralyſis jure merito degeneratis radicibus anterioribus tribuenda videtur.

Huc quoque multum facit obſervatio, a Doct. Collard communicata (1); aeger ſcilicet quidam adeo extremitatum inferiorum paralyſi laborabat, integrâ tamen earum ſenſibilitate, ut per ſeptem annos illas movere non potuerit, ſedibus' quoque uti et urina ſimul involuntarie ſemper diffluentibus: post mortem obſervavit auctor, columnas medullae ſpinalis anticas nervorumque radices anticas degeneratas et emollitas, columnas autem atque radices posticas prorſus ſanas.

Neque minoris argumenti aeſtimetur Serreſii obſervatio de homine, completâ membrorum inferiorum atque veſicae urinariae paralyſi laborante, illaeſâ tamen eorum ſenſibilitate (2).

Post

(1) Cfr. M. Royer Collard apud Magendie, l. c. Tom. III, n°. 2. p. 157.

(2) Cfr. M. Royer, l. c. Tom. V, n°. 3, p. 254.

Post mortem patuit, radices nervorum ſpinalium ut et medullae columnas anticas in regione dorſali emollitas esſe, partemque durae meningis anticam omnino fungoſam.

Ex omnibus itaque his intelligimus, *radices* nervorum ſpinalium inferiores ſive anticas *moventes* esſe, non ſenſiles; radices ſuperiores ſive posticas vero *ſenſiles* esſe et non moventes (1).

Quod autem attinet ad ea, quae de radicibus nervorum ſpinalium potulit Bellingerius, hujus auctoris opinio talis mihi viſa est, ut certe ſeparato capite tractari mereatur; quum autem in definienda utriusque radicis functione praecipue quoque mentionem fecerit Bellingerius de ipſa medulla ſpinali, nec non ſcriptores, experimentorum habitâ ratione, haud ſecum invicem conveniant, videamus primo, quid de medullae ſpinalis functione cenſendum ſit, ut dein Bellingerii ſententiam de medulla ſpinali nervisque ex ea prodeuntibus examini ſubmittamus.

(1) Conferantur porro Viri Doct. Velpeau, *Obſervations ſur une maladie de la moëlle epinière, tendant à demontrer l'iſolement des fonctions des racines ſenſitives et motrices des nerfs.* apud Magendie, l. c. Tom. VI, n°. 2. p. . 138 *ſqq.*

CA-

CAPUT V.

DE COLUMNIS MEDULLAE SPINALIS.

---

§ 1.

Quemadmodum in describendâ Medullae spinalis fabricâ jam valde inter se discrepant scriptores, ita quoque de hujus organi functione non omnes prorsus conveniunt.

Quoad ejus fabricam, nostro quidem sufficit proposito, si ex mente Bichati (1), Gallii (2) nec non Laurenceti (3), Medullae spinali quatuor columnas, duas scilicet anticas sive abdominales, totidemque posticas sive dorsa-

(1) Cfr. *Anatomie descriptive*, Tom. III, p. 129.

(2) Cfr. *Anatomie du Cerveau*, Tom. I, p. 56 et 62.

(3) Laurencet sese semper, in hominibus adultis, quatuor columnas invenisse, testatur. Cfr. *Revue Medicale*, 1825, p. 364.

ſales tribuamus (1). Quoad cognitionem uſûs hujus Organi, hancce indeſeſſis Magendii imprimis Belliique laboribus acceptam referimus.

I. Etenim denudatâ a Magendio (2), medullâ ſpinali, et prudenter irritatis hujus *organi* columnis ſuperioribus, evidentia dolorum ſigna obſervabantur; columnae vero inferiores irritatae dolorum indicia vix ac ne vix quidem monſtrabant: hanc autem columnarum ſuperiorum ſenſibilitatem adeo exquiſitam testatur Magendie, ut pars medullae ſpinalis ſuperior, integumentis licet adhuc involuta, ne levisſime quidem tangi potuerit, quin gravisſimi inde oborirentur dolores.

* II. In Cuniculo acu irritavit noster Auctor medullae ſpinalis columnas ſuperiores in regione lumbari, atque clamoribus et contorſionibus dolores ſuos gravisſimos indicavit animal: acu autem irritatis columnis inferioribus, nulla obſervabantur dolorum vel ſenſibilitatis ſigna, ſed quidem musculorum contractiones.

* III. Jam in Cuniculo denudavit partem medullae ſpinalis cervicalem, atque eadem ratione, quâ in praecedenti experimento, inquiſivit in columnas ſuperiores et inferiores eodem cum eventu.

Hu-

(1) Monendum, nos columnas medullae ſpinalis *anticas* et *posticas* denominasſe, quoties de homine, *inferiores* et *superiores* vero, quoties de animalibus ſermonem inſtituimus.

(2) Cfr. Magendie, l. c. Tom. III, N°. 2, p. 153.

Hujus loci quoque est Bellii obſervatio (1); hic enim irritatione columnarum ſuperiorum dolores excitavit gravisſimos, nullos autem dolores productos vidit irritatione columnarum inferiorum

Exinde itaque Bell et Magendie concluſerunt, eandem utilitatem praeſtare utramque medullae ſpinalis partem, ac de radicibus nervorum praecedenti capite obſervavimus, ſcilicet columnas inferiores motui inſervire, ſuperiores vero praeëſſe ſenſibilitati.

Haec autem experimenta ulteriori ſubmiſit examini vir ornatisſimus Schöps (2), eo tamen cum ſuccesſu, ut in aliam plane de columnarum functione discesſerit ſententiam. Hujus itaque experimenta ſequenti paragrapho enarranda veniunt.

§ 2.

I. In Columba adultiori, ſectâ columnâ inferiori dextrâ, pes dexter paralyticus factus est, nitebatur Columba pede ſiniſtro atque alâ dextrâ; dextri tamen pedis ſenſibilitas integra obſervabatur. Facultas autem movendi pedem non rediit

(1) Cfr. Ch. Bell, *Expoſition du ſyſtème naturel des nerfs*, p. 22 ſq.

(2) Cfr. Meckel, *Archiv fur Anatomie und Phyſiol.* 1827, N°. 3, p. 393 ſqq.

diit ante mortem, quam sequenti die subiit animal (1).

II. In Cuniculo dissectis utraque columna inferiori, omnes extremitatum posteriorum motus erant deleti, sub ipsa sectione musculorum convulsiones conspiciebantur, sed per biduum illaesa harum extremitatum sensibilitas observata est; hisce enim leviter punctis, prae dolore clamabat cuniculus, quaeque sensibilitas etiam ad mortem usque illaesa deprehendebatur. Motus autem utriusque pedis non restituti sunt, neque et horum sensibilitas ullum passa est decrementum. Haec itaque optime Magendii Belliique experimenta confirmant.

III. In Columba, remotis arcubus vertebrarum duarum lumbarium, subjacens medulla denudata conspiciebatur; pedes rite movebantur, atque naturalis iis erat sensibilitas, quae illaesam adhuc medullam spinalem probavit: jam scalpello Schöps incidit (2) columnam medullae spinalis dextram superiorem, quo facto pes dexter cursui instituendo non amplius erat aptus, sensibilitas *quidem in* utroque pede remanserat, attamen haec in pede dextro aliquomodo debilitata videbatur (3); compres-

(1) Cfr. l. c. p. 402 sq.

(2) Cfr. l. c. p 893 sqq.

(3) Undenam haec pedis dextri sensibilitas, quae remansit? num rite dissecta fuit omnis columna superior dextra, an pro parte tantum? Cadaveris sectio illud solvere potuisset, hanc tamen apud citatum Auctorem frustra quaesimus.

presſis enim pedis dextri digitis, columba, quaſi dolore adfecta, pedem retrahebat, imo alas movebat: levior autem pedis dextri compresſio nulla ſenſibilitatis ſigna oſtendit neque alarum motus produxit. Sequenti die facultas movendi pedem dextrum adeo erat reſtituta, ut columba, licet claudicans, tamen absque alarum auxilio currere potuerit. Die tertio facultas utrumque pedem movendi valde erat labefactata, nec non phalanges digitorum rigidae et extenſae conſpiciebantur, quae autem phaenomena producebantur medullâ ſpinali, mechanicâ ratione compresſâ, quâ ſublatâ conditione, motus pedis ſiniſtri omnes redierunt, nec non motus pedis quoque dextri licet valdequam debilitati iterum obſervabantur.

IV. In Columba laeſionem (*Verletzung*) inſtituit Schöps columnae inferioris dextrae, curvâ acu chirurgica, qua laeſione peracta, facultas movendi pedem dextrum diminuta erat, attamen currere adhuc potuit animal (1).

Laeſo autem toto latere (columna ſuperiore et inferiore) medullae ſpinalis dextro, motus utriusque

(1) Hic propter neglectam cadaveris ſectionem incerti ſumus, utrum laeſio, curvâ acu peracta, *omnem* columnam inferiorem dextram deſtruxerit, an *pro parte* tantum. Poſterior opinio omnem veri ſpeciem prae ſe gerit, conferantur modo experimentum I et II hujus paragraphi, quae hujus opinionis veritatem comprobant.

que pedis voluntarii perierunt (1); columba namque alis innitens pedes ambos protraxit, sensibilitas in utroque pede non erat exstincta, simo, compressis digitis, pedes movit columba, atque per, fortiorem pressionem alas, uti credidit *Schöps*, prae dolore movit (2). Die sequenti nulla aderant symptomata facultatis movendi pedes aliquomodo recuperatae.

V. In Columba porro dissecuit columnam superiorem dextram atque sinistram in regione lumbari, uterque pes non amplius motus voluntarios instituere valebat, aderant tamen in utroque pede evidentia sensibilitatis indicia (3); etenim pedem fortiter compressum retraxit columba, leviori tamen pres-

(1) Undenam illa etiam pedis sinistri paralysis post laesionem tantum columnae inferioris et superioris dextrae? An a columna inferiore sinistra simul destructa? Videtur quidem. — Dubia haec accurata cadaveris sectione illustrari potuissent, quae tamen non instituta est.

(2) Hic etiam in dubio versamur, *sectione cadaveris* unice tollendo, cur, destructâ columnâ superiore et inferiore dextrâ, quod fecisse se *putavit* Schöps, in pede tamen dextro adhuc relicta sit sensibilitas.

(3) Nonne dependit haec relicta in utroque pede sensibilitas a columnarum superiorum dissectione haud perfecta? Cadaveris sectio altitudinem dissectionis *columnarum indicare* potuisset. Illud saltem ex nostris experimentis, paragraphis VI et VII memorandis, evictum habemus, neque motum, neque sensibilitatem prorsus posse deleri, si minima etiam columnarum pars cultro non dissecta fuerit.

pressione pedes non movebat: die sequenti columbam pedibus stare observavit Auctor, quos in initio sub corpore suo extenderat animal.

VI. In Cuniculo dissectis utraque columna superiore, extremitates posteriores quasi paralyticae reddebantur, sensibilitas autem non omnis periit (1); compressis enim quamvis leviter pedibus paralyticis, prae dolore clamabat cuniculus.

Idem illud experimentum in columbâ instituit eodem cum eventu: monet tamen Schöps, die tertio post operationem facultatem movendi pedes non solum rediisse, verum etiam animal pedibus incedere potuisse.

VII. In Columbâ juniori, *incisa* regionis lumbaris columnâ superiore dextrâ, pes dexter sub cursu protrahebatur, cujus quoque sensibilitas diminuta observabatur; motus autem et sensibilitas pedis sinistri erant naturales: secuit nunc noster Auctor etiam columnam inferiorem dextram, symptomata autem in pede dextro non mutabantur, sed sinistri pedis quoque sensibilitas et motûs aliquo modo debilitati erant (2).

Sectâ deinde columnâ inferiori sinistrâ, statim pes sinister omnem motum amisit; signa autem sensibilitatis in utroque pede remanserant (3).

Sec-

(1) Cfr. quae diximus ad Experimentum III et V in nota (3).

(2) Cfr. quae diximus ad Experimentum IV in nota (1).

(3) Sensibilitas in pede sinistro relicta facile explicatur ex in-

Secta denique etiam columnâ superiore sinistra, totam quantam medullam spinalem disfectam *credidit* Schöps; uterque pes paralyticus erat, sed in iis sensibilitatis signa per 3 dies adhuc observavit; pedes enim, fortiter compressi, *movebantur* (1).

VIII. In Columba et Cuniculo disfecuit utramque columnam superiorem, intactis columnis inferioribus, quo facto omnes extremitatum posteriorum motus jam evanuerunt, antequam sensibilitatis decrementum potuit observare.

In alia Columba, laesis columnis superioribus, post 14 dies facultas eundi sensim restituebatur.

§ 5.

intacta columnâ superiore sinistra: causa autem, cur etiam in pede dextro adhuc vigeset sensibilitas, post sectionem columnae inferioris et superioris dextrae, autopsiâ cadaveris illustrari potuisset, quam tamen desideramus. Haec itaque explicanda videtur a columna superiore dextra non plane disfecta, quoniam, perfecte disfectis columnis, ut motus et sensibilitas pereant, necesse est.

(1) Hic iterum habemus exemplum, *ipsam sectionem*, qualem sibi proposuerat Observator, scopo haudquaquam respondisse; etenim ex plurimis experimentis nobis persuasum est, perfecte disfectâ medullâ spinali, et motum et sensibilitatem partium ita deleri, ut extremitatum posteriorum vel ipsa amputatio institui queat, absque ullis doloris vel *sensibilitatis* signis. In memorato itaque experimento aut medulla spinalis non plane disfecta fuit, aut radicibus nervorum spinalium, supra locum disfectionis provenientibus, et ad extremitates posteriores tendentibus, harum sensibilitas et motus, qui adhuc praesto erant, tribui debent.

§ 3.

Ex hisce Experimentis concludit Schöps (1),

I. Omnes quatuor medullae ſpinalis columnas ſenſibilitate pollere, quia, sectâ columnâ vel ſuperiore vel inferiore, unâ tantum harum illaeſâ, ſenſibilitas partium posteriorum remanſit (1).

II. Sectionem columnae ſive ſuperioris ſive inferioris delere partium motus, quoniam in unâ tantum columnâ integrâ relictâ vis nervea ſufficiens ad movendum non remanet (3).

III. Senſibilitatem vero integram remanere post unius columnae ſectionem, ſive haec fuerit ſuperior ſive inferior, quia ſenſibilitas minori vi nervea indiget, quam ad motus ciendos requiritur (4).

IV. Post ſectionem columnarum inferiorum vim nerveam moventem majus detrimentum capere, quam post ſectionem columnarum ſuperiorum: disſectis enim columnis ſuperioribus lente redit movendi facultas (5), quod non accidit post columnarum inferiorum ſectionem (6).

V.

(1) Cfr. l. c. p. 412 : 414.

(2) Cfr. § 2, Experimenta I, II, III, V, VI.

(3) Cfr. Experimenta citata.

(4) Cfr. Experimenta citata.

(5) Cfr. Experimenta III, V, VI, VIII.

(6) Cfr. Experimenta I et II.

V. Columnas denique ſuperiores atque inferiores habere et ſenſibilitatem et ſimul vim moventem, hancque majorem esſe in columnis inferioribus, illam vero majorem in columnis medullae ſpinalis ſuperioribus.

Haec Schöpsii concluſio ſequentibus nititur argumentis:

1°. Sectio columnarum ſuperiorum ſenſibilitatem debilitat (1).

2°. Post ſectionem columnarum inferiorum ſenſibilitas major remanet, quam post ſectionem columnarum ſuperiorum (2).

3°. Sectio columnarum ſuperiorum delere ſolet extremitatum motus, qui tamen dein reviviscunt (3).

4°. Post ſectionem columnarum inferiorum omnes pereunt motus (4).

§ 4.

Quod autem ad memorata experimenta attinet, pleraque non omni eâ curâ fuisſe inſtituta, quam ipſius quaestionis gravitas atque momentum postularunt, ad ſingulum experimentum jam monuimus; etenim post mortem animalium, neglectâ pror-

(1) Cfr. § 2, Experimenta III VII.
(2) Cfr. Experimenta I, II, III, VII.
(3) Cfr. Experimenta III, V, VI, VIII.
(4) Cfr. Experimenta I et II,

prorsus comparatione sectionem inter interque ejus effectum, non aliter potuit, quin Schöps, sectionis naturae atque directionis, quarum perfecta cognitio in talibus experimentis summi omnino momenti est, incertus, ex incertis experimentis conclusionem certam derivare haud potuerit: unicuique nimirum, qui vivisectionibus operam dederit, satis superque notum est, talia experimenta instituere arduum esse opus atque valde difficile, in quibus licet omnis adhibeatur prudentia, saepe tamen variis caûsis et impedimentis frustrantur observatores, quapropter dubia, inter operandum oborta, unice demum accuratâ cadaveris sectione possunt illustrari; hanc itaque nostrum auctorem omnino neglexisse admodum dolemus, prouti multa dubia, quae passim indicavimus, certe hac ratione clariora fuissent reddita.

Quod si vero ipsam de columnarum functione conclusionem, ex experimentis petitam, perscrutemur, facile patebit, eam quoque haud ab omni parte veram esse; etenim si utraque columnarum series et motu polleret et simul sensibilitate, etiam post columnarum inferiorum dissectionem, illaesis superioribus, licet debiles, *aliqui* tamen motus conspici debuissent, quales vero Schöps haudquaquam observavit (1). Neque magis de relicta sensibilitate post columnarum superiorum sectio-

(1) Cfr. § 2, Experimenta I et II.

tionem constitisse, utrum scilicet haec servaretur columnis inferioribus, an vero columnis superioribus haud perfecte disfectis, supra jam monuimus (1): hisce porro addatur, quod opinio a Schöps prolata, de mixta columnarum functione, et *analogiae* et *observationibus pathologicis* omnino opposita deprehendatur, quemadmodum postea videbimus.

Ne tamen haec experimenta *omni* utilitate habeamus destituta; ex iis enim evictum est, sectionem columnarum inferiorum ita delere partium motus, ut dein haud redintegrentur; sectionem vero columnarum superiorum per aliquod tempus extremitatum motus impedire, qui tamen postea redeunt.

§ 5.

Quae cum ita essent, quaestionem hanc de columnarum medullae spinalis utilitate denuo examini subjiciendam esse censui, ideoque multa experimenta maximâ, qua potui, prudentiâ et circumspectione instituenda excogitavi, quorum praecipua tamen sequentibus §§ vestro Viri clarissimi! judicio submittere mihi liceat: quod autem attinet ad animalium genera, in quibus capta sunt experimenta, haud columbas adhibui, quoniam in iis, propter profundiorem columnae vertebralis situm

(1) Cfr. Experiment. III, V, VI.

tum, musculis undique altius cinctae, nec non ob medullae fabricam subtiliorem, ipsa inquisitio pluribus obnoxia est incommodis.

In canibus vero et cuniculis junioribus, 5 vel 6 hebdomadum, res melius cedit: in cuniculis inquisitio illa non valde difficilis est, propterea, quod haec animalia minori vel obtusiori sensibilitate praedita videntur, namque, durante sectione, sive cutis, sive musculorum, sive arcuum vertebralium, plerumque non clamant, sed satis tranquilla manent, dum canes validos clamores non solum edunt, verum, propter dolores, valdequam contorquentur: canalis autem vertebralis in canibus amplior deprehenditur, atque dura meninx majorem humoris serosi quantitatem continet, quam quidem in cuniculis, quibus efficitur, ut non solum facilius, absque ulla medullae spinalis laesione, in canibus tollantur arcus vertebrarum, sed, propter tumidam magis in hisce animalibus duram meningem, etiam haec melius dissecari possit, ad denudandam medullam spinalem sine ulla hujus organi laesione.

Quo ad methodum, sequentem elegi: dissectis integumentis communibus, atque musculis cultro a vertebrarum arcubus remotis, forfex sat firma inter arcum vertebralem unum alterumve introducitur, atque hac ratione, dissecando arcus vertebrales, pars satis magna medullae spinalis denudari potest. Cavendum tamen, ne, durante operatione, forfex, inter medullam et arcus vertebrales posita,

propter animalium motus, fubito in ipfam medullam fpinalem immittatur, quo infortunio, quod mihi quater accidit, et labor perditur et fimul omnis conclufio manca evadit. Illud tantum adhuc obiter moneo, Magendii obfervationem, de motu medullae fpinalis *adscendente* fub exfpiratione, *descendente* vero fub infpiratione (1), etiam noftris experimentis confirmatam fuisfe, nec non medullae fpinalis disfectione fere femper partium pofteriorum temperaturam fuisfe diminutam.

§ 6.

I. In cuniculo denudatâ medullâ fpinali regionis dorfalis, nec non ftylo tenui argenteo inter vertebrarum corpora et ipfam medullam prudenter transverfim immisfo, haec paululum elevata est; cultello nunc valde tenui et acuto utramque columnam inferiorem disfecui (2): fub fectione harum columnarum nulla doloris figna, fed quidem graves *musculorum* vicinorum motus *confpiciebantur*.

Post hanc disfectionem membra pofteriora plane erant paralytica, quando fcilicet motus inftituebat cuniculus, pasfive protrahebantur, falvâ tamen

(1) Cfr. Magendie, l. c. Tom. II, n°. 2, p. 200,

(2) In meis experimentis femper utramque columnarum feriem fimul disfecui, ideo, quod difficillime, faltem durante vitâ, columnae dextrae et finistrae limites definiantur.

men eorum fenfibilitate; compresfis enim pedum posteriorum digitis, femper pedibus anticis aufugere conabatur, nonnunquam clamabat animal, pedes autem posteriores compresfos non retraxit.

Vixit per 24 horas, fine ulla conditionis mutatione; aperto cadavere, columnae inferiores prorfus disfectae apparebant, illaefae vero fuperiores.

II. In cuniculo utramque disfecui columnam inferiorem in regione dorfali mediâ, fub hac fectione graves musculorum vicinorum convulfiones obfervabantur, nulla autem doloris figna nullamque edidit vocem animal: fenfim penitus disfectâ utraque columnâ inferiori, musculorum convulfiones cesfabant, fed fimul ac cultelli acies partem inferiorem columnarum fuperiorum attigisfet, validos clamores edidit animal, musculos tamen extremitatum posteriorum haud movebat, licet, prae dolore, pedibus anticis aufugere conaretur.

Hac fectione extremitates posteriores paralyticae factae funt, illaefâ earum fenfibilitate: compresfis enim pedis paralytici digitis, dolores percepit animal, pedem vero ipfum non retraxit.

Aperto cadavere, columnae inferiores rite disfectae confpiciebantur, illaefae vero fuperiores.

III. In cane denudatâ medullâ fpinali, ftylo tenui argenteo irritatae funt hujus organi partes laterales; clamores edidit animal, atque contorfio-

nes inſtituebat ad effugiendum: irritatis columnis inferioribus, musculi vicini fortiter commovebantur, attamen nulli inde dolores percipiebantur.

Irritavi nunc in eâdem regione eodemque ſtylo columnas ſuperiores, quo facto canis *vehementer* ululabat, pedes, tum anticos, tum posticos ſimul, fortiter ad effugiendum movebat. — Non mirum, canem, dolores tam atroces percipientem, pedes commovisſe, licet horum motuum cauſa proxima a columnis ſuperioribus haud dependeat (1); hujus veritas ut pateret,

IV. In eodem cane disſecui columnas *inferiores* regionis dorſalis mediae, quâ ratione extremitates posteriores paralyticae factae ſunt, quae tamen ſenſibilitatem retinuerunt; irritatis jam, quoquo loco, columnis ſuperioribus, validos clamores edidit animal, ſimulque pedes anticos ad effugiendum movit, posticis omnino quietis, ideo, quod columnarum inferiorum cum cerebro commercium ſectione erat ſublatum.

Disſectis dein etiam columnis *ſuperioribus*, tota quanta medulla in duas partes diviſa est; punctis nunc acu columnis ſuperioribus, pone locum disſectionis, nulla motus vel ſenſibilitatis indicia conſpiciebantur; punctis ejusdem medullae *partis* columnis inferioribus, musculi commovebantur, quique motus, irritatione harum columnarum producti,

(1) Conferantur ea, quae diximus ad Caput IV, § 1, Exper. V, in nota.

ti, ſaepe numero adhuc obſervabantur post ulti- mam animalis exſpirationem.

Idem illud experimentum, *in cuniculo* inſtitutum, eundem habuit effectum.

Ex praecedentibus itaque experimentis apertum est, columnarum inferiorum ſectionem extremitatum posteriorum delere motus, atque harum columnarum ſenſibilitatem, ſi quâ gaudeant, haudquaquam tamen manifestam esſe, ut et extremitatum posteriorum ſenſibilitatem ſectione columnarum inferiorum neutiquam deleri: porro exinde etiam illud patet, licet columnae ſuperiores integrae fuerint, has tamen nihil contulisſe ad extremitatum posteriorum motus. Hujus rei veritatem ſequens experimentum ulterius demonſtrat.

V. In duobus canibus denudata est medulla ſpinalis regionis dorſalis mediae: ſibi nunc relictis animalibus, omnia naturalia obſervabantur; facile enim, quaqua verſus, currebant, jacebant, lac vaccinum bibebant.

Disſecui nunc in utroque cane columnas inferiores, quo facto, membra posteriora paralytica facta ſunt, quae tamen ſenſibilitatem ſervarunt.

Hoc tempore, utrique cani dedi grana ſex pulveris nucis Vomicae, cum lacte mixtae; post horae circiter quadrantem convulſiones vehementisſimae in utroque cane incipiebant, quae tamen ſolummodo in musculis partium anticarum obſervabantur, quique valde rigidi deprehendebantur,

dum

dum vero musculi extremitatum posteriorum quieti erant, atque relaxati: sensibilitas quoque aucta videbatur, quoniam, leviter digito pressâ aliquâ parte sive colli, sive extremitatum anticarum, partes hae protinus rigescebant.

Punctis cultri apice medullae spinalis columnis superioribus, fortius adhuc convellebantur extremitates anticae, posticis e contrario haudquaquam commotis.

Harum autem convulsionum vehementiâ sensim increscente, aliquid inexspectatum accidit; in digitis scilicet pedis posterioris sinistri unius *tantum* canis motus, licet leviores, observabantur, tam flexorum, quam extensorum.

Quum autem per horam $1\frac{1}{2}$ adhuc viverent, semper tamen violenter commotis partibus anticis, ne facie quidem exceptâ, utrumque canem, compresso larynge, suffocavi: sub agone mortis omnes musculi partium anticarum vehementissime convellebantur, quietis vero et relaxatis semper extremitatibus posticis, *si tantum motus* illi leviores excipiantur digitorum pedis sinistri, qui in uno cane apparuerunt.

Sectio cadaveris docuit, alterius canis columnas inferiores rite dissectas fuisse, alterius vero *tantum* columnam inferiorem dextram *dissectam*, non penitus dissectâ columnâ inferiori sinistrâ, quippe hujus columnae aliqua pars lateralis erat illaesa: hinc itaque etiam omnis exsurgit explicatio, cur,

fal-

salvâ aliquâ parte columnae inferioris ſiniſtrae, motus illi, in digitis pedis ſiniſtri, obſervati ſunt. Inexſpectata igitur haec obſervatio experimentorum noſtrorum veritatem luce clarius confirmat.

Ex dictis itaque conſtat, columnas ſuperiores unice ſenſibilitati praeëſſe, haudquaquam vero motui; etenim ſi verum esſet, mixtam omnino columnis ſuperioribus tribuendam eſſe functionem, certe in praecedenti experimento, hisce integris, earum vi motoriâ etiam aliquomodo, post ingeſtam nucem vomicam, commoveri debuisſent extremitates poſteriores, imprimis quoniam ſimul evictum habemus, partium motus prorſus haud poſſe deleri, ſi aliquae fibrae motoriae, non rite disſectae, ſuperſtites ſint.

§ 7.

Cognitâ nunc diverſarum columnarum functione revera diſtinctâ, jam finem operi, adeo crudeli, impoſuisſem, niſi adhuc quaeſtio ſuperesſet, cur, poſt ſectionem columnarum ſuperiorum, extremitates poſteriores etiam non amplius moveantur (1). Experimenta itaque illa repetita ſunt, atque ea, quae hac de re obſervaverat Schöps, non ſine magnâ admiratione confirmata habui, ſcilicet ſectio-

(1) Cfr. Hujus capitis § 2. Experiment. V, VI, VII, VIII.

tionem columnarum ſuperiorum non ſolum delere ſenſibilitatem extremitatum posteriorum, verum etiam efficere, ut hae non amplius moveantur.

Viderat autem Schöps, facultatem movendi extremitates posteriores post aliquod temporis *ſpatium* restitutam (1); illud tamen obſervare *ipſe* non potui, forſitan ideo, quod animalia, in quibus experimenta haec de industria inſtitui, quaeque omnia intra 24 horarum ſpatium jam moriebantur, vitam non ſatis diu protraxerint.

Ut itaque pateret, quibusnam cauſis haec phaenomena esſent tribuenda, ſequentia experimenta inſtituta ſunt.

VI. In quatuor canibus denudavi medullam ſpinalem regionis dorſalis mediae, quâ peractâ, *animalia* rite ſeſe movebant, currebant atque *illaeſam* adhuc ſenſibilitatem indicabant. Disſecui nunc columnas ſuperiores ſub valido animalium *ejulatu* et corporis contorſionibus: post ſectionem hanc extremitates posteriores non ſolum omnem amiſerant ſenſibilitatem, ita ut neque *harum punctione*, neque alia quacunque laeſione, ullo modo adficerentur, verum etiam pedes posteriores non amplius movebantur; in uno tantum cane utriusque pedis motus leviores inordinati nonnunquam conſpiciebantur. — Sub hac itaque *conditione* extremitates posteriores motus voluntarios peragere non

(1) Cfr. Cujus capitis, § 2, Experiment. III, V, VI, VIII.

non potuerunt; ut autem constaret, utrum motus involuntarios perficerent, ideoque num adhuc vigeret energia movens, quatuor hisce canibus dedi grana sex pulv. nucis vomicae: post viginti minutorum spatium, simul ac nux vomica agere inciperet, atque convulsiones, a voluntate non amplius pendentes, crearet, musculi totius corporis, ne iis caudae quidem exceptis, vehementer convellebantur, ita quidem, ut columnarum superiorum sectione convulsiones extremitatum posteriorum neque mitigatae sint, neque diminutae, quippe quae per tres et quatuor horas, tum in posteriori corporis parte, tum in antica, eâdem cum vehementiâ perdurarunt. — Apertis cadaveribus, columnae superiores rite dissectae apparebant, illaesae vero inferiores.

VII. Idem hoc experimentum, in duobus cuniculis institutum, eundem praebuit effectum, namque etiam in his sectio columnarum superiorum convulsiones extremitatum, quae ad mortem usque observabantur, neque leviores reddidit, neque numero pauciores: in cuniculis tamen citius post nucis vomicae usum convulsiones oboriebantur, neque etiam tam diu vitam protraxerunt, quam quidem canes.

VIII. Cani et cuniculo, denudatâ medullâ spinali, grana sex pulv. nucis vomicae dedi; post decem minuta in cuniculo, post viginti quinque in cane, totius corporis convulsiones

ob-

oboriebantur vehementissimae: dissectae sunt sub hac conditione columnae superiores, nullam tamen inde phaenomenorum mutationem observare potui, extremitatibus, tum posticis, tum anticis, aeque graviter, ad mortem usque, convulsis.

In cuniculo tamen post sectionem columnarum superiorum, pro parvo temporis spatio spasmi silebant, mox tamen eâdem cum violentiâ redierunt. — Cadaveris sectio columnas superiores omnino dissectas, illaesas inferiores docuit.

Hinc itaque, ni fallor, concludere possumus, sectionem columnarum superiorum, licet extremitatum motus voluntarios impediat, earum tamen movendi facultatem haud delere.

Restat igitur, ut inquiramus, undenam *pendeat* horum motuum impedimentum, quod sectione columnarum superiorum producitur.

§ 8.

Supra jam monuimus, in *cuniculo sectione columnarum superiorum*, pro aliquo temporis spatio, convulsiones sublatas fuisse, licet tamen mox redierint; haec itaque motus impediti phaenomena animo volventi mihi non prorsus improbabile videbatur, ea pressioni in columnas *inferiores*, *sectione* columnarum superiorum inductae, omnino esse tribuenda; hujus autem opinionis veritatem ut detegerem, sequens experimentum institui.

IX.

IX. In cane et cuniculo denudatâ medullâ ſpinali regionis dorſalis mediae, cultri acie non disſecui columnas ſuperiores, ſed eas tantummodo modice compresſi, quo facto, ſtatim extremitates quaſi paralyticae factae ſunt, hae ſcilicet protrahebantur, neque motus ſolitos peragere valebant, earum vero ſenſibilitas, licet valde diminuta, non tamen omnis ſublata erat.

Facultas autem movendi extremitates posteriores non ita deleta erat, quin pes, forcipe compresſus, prae dolore, aliquomodo retraheretur; fortius etiam compresſo pede posteriori, anticis pedibus animalia aufugere conabantur.

Hisce itaque omnibus rite perſpectis, non prorſus improbabile videtur, presſionem in columnas inferiores, productam ſectione columnarum ſuperiorum, cauſam esſe, cur motus extremitatum posteriorum per aliquod tempus impediantur (1), ex cujus itaque presſionis effectu, ſenſim ſenſimque ſublato, etiam phaenomena explicanda videntur de recuperatâ dein, quam Schöps obſervavit, facultate moven-

(1) Hisce accedit, quod in quatuor experimentis, in quibus, ſub remotione arcuum vertebralium, forſex infortunate in medullam ſpinalem imprimebatur, et in cujus columnis ſuperioribus tantum levior aderat laeſio, pedes ſemper quaſi paralytici facti ſint, dum vero obtuſiorem retinuerant ſenſibilitatem, quaeque ſymptomata etiam a columnis inferioribus ſimul compresſis mihi pendere videntur.

vendi extremitates posteriores, quibus tamen experimentis, a Schöps obſervatis, non multum confidere posſumus, quoniam cadaveris ſectione omnino destituta ſunt.

„At" dicat quis, „quare motus *convul-*
„*ſivi*, nuce vomicâ producti, citius hunc pres-
„ſionis effectum vincere posſint, quam motus
„ſoliti naturales, qui tantum post longius
„vel brevius temporis ſpatium restituti narran-
„tur?"

Hîc autem attendere debemus ad ipſius motûs naturam; etenim vehementisſima illa ſystematis nervoſi actio, motus producens violentos *ſpasticos*, facilius et citius impedimentum illud evincere valet, quam actio mitior motuum *naturalium*; fatendum tamen, hîc fortasſe etiam plurimum facere, ad motus voluntarios impediendos, ſenſibilitatis exſtinctionem, ſectione columnarum ſuperiorum productam, quo fieri potest, ut, hac deperditâ, motus voluntarii rite peragi nequeant: post ſectionem ſcilicet columnarum ſuperiorum *extremitates posteriores* amittunt ſenſibilitatem, quo fit, ut animal earum non amplius ſit conscium; ſequitur itaque, animal partes haudquaquam movere, de quarum praeſentia nullam habet notionem, licet tamen contractionis facultas in musculis remaneat, uti ex motibus inordinatis, post ſectionem columnarum ſuperiorum adhuc productis, ut et ex ſpasmis post ingestam nucem vomicam patet.

Ex

Ex nostris itaque experimentis sequentia colligimus:

1°. Columnas medullae spinalis *inferiores* organa esse unice *motui destinata*, easque *manifestâ* sensibilitate haud praeditas esse.

2°. Columnas *superiores sensiles* esse, *non vero motui inservire.*

3°. Sectionem columnarum superiorum impedire extremitatum posteriorum motus, propter productam in columnas inferiores pressionem, praecipue vero propter deletam, quae omnino requiritur, harum partium sensibilitatem.

§ 9.

Conclusio.

Quae si omnia perpendamus, nihil obstat, quin columnis inferioribus vim moventem tribuamus, superioribus vero sensibilitatem, imprimis quoniam hujus rei veritatem et analogiâ et observationibus pathologicis egregie habemus confirmatam.

Quo ad analogiam:

I. Novimus scilicet, cutim eximie sensilem esse, non tamen per se moveri; motus enim, qui in cute plurimorum animalium observantur, unice producuntur panniculo carnoso subjacente, quo homo tan-

tantum et simia destituuntur (1), dum vero systema musculosum miram motuum agilitatem indicat, simul cum obtusiori sensibilitate (2).

II. Differt quoque variorum nervorum functio, prouti ex parte antica vel postica *systematis* cerebro — spinalis proveniunt; hinc nervi hypoglossi, faciales, abducentes, masticatorii (portiones minores) atque oculi motorii motui praesunt; hinc accessorii et trigemini (portiones majores) sensibilitatem diffundunt; hinc alii, inter utrumque limitem provenientes, functionem mixtam habere videntur, uti glosso - pharyngei et vagi (3).

III. Radices anticas nervorum spinalium vidimus motui inservire, sensibilitati vero posteriores; difficillima jam foret quaestio, cur et quomodo radix polleret functione separatâ, mixtâ vero columna, e qua eadem radix proficiscitur (4).

His itaque simul sumtis, patet, diversas systematis nervosi partes diversas quoque et separatas praestare functiones.

Quo

(1) Cfr. G. Bakker, l. c. I, p. 24. In homine et simia tamen hujus panniculi carnosi typus observatur in musculo platysma myoide.

(2) Cfr. G. Bakker, l. c. II, p. 99, sq.

(3) Cfr. G. Bakker, l. c. II, p. 106, 111.

(4) Hujus quaestionis difficultas etiam increscit, si medulla spinalis habeatur nervorum additamentum, atque post habitam analogiae rationem nervum spinalem inter interque ipsam medullam. Cf. G. Bakker, l. c. II. p. 63 et 64.

Quo ad obſervationes pathologicas, etiam his ſeparatam et diverſam columnarum functionem gaudemus comprobatam; equus ſcilicet (1) claudicatione extremitatum posteriorum laborabat, quae adeo increvit, ut post paucos dies non amplius incedere valeret, ſed decideret, deleta prorſus facultate ſeſe iterum elevandi: extremitates posteriores dein paralyticae factae ſunt, attamen omnem retinuerant ſenſibilitatem. Emortuo equo et aperta thecâ vertebrali, columnae inferiores in regione dorſali emollitae deprehendebantur, ſanae vero ſuperiores.

Hic quoque plurimum faciunt obſervationes illae, quae praecedenti capite jam memoravimus (2), ſunt tamen innumerae aliae, quae columnarum anticarum functionem moventem, posticarum vero ſenſibilitatem demonſtrant: varia nimirum proſtant exempla hominum, totius corporis paralyſi laborantium, in quibus tamen per omne corpus naturalis vigebat ſenſibilitas (3). Neque et ab altera parte defuerunt aegrorum exempla, in quibus omnis exſtincta erat partium ſenſibilitas, motu

(1) Cfr. Bulletin, *des Sciences Medic. May*, 1824, p. 7? *Journal de Medicine Vet.* I. p. 28.

(2) Cfr. Caput IV, § 4.

(3) Cfr. *Med. Chirurg. Zeit.* 1824, I. band, p. 158. Bulletin *des Sciences Med.* n°. 7, p. 219, anni 1828.

tri licet integro (1): ita casum memorat Bell (2) aegri cujusdam, cujus latus sinistrum omnium motuum voluntariorum expers erat, salvâ tamen ejusdem lateris sensibilitate, quum vero latus dextrum, licet plane insensile, rite movebatur.

Quod si porro recentissimum illud Ollivierii opus intueamur (3), tot casus ibi collectos videmus, ut de diversa et separata columnarum functione dubitare amplius nequeamus; memorat enim egregius auctor (4), se comminutionem partis anticae vertebrae dorsalis duodecimae observasse, quae, propter compressas columnas anticas, completam induxit paralysin partium inferiorum, quae tamen legitimam sensibilitatem retinuerant.

In aliis aegris partium inferiorum, naturali quamvis sensibilitate gaudentium, completa paralysis insecuta est columnarum anticarum emollitionem, quum e contra posteriores sanae deprehendebantur (5).

In alio denique aegro sensibilitas crurum exstincta erat, salvâ movendi facultate, *post* compres-

(1) Cfr. *Revue Médic.*, 1824, p. 449.

(2) Cfr. Ch. Bell, *Exposition du système naturel des nerfs*, p. 24.

(3) Cfr. C. P. Ollivier, *Traité de la moëlle épinière*, 1827, 2 Vol. 8°.

(4) Cfr. l. c. Tom. I. p. 289. sqq.

(5) Casus hi reperiuntur l. c. Tom. II, p. 616, 671, 676, [illegible]

pressionem columnarum posteriorum, sacco, hydatidibus pleno, productam (1).

Plurima alia apud nostrum Auctorem prostant exempla (2), quae omnia enarrare nimis longum foret, allata tamen, ni fallor, jam sufficiunt ad probandum, *columnas* medullae spinalis *anticas* sive *inferiores* unice *moventes* esse, *posteriores* vero sive *superiores* tantum esse *sensiles*.

(1) Cfr. l. c. Tom. II, p. 803.

(2) Haec leguntur l. c. Tom. I, p. 293, 308, 402, 431 et Tom. II, 457, 464, 471, 641, 694. Cfr. etiam Froriep, *Notizen*, *XXIV*. p. 217 sqq. Et *Bijdragen tot de Natuurk. Wetensch.* Deel IV, n°. 4, p. 209.

CAPUT VI.

BELLINGERII DE COLUMNARUM MEDULLAE SPINALIS NEC NON DE UTRIUSQUE RADICIS NERVORUM SPINALIUM FUNCTIONE SENTENTIA (1).

---

§ 1.

Misſis iis, quae **Bellingerius** de columnarum et radicum fabricâ protulit, quum propoſitae quaestionis mens anatomicam *disquiſitionem* haudquaquam ſpectare videatur, ſolummodo ea pertractabimus, quae ad harum partium Phyſiologiam attinent.

Vidimus praecedenti capite, partem medullae ſpi-

(1) Cfr. *Acta regia ſcient. Acad. Taurin.* Vol. 28. *Excerpta hujus inveniantur in* Froriep *notizen*, X *Band*, N°. 12. In *Revue Medicale*, 1825, Mars, p. 429. In *Med. Chirurg. Zeyt.* 1825, Tom. III, p. 232, et IV, p. 321.

ſpinalis dorſalem ſenſilem esſe, moventem vero partem abdominalem: ſingularem tamen, valdopere complicatam, atque iis, quae ſupra obſervavimus, plane oppoſitam opinionem de columnarum et radicum functione fovet Bellingerius, ſtatuens,

I. Materiae medullae ſpinalis internae, pultariae, illud incumbere officium, ut ſenſibilitatis fontem ſistat, omnem vero energiam moventem unice proficisci a materie fibroſa (1).

II. Columnas et radices anticas vim exercere flectentem et abducentem, columnis et radicibus posticis vero unice effici partium extenſionem et attractionem (2).

III. Medullam ſpinalem nervorumque radices etiam functionibus organicis inſervire v. c. circulationi, asſimilationi, nutritioni, abſorbtioni, exhalationi, ſimulque caloris animalis productioni (3).

De ſingulis hisce videamus.

§ 2.

Quo ad ſenſibilitatis ſedem, quam in materie pultaria inveniri credit Bellingerius, hancce ſententiam gravibus laborare difficultatibus, vix est, quod moneam; etenim materiem pultariam, ſive in ce-

(1) Cfr. *Revue Medic.* l. c. p. 484.
(2) Cfr. *Revue Medic.* l. c p. 485.
(3) Cfr. *Revue Medic.* l. c. p 484.

cerebro, sive in gangliis, sive in medulla spinali, prorsus insensilem esse, innumerae docent observationes: stylus nimirum in materiem pultariam centralem medullae spinalis immissus nulla sensibilitatis signa excitavit (1). Hinc explicatu *difficillima* quaestio exsurgeret, quomodo materia pultaria, ipsa insensibilis, aliis partibus sensibilitatem impertiret.

Nititur haec Bellingerii de materiei pultariae sensibilitate opinio sequentibus argumentis:

1°. In senectute copiam materiae pultariae diminui asserit, et hinc explicat, quare senes minori sensibilitate gaudeant, quam adulti (2).

2°. Majorem in homine dari materiae pultariae internae copiam, quam in animalibus, arguit, et exinde etiam majorem hominum sensibilitatem explicat (3).

Hisce autem opponitur, quod in senectute non solum diminuatur materia pultaria, verum etiam *ipsa* materies fibrosa, imo Chaussard et *D*esmoulins docuerunt, in senectute medullam spinalem nervorumque compagem duriorem fieri et majorem habere cohaesionem, quae medullae nervorumque conditio certe plurimum conferre videtur ad *mino*rem

(1) Cfr. Magendie, l. c. Tom. III, N°. 2, p. 154.

(2) Cfr. C. P. Ollivier, l. c. Tom. I, p. 99.

(3) Cfr l. c.

rem illam ſenſibilitatem, quae in ſenibus obſervatur (1). Quo ad alterum argumentum, etiam in homine eminet ſystema centrale prae ſystemate nervorum, in animalibus vero contrarium obtinet; hinc, ſi ad materiei pultariae functionem, infra exponendam, attendamus, facile intelligimus, cur, aucto in homine ſystemate centrali, ibi etiam major materiei pultariae copia requiratur.

Hanc quoque Bellingerii ſententiam ulterius comprobare conatus est Ollivier (2), dicens, „a materie pultariâ internâ revera partium ſenſi„bilitatem redundare, quoniam medullae ſpinalis „inflammatio ſemper incipit a parte pultaria in„ternâ cum formicationis ſenſu (*fourmillement*) „et rigiditate partium, quod fieri non poſſet, „ſi materies pultaria omni destitueretur ſenſibili„tate." Hic autem monendum est, ſaepisſime conditione morboſâ excitari partium ſenſibilitatem, quae in ſtatu ſano nulla videbatur, uti ex inflammatione osſium, ligamentorum ut et viscerum morbis patet, quae, in ſtatu ſano, nullam ſenſibilitatem ostendunt; hisce addatur, quod, licet verum esſe queat, omnem ſpinitidem ſemper incipere a materie pultariâ internâ (3), illud tamen quoque evic-

(1) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. II, p. 720. *Journal de Phyſique, Juin.*, 1820.

(2) Cfr. C. P. Ollivier, l. c. Tom. I, p. 103.

(3) Quod equidem haud credo.

evictum sit, hanc vix adfici, quin et simul corripiatur materies fibrosa, pultariam undique arcte cingens.

Longe aliam vero materiei pultariae *tribuimus* functionem, eam tanquam matricem *materiei fibrosae* considerantes; materies enim pultaria jam ante fibrosam exsistit non solum (1), verum etiam illa, prae fibrosâ, sanguine scatet (2). Hisce accedit, quod ubivis materie pultariâ materiei fibrosae quantitas augeatur; hinc, ubi materia fibrosa *gangliis* egreditur, uti corpore restiformi, protuberantiâ annulari, colliculis et corporibus striatis, semper ejus copia admodum aucta conspicitur (3): *hisce* addatur, quod, quo major materiei pultariae adsit copia, eo quoque major materiae fibrosae *quantitas* inveniatur.

Hinc itaque omnis exsurgit explicatio, quare illa medullae spinalis loca, e quibus radices nervorum extremitatum superiorum et inferiorum proveniunt, majus volumen acquirant, quoniam *ibi* major, quam in ullo alio *medullae loco*, *reperiatur* materiei pultariae copia (4).

Praeter hanc, etiam alia, eaque gravissima, materiei pultariae incumbit utilitas, organi nimirum

(1) Cfr. Clar. G. Bakker, l. c. Tom. II, p. 7, 46 sqq.
(2) Cfr. Idem, l. c. Tom. II, p. 11.
(3) Cfr. Idem, l. c. Tom. II, p. 26 sqq. p. 46.
(4) Cfr. Idem, l. c. pag. 17.

rum *separantis* munere fungenti (1). Ganglia scilicet, quae ex hac materie constant, omnem communicationem cum sensorio communi impediunt, hinc, quo plura in systemate adsunt ganglia, eo certius ejus actio a voluntatis imperio subtrahitur; hinc totum systema vitae vegetativae sive organicae systemati nerveo animali prorsus subduceretur, nisi illud et nervis cerebralibus et spinalibus esset conjunctum. Hanc etiam ob caussam in cerebro, in medulla spinali, imo in ipsis nervis, materia pultaria invenitur.

Novimus enim, rerum externarum incitationes, nervorum ope, per columnas medullae spinalis posticas deferri ad Encephalon, et ex eo, vel jussu voluntatis, vel etiam sine illo, per columnas anticas descendere reactionem; ne autem utrumque conductionis genus secum invicem confluat, cautum est materie pultariâ, in medullae nervorumque centro deposita, fibrasque sentientes a moventibus separante (2).

Quo ad energiam moventem, longe quoque abest, quin hanc, per omnem materiem fibrosam diffusam, Bellingerio concedamus; certo enim certius tum experimentis, tum etiam observationibus pathologicis (3) constitit, columnas medullae spina-

(1) Cfr. Idem, l. c. p. 85.

(2) Cfr. Idem, l. c. p. 91 : 103.

(3) Cfr supra Caput V.

nalis posticas sensibilitati praeesse, columnis anticis vero omnes motus esse tribuendos; evidenti igitur documento, duplex esse materiae fibrosae officium, prouti scilicet haec et sensibilitate polleat et organon simul exhibeat motum *ducens*.

Ex dictis itaque patet, duplicem in medulla spinali materiae nerveae dari speciem, quarum altera *fibrosa*, altera *pultaria* est, nec non utramque materiem duplici et vere diverso fungi officio: columnae nimirum medullae spinalis posticae, quae secundum Laurencet ad encephalon adscendentes, *fibras convergentes* constituunt, sensibilitati praesunt: columnae vero anticae, quae tanquam *fibras divergentes* considerandae sunt, organon exhibent motum dirigens (1).

Materies e contrario medullae spinalis pultaria interna, neque sensilis est, neque ab ea partium sensibilitas dependet, sed matricem agit materiae fibrosae non solum, sed et simul organon sistit *separans*, quo fibrae moventes a sentientibus separantur et forsitan quoque *latus dextrum a sinistro* sejungitur (2).

§ 3.

Quo ad functionem, quam columnis *medullae* spinalis, nervorumque radicibus tribuit Bellinge-

(1) Cfr. G. Bakker, l. c. Tom. II, p. 40.
(2) Cfr. Idem, l. c. p. 103.

gerius, hac in re haud felicior fuisse videtur, quam in determinanda sensibilitatis sede; etenim, secundum Bellingerii sententiam, columnae et radices anticae vi pollent flectente et abducente, columnae autem atque radices posticae vi extendente et adducente (1), ideoque columnae et radices anticae musculorum flexorum et abductorum contractiones moderantur, musculi vero extensores et adductores imperio columnarum et radicum posticarum obediunt.

Haecce Bellingerii opinio sequentibus nititur argumentis; dicit enim, „ in hominibus columnas „ medullae spinalis posticas ideo magis evolutas „ esse, quam anticas, quoniam musculi extenso- „ res majori vi indigent, ad corpus erectum tenen- „ dum, nec non eandem ob causam in Bobus co- „ lumnas superiores in regione cervicali majorem ac- „ cepisse evolutionem, quam inferiores, quoniam „ eo in loco major energia nervea requiritur, ad „ caput sustinendum et erigendum;" hisce addidit, „ in Avibus, quarum columnae inferiores in „ universum majores conspiciuntur, nihilominus ta- „ men in regione sacrali columnas superiores, prae „ inferioribus, incrementum accipere, quoniam, „ durante statu et incessu, musculi extensores vim „ nerveam majorem expostulant (2)."

Quod

(1) Cfr. *Revue Medic*, l. c. p. 485 sqq.
(2) Cfr. *Revue Medic.*, l. c. p. 432 et 436 sq.

Quod autem attinet ad memorata argumenta, quibus suam de columnarum et radicum functione hypothesin confirmare studet Bellingerius, licet eorum veritatem neque comprobare, neque in dubium vocare valeamus, prouti *sufficienti* experientiâ destituti, quoniam variorum animalium medullam spinalem secum invicem sedulo comparare mihi non contigit (1), illa tamen haud tanta putamus, quin aliis argumentis Bellingerii sententiam facile refutari posse, judicemus. Verum enim est, quod in Bobus et Equis, in eo loco, quo trunci nervorum extremitatum anticarum et posticarum proveniunt, radices inferiores $\frac{1}{8}$ parte majores conspiciuntur, quam superiores (2), non ideo, quoniam iis in locis plures motus perficiuntur musculis flexoribus et abductoribus, sed propterea, quod ibi major vis nervea movens requiratur ad omnes quoscunque motus perficiendos. Quod si porro ad radicum, quae nervos spinales in homine efformant, conditionem attendamus, statim patebit, radices *anticas*, *in regione* lumbali et sacrali, posticis multo majores esse (3), utramque radicem in regione dorsali sibi res-

(1) In Cuniculis et Canibus columnae inferiores et superiores aut sibi respondent, aut saltem voluminis discrimen haud evidans est.

(2) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. II, p 788.

(3) Cfr. Idem, l. c. Tom. II, p. 494 et 773.

respondere, dum vero radices posticae, quae nervos brachiales constituunt, radices anticas majori evolutione antecellere dicuntur (1). Hinc itaque, si vera foret Bellingerii sententia, in regione lumbari et sacrali vigere deberet flexio, sed unicuique, artis anatomicae etiam parum perito, innotuit, quantam vim musculi extensores, in regione pelveos siti, exerceant ad totum corpus erectum servandum.

Sin, ab altera parte, ad nervorum brachialium radices posticas magis evolutas attendamus, ex mente Bellingerii statuendum esset, ibi, prae aliis motibus, extensionem frequentiorem esse, quum tamen satis superque constat, sive numerum musculorum flexorum cum numero extensorum comparemus, sive officia, quae extremitatibus superioribus in homine incumbunt, perscrutemur, plurimos harum motus omnino ad flexionem esse reducendos, ad quam opinionem etiam accedere gaudeo Desmoulins (2).

Ex dictis itaque vidimus, in omnibus locis, in quibus plurimi reperiuntur musculi, et in quibus idcirco major energia movens requiritur, etiam ner-

(1) Cfr. P. A. Béclard, *Elemens d'Anat. Generale*, Anno 1828, p. 611.

(2) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. II, p. 772. Ait enim: „*les mouvemens des bras les plus energiques se font dans le sens de flexion.*"

nervorum radices anticas ſive inferiores majorem accipere evolutionem; hinc igitur ſequitur, radicibus nervorum brachialium poſticis magis evolutis aliam omnino utilitatem *incumbere*: quod ſi itaque attendamus, in brachiorum extremis tactûs organon ſuam fixisſe ſedem, non amplius mirabimur, nervos, qui plexum brachialem conſtituunt, radicibus poſticis ſenſilibus magis evolutis gaudere, quam alii nervi, qui cum partibus tantum ſolitam ſenſibilitatem communicant.

Haec quoque Bellingerii de radicum et columnarum functione theoria, anatome comparatâ ulterius refutatur; in *Piscibus* enim et *Serpentibus* una tantum radix, eaque abdominalis, quae et motui et ſenſibilitati, licet obtuſiori, praeëst, nervum ſpinalem efformat, ideoque in iis *animalibus*, ex mente Bellingerii, tantummodo conſpicerentur motus flexorii, quod veritati tamen contrarium est, quippe quae quam maxime *corpus erigere et* extendere valent (1).

Neque minus Bellingerii ſententiae obſtant experimenta atque obſervationes pathologicae ſupra jam memoratae (2); etenim, post ſectionem vel destructionem columnarum et radicum *anticarum* ſive inferiorum, omnes perierunt motus, quum tamen,

(1) Cfr. Desmoulins, l. c. Tom. II, p. 479, 774, 781.
(2) Cfr. Caput IV et V.

men, si Bellingerii vera foret hypothesis, tantum vis musculorum flexorum et abductorum deleta esse debuisset, salvâ functione musculorum extensorum et adductorum.

Quae si omnia perpendamus, statuere licet, neutiquam dari nervos, variis motuum speciebus separatim destinatos, sed eandem prorsus efficaciam nerveam omnibus musculis impertiri; omnium enim musculorum contractiones, quibus unice mutatur partium situs, sive musculi hi fuerint flexores, sive extensores, sive adductores, sive abductores, omnes eadem ratione perficiuntur, eandemque sequuntur legem, neque et rarum est, varios hosce musculos ab uno eodemque nervo suos accipere ramos.

Meliori itaque ratione, ni fallor, variae hae motuum species explicandae veniunt ex ossium directione, articulorumque conformatione, nec non ex ratione, qua musculi ossibus inseruntur, ideoque e causa vere mechanica.

§ 4.

Quod si porro ea, quae protulit Bellingerius, attentâ mente prosequamur, protinus apparebit, ea, quae antea statuerat, mox ab eo ipso infirmari: etenim ad suam de columnarum et radicum functione sententiam ulterius probandam symptomata citat, quae, secundum Bellingerium, in

in opisthotono et emprosthotono observantur, quibus examini subjectis, ad miram certe ducitur conclusionem, scilicet:

1°. Efficaciam columnarum et radicum posticarum corporis partes superiores *extendere et abducere*, partes vero corporis inferiores *flectere et adducere*, simulque vesicae urinariae sphincterem relaxare, ani autem sphincterem contrahere.

2°. Columnarum et radicum anticarum efficacia *flecti et adduci* trunci partes superiores, *extendi* vero et *abduci* partes inferiores, simulque vesicae urinariae sphincterem contrahi, ani e contrario sphincterem relaxari (1).

Haec igitur non solum cum iis, quae antea jam statuerat (2), certare deprehenduntur, verum etiam, si haec vera essent, columnarum et radicum natura, miro modo, ita mutati deberet, ut pars columnarum et radicum *superior functiones* praestaret prorsus contrarias iis, quae in parte inferiori locum habent. Ad hanc autem Bellingerii hypothesin refutandam solummodo in animum revocanda sunt ea, quae Capite IV et V observavimus; iis enim evictum est, non solum e columnis et radicibus anticis omnes quoscunque

(1) Cfr. *Revue Médic.* l. c. p. 438.
(2) Cfr. hujus Capitis § 1, et § 2.

que motus proficisci, a posticis vero unice sensibilitatem, verum etiam illud demonstratum habemus, columnarum et radicum dissectionem vel destructionem, sive haec locum habuerit in regione cervicali, sive in dorsali, sive denique in lumbari, eundem semper praestitisse effectum, scilicet eam aut omnes motus, aut omnem sensibilitatem pessum dedisse.

§ 5.

Meliori jure statuit Bellingerius, columnas medullae spinalis laterales (1), nervorumque radices functiones quoque organicas gubernare, quemadmodum nutritionem, circulationem, exhalationem atque calorem animalem, argumentis usus anatomicis et physiologicis; columnas enim laterales, quo ad magnitudinem, in omni medullae spinalis regione sibi similes esse, et in homine et animalibus maximum acquirere incrementum arguit, quodque cum hominum et animalium majori nutritionis momento congruere adserit.

Praeterea statuit, formam medullae spinalis *un-du-*

(1) Praeter columnas anticas et posticas, duas admittit Bellingerius laterales, e quibus utraque nervorum radix etiam filamenta accipere illi videtur. Cfr. *Revue Medic.* l. c. p. 432.

dulatam (1) columnis lateralibus competere, atque ex hac formâ, gangliis analogâ, functionem illis columnis organicam tribuit: hisce *addidit*, nervum glosso-pharyngeum atque Vagum, quos unice vitae organicae addictos putat (2), ex columnarum lateralium parte superiore provenire; unde concludit, columnas has functionibus praeesse organicis.

Verum enim vero, licet functiones, quas medullae spinali nervisque tribuit Bellingerius, haudquaquam denegare velimus, de argumentis tamen, quibus usus est Auctor, monendum, argumentorum vim, quae ex medullae spinalis structurâ petita sunt, difficile a nobis posse dijudicari, quoniam, in hujus organi fabrica describenda, tam multum discrepant scriptores (3).

Quod autem attinet ad ultimum argumentum, ex functione nervorum glosso-pharyngei et vagi petitum, illam conclusionem haud veram esse, contendimus; nervus enim *glosso-pharyngeus* omnino est nervus *vitae animalis*, neque minori jure ad hanc classem pertinet nervi vagi pars illa, quae e medulla oblongatâ provenit: portio nimirum nervi vagi superior functionibus inservit vo- *lun-*

(1) Cfr. G. Bakker, l. c. Tom. II, p. 14 et 17.

(2) „*Qui ne servent qu'à la vie intérieure.*" Cfr. Revue Medic. l. c. p. 434.

(3) Cfr. G. Bakker, l. c. Tom II, p. 13 sqq.

lontariis, quemadmodum voci et deglutitioni, imo stimulata haec portio convulsiones suscitat, quum pars ejus tantum inferior, ceu nervus vitae Organicae, pulmonum, cordis et ventriculi functiones moderetur (1).

Ex horum itaque nervorum origine et natura ad functiones columnarum lateralium organicas concludere haud potuit Bellingerius.

Missis itaque de argumentorum gravitate disputationibus, videamus, quatenus circulatio, nutritio, exhalatio, et calor animalis a medullà nervisque spinalibus dependeant.

§ 6.

Duplex imprimis in corpore humano est functionum genus, cui duplex itidem et diversum respondet systema nerveum: novimus enim, omnes functiones animales ejusdem nominis systemate nerveo moderari, nutritioni vero, circulationi aliisque functionibus, quae ad vitam organicam referuntur, praeësse systema sympathicum (2); hujus quidem rei veritatem docent monstra: prostant enim infantum exempla, qui, licet cerebro et medullà spinali destituerentur, systemate tamen sympathico gau-

(1) Cfr. M. A. Lenhossek, *Physiologia Medicinalis*, Tom. II, p. 192.

(2) Cfr. G. Bakker, l. c. Tom. II, p. 79.

gaudebant, ideoque satis bene nutriti in lucem prodierunt.

Novimus porro, alicujus organi solito majus incrementum vulgo fieri cum alterius organi detrimento, eidemque huic legi utrumque *systema nervoeum* atque functiones inde pendentes obnoxia esse videmus; observantur saepe numero homines, in quibus systema vitae animalis summum perfectionis culmen attigit, quique ideo ingenii acumine atque solertiâ eminent, suppressis functionibus organicis, quum e contra in stupidis functiones organicae, uti nutritio aliaeque plures *optime* et saepe ultra modum perficiuntur, labefactatis functionibus mentalibus. Sic etiam Anglus quidam, studiis nimis deditus, emaciatum et tenue *corpus* secum gerebat; sed, deinceps amentiâ, studiorum causa, correptus, corpus obesum adeptus est; hisce addatur, quod in somno placido, *sopitâ atque* quiescente vitâ animali, corpus optime nutriatur ejusque augeatur pondus. Hinc saepius sane videmus homines, somno longiori *deditos, obesos fieri*: neque et alia desunt documenta systematis sympathici, praecipue in Idiotis, insigniter aucti, simul cum atrophia systematis cerebro-spinalis (1).

Ex dictis itaque patet, diversa haec systemata nervea diversam quoque praestare efficaciam, alterum

(1) Cfr. Hufland, Journal 1820, parte 5, p. 118.

rum scilicet functiones animales, alterum organicas moderari.

Ne autem utrumque systema omnino separatum habeamus, vetat systema Organicum, vario modo cum nervis cerebralibus et spinalibus conjunctum: hinc animi pathemata, licet tantum systema nerveum animale adficiant, vim quoque magnam exercent in functiones organicas; hinc ab altera etiam parte variorum viscerum morbi atque dolores partium, alioquin insensibilium, ad sensorium commune deferuntur (1).

§ 7.

Quae cum vera sint, ultro liquet, non facile adfici alterum systema nerveum, quin functiones, altero systemate productae, simul patiantur, nec non alterum systema alterius efficacià quam maxime indigere ad partium, imprimis externarum, et a centro systematis organici remotarum, conformationem et conservationem rite moderandam (2): ex experimentis nimirum, praecedenti Capite allatis, constitit, sectione medullae spinalis partium temperaturam valdopere diminui; sic etiam ex Trevira-

(1) Cfr. G. Bakker, l. c. Tom. II, p. 82.

(2) Hanc enim ob rem vasis extremitatum prospiciunt plexus e vita animali, brachiales nempe et Ischiadici. Cfr. l. c. p. 79.

virani experimentis patuit (1), dari ipsius sanguinis motum proprium, qui non cordis impulsu producitur, quique tamen per se circulationi haud sufficit, et imprimis medullae spinalis nervorumque efficacia moderatur.

Licet autem non omnis circulatio unice dependeat a medulla spinali nervisque ex ea prodeuntibus, quemadmodum experimenta Flourensii nec non virorum Clarissimorum Vrolik et Thyssen egregie docuerunt (2), certo certius tamen systema spinale magnam exercet in sanguinis circuitum efficaciam imprimis systematis Capillaris (3); *hinc enim* explicari debet, quod membra paralytica non solum sensibilitatem et motum amittere soleant, sed in iis etiam, post aliquod temporis spatium, *impediatur* circulatio, imo quod ipsa extabescant: fatendum tamen, quod in membris paralyticis ad circulationem et nutritionem labefactandam vel *impediendam* simul quoque multum efficere videatur perpetua partium quies, qua *fit*, ut minor *sanguinis* copia, quam in statu *naturali, ad partes* illas de-

(1) Cfr. *Vermischte Schriften*, Tom. I, p. 109: 116.

(2) Cfr. *Bijdragen tot de Natuurkundige Wetenschappen*, Vol. III, N°.1, p. 84 sqq. *verzameld door* H. C. van Hall, W. Vrolik et G. J. Mulder. Cfr. porro Treviranus, l. c. Cfr. Flourens, *recherches experimentales sur les propriétés et les fonctions du système nerveux*, *Paris* 1824, p. 187 sqq.

(3) Cfr. Flourens, l. c.

..ratur, nec non ipse sanguis per vasa rite circulare nequeat; hinc enim membra luxata, oculus coecus ejusque nervi, atque aurium musculi, amissa harum partium debita functione, extabescunt; dum vero Funambulorum et Saltatorum crura, Cantoris larynx nec non Gladiatorum et Fabri ferrarii brachia quam maxime evoluta deprehenduntur.

Ex dictis itaque sequitur, systema spinale quoque circulationi, nutritioni aliisque systematis Capillaris functionibus omnino praeësse simulque magnam vim habere in calorem animalem, qui et a respiratione et a debito harum functionum processu dependet.

§ 8.

Hanc quoque medullae nervorumque spinalium vim in partium conformationem, circulationem et nutritionem egregie exposuit vir Clar. Schroeder van der Kolk (1): duobus nimirum ovium monstris cultro subjectis, sequentia observavit.

„ In utroque," sic ait vir Clarisfimus, „ medulla spinalis et nervi ex illa ducti ad ultimam „ vertebram dorsalem terminabantur, quae vertebra „ prorsus clausa medullae finem imposuit; caput „ cae-

(1) Cfr. *Observationes Anatomico-Pathologici et Practici Argumenti*, *Fasc.* I, P. 9.

„ caeterum et thorax et intestina sana erant. In
„ altero monstro pelvis cum duabus vertebris lum-
„ baribus aderat, quarum cavum alia medulla spi-
„ nalis, cum superiore parte non cohaerens, op-
„ plebat, ex qua iterum nervi *Ischiadici et cru-*
„ rales proficiscebantur; in hoc specimine ossa,
„ musculi et vasa pedum bene erant conformata:
„ in altero vero specimine pelveos exiguum rudi-
„ mentum aderat sine ulla medulla vel nervis ex
„ ea ductis, et licet pedes adessent, tamen ossa
„ potius rudimenta ossium nondum formata dici
„ poterant, neque musculi, neque nervi *in pedi-*
„ bus aderant, sed potius telae cellulosae rubrae
„ et sanguineae rudis compages illorum locum oc-
„ cupabat; quod argumento est, *deficientibus ner-*
„ vis, partes non rite formari potuisse" (1).

Hisce omnibus addidit Auctor Clarissimus tres casus paralyseos extremitatum inferiorum (2), in quibus evidentia nutritionis impeditae documenta aderant; nervi enim Crurales et *Ischiadici* ipsi tenuiores facti erant, in pede *magna musculorum* observabatur emaciatio, ipsa pinguedo coloris alie-
ni

(1) Plura ejusmodi exempla prostant, quibus hujus systematis nervei efficaciam in organorum formationem luculenter habemus expositam. Cfr. Tiedeman, *Zeitschrift fur die Physiologie*, 3de *Band* 1 *Heft*. Le Gallois, *experiences sur le principe de la vie. Annales des sciences nat.*, Tom. XII, p. 6 sqq.

(2) Cfr. Clar. Schroeder van der Kolk, l. c. p. 7 sq.

ni albidioris deprehendebatur, vasa imprimis arteriosa non solum multo angustiora, sed et ossificata conspiciebantur, licet per reliquum corpus hujus ossificationis vestigia haud observarentur.

In alio casu inter tunicam arteriarum internam et muscularem materies spissa effusa erat; in alio denique casu musculis partis corporis superioris naturalis erat conditio, mox autem sub vertebra prima lumbari longissimus dorsi, musculi interspinales, omnesque pedum musculi colorem pallidiorem degeneratum, pinguedinis instar flavescentem, monstrarunt, evidenti igitur argumento, sublatâ vi nervea, etiam nutritionem harum partium omnino fuisse pessum datam atque alienatam.

Hisce denique accedunt experimenta, quibus omnino evictum est, omnem partium inflammationem, suppurationem, atque vulnerum conglutinationem etiam nervis moderari spinalibus (1); hinc enim exsurgit explicatio, quare, impeditâ actione nerveâ, vulnerum haud sequatur nec inflammatio, nec suppuratio, nec conglutinatio; quare animi pathemata tam frequenter suppurationem benignam in malignam ichorosam convertant, quippe quod, turbatâ horum nervorum actione, etiam illa secretio degeneretur, quae phaenomena egregiis argumentis fusius exposuit Clar. van der Kolk (2).

Quae-

(1) Cfr. Clar. v. d. Kolk, l. c. p. 14: 18.
(2) Cfr. Idem l. c. p. 37: 41.

Quae si omnia colligamus, concludere licet, medullam spinalem nervosque ex eâ prodeuntes non solum partium motui et sensibilitati inservire, verum etiam circulationem, calorem animalem, omnesque vasorum Capillarium functiones moderari.

§ 9.

Corollarium, ex omnibus disputatis petitum.

1°. Nervus primi paris sensibilitate generali destituitur, naribus tamen sensibilitatem *olfactoriam* tribuit.

2°. Nervus trigeminus ex una tantum *portione*, eâque *majori* constat; ab ejus ramulis omnis sensuum capitis, nec non ipsius faciei sensibilitas generalis pendet; *sensuum nervum* sistit adjutorium; organorum etiam, quae petit nervus quinti paris, nutritionem gubernat; ramus lingualis nervum vere gustatorium exhibet.

3°. Portio minor distinctus est nervus, ad nervum trigeminum, sive portionem majorem, haud

haudquaquam pertinet, ſed nervus musculorum masticationis vere motorius habendus est.

4°. A nervo Faciali omnes quicunque faciei motus pendent; per ſe inſenſilis est, et ex nervis vicinis ſentientibus ejus ſenſibilitatis phaenomena explicanda ſunt.

5°. Radices nervorum ſpinalium et columnae medullae ſpinalis anticae unice motui; radices et columnae posticae unice ſenſibilitati praeſunt.

6°. Vis flectendi et abducendi non quaerenda est in radicibus nervorum et columnis medullae ſpinalis anticis, neque vis extendendi et adducendi in posticis; ſed diverſae hae motuum ſpecies explicantur ex oſſium directione, articulorum conditione, ideoque e cauſâ mechanicâ.

7°. Systema ſpinale veram efficaciam exercet in circulationem, nutritionem, abſorptionem, ſecretionem,

nem, calorem animalem, verbo in omnes vasorum capillarium functiones.

His itaque jam ad finem perductis, accipiatis quaeso Viri Clarissimi! ea, quae ad propositam a Facultâte vestra quaestionem respondenda habebam, quaeque vestrum judicio submittere constitui, sperans fore ut ea, quae vires meas superarunt, si fieri queat, benevolo et indulgenti animo condonetis.

„ *Natura nihil frustra fecit, nec quidquam*
„ *neglexit.*"

AP.

APPENDIX,

CAPITI V°. ADJUNGENDA (1).

---

§ 1.

Licet ex argumentis, praecedenti capite allatis, nullum amplius dubium remaneat de columnarum medullae ſpinalis functione diverſa, ſequentia tamen experimenta docebunt, concluſiones ex vivi-ſectionibus ſummâ omnino cum prudentia eſſe derivandas, nonnullaque experimenta, primo intuitu, dubia et ſibi invicem prorſus oppoſita videri poſſe, quae non, niſi accuratisſimâ phaenomeno-rum

(1) Ipſâ commentatione Facultatis Medicae judicio ſublatâ et praemio jam ornatâ, experimenta ad medullae ſpinalis naturam fuſius indagandam et exponendam ulterius proſecutus ſum, quorum phaenomena, prouti adhucdum incognita, noſtrae commentationi omnino inſerenda putavit Facultas.

rum comparatione cum caufis, folvi et explicari posfunt.

Quis enim a priori crederet, quis cogitaret, extremitates posticas, *femel convulfas*, continuo adhuc fpasmis posfe convelli, disfectis licet *dein* columnis inferioribus moventibus, imo disfectâ totâ quantâ medulla fpinali? Rem tamen ita fefe vere habere, ex fequentibus patebit.

§ 2.

I. Tres canes, adfumtis VIII granis pulveris *nucis vomicae*, convulfionibus adficiebantur, quae omnes corporis musculos vehementer corripiebant, postquam haec animalia per aliquod tempus, fibi relicta fuerant, columnas inferiores rite disfecui (1). Quis jam, hac peracta operatione, extremitates posticas quietas et relaxatas mecum non exfpectasfet? Eventus tamen exfpectationi haud respondit; extremitates quippe posticae femper eadem fere cum vehementia, qua anticae, ad mortem usque convellebantur.

Au-

(1) Ut taediofa evitetur, ad fingulum experimentum, repetitio, monemus, in omnibus his experimentis medullam fpinalem atque duram meningem *fimul* disfectas fuisfe, ut nulla conjunctio remaneret inter partes disfectas: porro fectio femper inftituta est in parte columnae vertebralis media. Canes, in quibus experimenta capta funt, vitam agebant 8: 12 hebdomadum.

Autopsia cadaveris columnas inferiores prorsus disfectas monstravit.

Quod si jam ex his experimentis concludatur, conductionem horum motuum convulsivorum columnis medullae superioribus, adhuc integris, quasque *unice sensiles* probavimus, tribuendam esse, ista conclusio foret falsissima: attendamus modo ad sequentia experimenta.

II. Post usum VIII granorum pulveris *nucis vomicae* tres canes vehementibus corripiebantur convulsionibus, quae postquam per aliquod temporis spatium duraverant, *totam medullam*, (columnas superiores et inferiores simul) disfecui: post hanc sectionem extremitates posticae eadem ratione, qua anticae, commoveri pergebant.

III. Quatuor canes, ingestis VIII granis pulveris *nucis vomicae*, per omne corpus vehementi ratione convellebantur: postquam convulsiones illae per aliquod tempus duraverant, medullam spinalem non tantum disfecui, verum etiam medullae partem, $\frac{1}{4}$ et $\frac{1}{2}$ poll. magnitudinis, fustuli. Hac itaque ratione utrumque medullae disfectae extremum probe a se invicem erant remota, et ne dura quidem meninge amplius conjuncta. At! nihilominus tamen pedes posticae aeque graviter concutiebantur ac anticae.

§ 3.

Horum autem phaenomenorum ſingularium ratio non prorſus inexplicabilis habenda est; etenim non eodem redire videtur, utrum columnarum inferiorum, vel totius medullae ſectio *post*, an vero *ante* nucis vomicae deglutitionem et convulſionum eruptionem inſtituatur: *disſectis* nimirum *prius columnis inferioribus*, extremitates tantum anticae convellebantur, quietis prorſus posticis (1); quum vero, *prius adſumto veneno*, et *obortis jam musculorum ſpasmis*, ſectio columnarum inferiorum, vel etiam totius medullae, convulſiones extremitatum posticarum neque mitigavit, neque numero pauciores reddidit (2). Ut autem haec phaenomena ſolvere valeamus, ad ſequentia attendere oportet.

Medullae ſpinali, quae alteram ſystematis nervoſi partem *centralem* conſtituit, propria quoque agendi facultas adſcribenda videtur (3); pro hac enim ſententia quaedam pugnare videntur:

1°. Medulla ſpinalis citius *incrementum* capit quam

(1) Cfr. Cap. V, § 6; Experim. V.

(2) Cfr. hujus appendicis § 2. Experim. I, II, III.

(3) Per hanc autem medullae ſpinalis proprietatem *illam* intelligimus energiam moventem, ſibi jam ab origine innatam, qua quidem *ipſa* motus exercere valet, eosque tamen inordinatos, quae vero energia movens in ſtatu ſano ſenſorio communi ſubjecta est, atque mentis imperio gubernatur.

quam anencephalon; in foetu nimirum trium mensium medulla nervis jam instructa est spinalibus, utroque cerebri hemisphaerio tantum saccum fere cavum referentibus (1). Medulla spinalis igitur, separatim formata, propria vi innata pollere videtur.

2°. Motus involuntarii et inordinati, qui in anencephalis sunt observati.

3°. Motus illi leviores et inordinati, in animalium cauda aliquando adhuc observati, dissectâ licet prorsus medulla (2).

4°. Ipsa denique systematis spinalis, tanquam *organi centralis*, dignitas.

§ 4.

Jam itaque conclusio non prorsus temeraria videbitur, qua statuimus, medullam spinalem suam et sibi propriam exhibere agendi facultatem, qua fit, ut, semel morbose incitatâ columnarum inferiorum energiâ movente, columnae hae reagere pergant, licet a sensorio communi, sectionis ope, probe fuerint separatae. Atque ex hac columnarum inferiorum natura pro maxima parte explicanda videtur observatio, *dissectionem columna-*

rum

(1) Cfr G. Bakker, l. c. Tom. II. pag. 160.

(2) Cfr. *Append.* § 5, Experim. IV et V.

rum inferiorum, imo etiam *totius medullae*, haudquaquam tollere convulſiones extremitatum posteriorum (1); regula nimirum illa generalis *remotionem cauſarum* et *impeditam conductionem ſimul tollere effectus*, licet univerſe vigeat, in plerisque tamen adfectionibus nervoſis non valet, quoniam cauſa adfectionis nervoſae diu jam remota eſſe potest, haud mutatis tamen et imminutis adfectionis primariae ſymptomatibus.

§ 5.

Hisce jam peractis, inverſam quoque periclitandi methodum non inutilem duxi, qua ſcilicet, *primum* disſectâ medullâ ſpinali, *dein magna* nucis vomicae quantitas animalibus ſuppeditata est, ut etiam ab hac parte experimentorum phaenomena obſervarentur. Hanc quoque explorandi rationem ſua utilitate non destitutam fuisſe, ſequentia docebunt.

IV. In duobus canibus disſecui *medullam* ſpinalem; post hanc ſectionem extremitates posticae prorſus inſenſiles et paralyticae factae ſunt, cauda tantum, in hoc et ſequenti experimento, nonnunquam leviter et inordinate movebatur, quae tamen mox paralytica etiam facta est: ſub hac

(1) Cfr. *Append.* § 2, Experim. I, II, III.

hac conditione animalibus propinata sunt grana XX pulveris *nucis vomicae*, cum lacte mixtae. Post triginta quinque minuta, primum partes anticae corporis, mox etiam posticae convulsionibus adficiebantur, quae, tum in antica tum in postica corporis parte, ad mortem usque, eadem fere cum vehementia, perdurarunt.

V. In tribus canibus dissecta est medulla spinalis duobus in locis, ut hac ratione pars medullae (fere ½ poll. magnitudinis), libera facta, tolli potuerit; hac sublata, utrumque medullae extremum, ad ½ poll. distantiam, erat sejunctum, ne sanguinis quidem coägulo interjacente. Sub hac conditione canes adsumserunt grana XX pulveris *nucis vomicae*, cum lacte mixtae: post 25 minutorum spatium primum corporis partes anticae, mox vero quoque posticae spasmis adficiebantur, qui, ad mortem usque, omnes corporis musculos agitarunt. Autopsia cadaveris medullam nullibi inflammatam sed albidam et naturalem ostendit.

Haecce experimenta, *saepe numero* repetita, eadem semper phaenomena ostenderunt, ita ut de facti veritate neutiquam dubitemus: hujus autem rei explicationem difficiliorem profitemur; queritur enim:

1°. Quomodo, separatâ et divisâ prorsus medullâ, extremitates posticae, *jam* relaxatae,

tae,

tae, *dein* convelli queant spasmis *nuce vomica* productis (1)?

2°. Cur, adhibitis post dissectionem columnarum inferiorum granis VI pulveris *nucis vomicae*, extremitates posticae paralyticae manserint (2)? quum contra, ingestâ hujus *dosi majori*, (*granis XX*), neque medullae spinalis sectio, neque partis intermediae remotio, aliquid contulerint ad spasmos extremitatum posticarum vel impediendos vel mitigandos (3).

§ 6.

Causa primae quaestionis ex duplici fonte redundare posse mihi videbatur:

a. Vel pendent phaenomena a *sanguine, nuce vomica inquinato* et ad partem medullae spinalis dissectae posticam, arteriolis nutrientibus delato, quo *fieri potest*, ut, recepto stimulo sanguinis venenati, in actum ducatur pars illa medullae spinalis, quae a sensorio communi caeteroquin bene separata est.

b. Vel convulsiones, quibus plectuntur extremi-

(1) Cfr. *Appendix*, § 5, Experim. IV et V.
(2) Cfr. Supra Cap. V, § 35, Experim. V.
(3) Cfr. *Appendix*, § 5, Experim. IV et V.

mitates posticae, post usum *nucis vomicae*, dissectâ licet prius medulla, pendere possunt a *conjunctione* nervorum spinalium inter semet ipsos, aut ab horum conjunctione cum nervis sympathicis magnis, *ramulorum communicantium* ope (1), quo accidere potest, ut hac viâ adfectio spasmodica deferatur ad partem medullae dissectam; vel ad nervos, infra sectionem, e medulla prodeuntes.

Ut autem rite distingueretur, utrum *sanguinis inquinata conditio*, an vero *catena* nervorum spinalium *communicans*, tanquam caussa phaenomeni esset agnoscenda, sequentia experimenta instituenda excogitavi (2).

§ 7.

VI. In duobus canibus dissecta est medulla spinalis; jam grana XX pulveris *nucis vomicae*, cum carne mixtae, *siccâ formâ*, ingesta sunt: post horas $2\frac{1}{2}$ vehementer convellebantur primo extremi-

(1) Hi enim nervos spinales superiores cum inferioribus conjungunt, dum etiam a singulo nervo spinali ramulus communicans dimittitur ad nervum sympathicum magnum, quapropter catenam nerveam constituunt, nullibi interruptam.

(2) Chemica sanguinis analysis hic non multum lucis spargere potest, quoniam nullum exsistit *reagens specificum* ad *nucem vomicam* ejusve principium *strychninum* detegendum.

mitates anticae, mox vero etiam posticae. Remotis nunc arcubus vertebrarum lumbarium, medulla ſpinalis, a vertebra dorſali nona ad caudam equinam usque, ablata est, et eo *ipſo* momento omnis ſpastica conditio extremitatum posticarum erat reſoluta, et ad mortem usque ita manebat, integrâ licet post hanc operationem catenâ nervorum communicante.

VII. In duobus canibus disſecta est medulla ſpinalis; dein ingesta ſunt, *ſiccâ formâ*, grana XX pulveris *nucis vomicae*, cum carne mixtae. Post horas circiter tres primo extremitates anticae convulſionibus adficiebantur, mox etiam posticae; quum hae convulſiones per aliquod tempus duraverant, ſtilo ferreo medullae ſpinalis pars postica ad ſacrum usque destructa est, protinus cesſantibus extremitatum posticarum convulſionibus. Monendum, ſub ipſius ſtili ferrei agitationibus in medulla, extremitates posticas fortius etiam convulſas fuisſe.

VIII. In duobus canibus primum disſecta est medulla ſpinalis, dein pars medullae, a vertebra dorſali nona ad caudam equinam usque, remota est; jam ingestis granis XX pulveris *nucis vomicae*, cum lacte mixtae, post horae circiter dimidiam vehementes obſervabantur convulſiones extremitatum anticarum, quietis et relaxatis ſemper posticis.

IX. In duobus canibus disſecta est medulla ſpinalis

nalis et destructa dein stilo ferreo medulla spinalis, a vertebra dorsali nona ad sacrum usque; sub ipsa destructione extremitates posticae ut et cauda fortiter et inordinate movebantur, post destructionem autem paralyticae erant. Jam ingesta sunt grana XX pulveris *nucis vomicae*, cum lacte mixtae; post triginta fere minutorum spatium extremitates anticae convulsionibus plectebantur, quietis semper posticis, quae relaxatae et haud commotae ad mortem usque observabantur.

§ 8.

Ex his igitur sequitur, integram conditionem catenae nervulorum communicantium nihil contulisse ad morbosos *nucis vomicae* effectus, sive in medullae partem dissectam, sive in nervos extremitatum posticarum, deferendos, qua propter ex hac causa quaestio proposita explicari non potest. Restat igitur, ut in *sanguine venenato* et arteriolis nutrientibus ad medullae partem abscissam delato ponamus causam, cur, post dissectam medullam et post ingestam dein *magnam* nucis vomicae quantitatem, extremitates posticae aeque ac anticae spasmis adficiantur (1). Hanc saltem opinio,

(1) Cfr. Appendix Hageriana IV et V.

nionem non arbitrariam esse, ex sequentibus ulterius patebit.

Ingestâ nuce vomicâ, convulsionum eruptio post longum satis temporis spatium observatur (1); spasmi igitur post peractam demum absorbtionem oboriuntur.

Canes famelici, in quibus absorbtionis vis et efficacia optime viget ad vires corporis, longâ inediâ fractas, restaurandas, citius veneno ingesto adficiuntur, quam alii, aliquot horas ante venenum ingestum cibo bene nutriti.

Porro et illud utique notatu dignum est, nucem vomicam, *cum lacte* propinatam, longe citius praestitisse effectum, quam *cum carne siccâ formâ* ingestam (2); in priori enim casu noxia materies statim jam vasis absorbentibus suscipi et in humorum alveum transmitti potest, quum contra venenum, *carni siccae involutum*, et absque masticatione avide deglutitum, primum succo gastrico, magnâ copiâ jam secernendo, emolliri et dein solvi debet, ut tandem absorberi queat.

Hisce addantur observata, ex quibus innotuit, venena, aquâ aliove vehiculo soluta, duodecies citius exserere effectus, quam siccâ formâ propina-

(1) Post horae scilicet dimidiam, imo post duas et tres horas. Cfr. Append. § 5, Experim. IV et V. § 7, Experim. VI, VII, VIII, IX.

(2) Cfr. Append. § 7, Experim. VI, VII, VIII, IX.

nata (1), atque ingestum Opium, dissectis licet antea ventriculi nervis, eadem ratione suos praestitisse effectus, ac si nervi non dissecti fuissent (2): sed et plura alia documenta adsunt, quibus nostra prolata opinio ulterius comprobatur; solutio enim nucis vomicae aquosa, directe, per venam jugularem, cum sanguine mixta, vel vulneribus applicita atque in vesicam urinariam immissa, et sic, *absorbtionis ope*, in humorum alveum introducta, citius vel serius convulsiones produxit, ne sectione quidem medullae spinalis, pone foramen occipitale magnum, ullo modo impediendas aut mitigandas (3).

§ 9.

Ex hac igitur cognitione etiam explicatur altera, quae remanet, quaestio, cur scilicet grana VI pulveris nucis vomicae extremitates posticas, post medullae sectionem paralyticas, haud adfecerint (4), commotis vero et convulsis iisdem extremitatibus, antea probe solutis et relaxatis, post usum granorum XX nucis vomicae (5); omnis enim

(1) Cfr. Lund, l. c. pag. 102.

(2) Cfr. Lund, l. c. pag. 103.

(3) Cfr. M. Orfila, *Traité des poisons, ou Toxicologie générale*, Tom. II, pag. 352 sqq. (Edit. ult.)

(4) Cfr. supra, Cap. V, § 55. Experim. V.

(5) Cfr. Append. § 65 Experim. IV et V.

enim discriminis ratio a *majori minorive* ingesta dosi derivanda videtur: vero simile nimirum est, sanguinem hac minori dosi non satis fuisse inquinatum, qua propter sanguis non sat fortiter adficere potuit partem illam exiguam medullae spinalis, quae a sensorio communi erat separata.

§ 10.

Tandem ex nostris experimentis simul illud evictum habemus, venena, quae in sensibilitatem et energiam moventem agunt, (uti nux vomica aliaque), non ita directe nervos, sed praecipue medullam spinalem aggredi; destructio nimirum vel remotio medullae spinalis simul et quidem subito sustulit spasticam conditionem extremitatum posticarum, paullo ante vehementer commotarum, integris licet harum nervis atque haud interrupto nervulorum communicantium inter se commercio (1).

Porro destructio vel remotio medullae *spinalis*, ante ingestam nucem vomicam, impetus spasmodicos extremitatum posticarum impedivit (2).

Ut autem hujus rei veritas ulterius pateret, in duobus canibus dissecti sunt utrique *nervi* extremitatum posticarum, crurales nempe et ischia-

dici,

(1) Cfr. Append. § 7, Experim. VI et VII.

(2) Cfr. l. c. Experim. VIII et IX.

dici, hi in incisura ischiadica majori, illi in regione inguinali sub ligamento Fallopii: jam ingesta est drachma una pulveris nucis vomicae cum lacte; post 25 minuta musculi corporis antici ut et cauda horridis convulsionibus adficiebantur, relaxatis semper cruribus sub articulatione genu; femora aliquando leviter movebantur, et quidem propterea, quoniam, dissectis nervis cruralibus et ischiadicis, prope illorum exitum e pelvi, musculi iliaci interni, Psoae majores et minores aliique, prouti in ipso abdomine nervos non dissectos accipientes, paralytici facti non erant (1). Paralytica autem *crurum* conditio, et quae supra attulimus, (2) sufficere videntur ad demonstrandum, imprimis medullam spinalem, motuum muscularium organon centrale, nuce vomica adfici, non ita directe nervos. Huic optime convenit, quod in animalibus, arsenico aliove veneno exstinctis, tantum medulla spinalis venefica reperiatur, innocuis reliquis corporis emortui partibus, ita quidem, ut deglutitio hujus medullae in aliis animalibus evidentia veneficii symptomata inducat (3).

§ 11.

(1) Phaenomena, memoratis analoga, insecuta sunt, si nervi erant ligati.

(2) Cfr. etiam Append. § 7. Experim, VIII et IX.

(3) Cfr. Lund, l. c. pag. 112.

§ 11.

Conclusio.

Quod si omnia, quae in hacce *appendice attulimus*, animo volvamus, sequentia inde colligenda veniunt.

1°. Medulla-spinalis propriam et sibi innatam possidet energiam, qua fit, ut haec, *semel* nuce vomica incitata, musculos convulsive movere *pergat*, licet dein prorsus fuerit dissecta (1).

2°. Hinc, si inquiratur in columnarum moventium functionem, dissectio instituatur *ante* venenum ingestum, atque dosis veneni exhibendi sit *modica*, ne ad falsas ducamur conclusiones.

3°. Nux vomica absorbtionis viâ in sanguinem deducitur, atque circulationis ope systema nervosum adficit (2).

4°. Nux vomica non directe in *nervos* agere videtur, sed praecipue in *medullam spinalem*; ex qua, tanquam ex foco, morbosa conditio ad ipsius nervos dimittitur (3).

5°. Hinc medulla spinalis organon centrale est et princeps motuum muscularium.

(1) Cfr. Append. § 2, 3, 4.
(2) Cfr. Ibidem, § 8.
(3) Cfr. Ibidem, § 10.

ERRATA.

Pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
11	19	evendenti	evidenti
16	16	Magendie	Magendie
16	19	aut	ast
18	8	trigimini	trigemini
19	16	Experment:	experiment:
19	25	dolo	doleo
20	12	organan	organon
21	21	Magendi	Magendie
23	20	fidelisſimo	fidelisſimo,
24	11	alicujusque	alicujus
26	16	econtrario	e contrario
35	1	ſenfibilitate	ſenſibilitate
41	23	§. 20	§. 21.
45	2	eumdenque	eundemque
46	21	*ſenſibiliatis*	*ſenſibilitatis*
53	16	*nervi*	nervi
59	18	*Venetico*	*Venatico*
59	23	conſpicuae	conſpicue
59	24	fuit	fut
65	18	econtrario	e contrario
66	12	tectum	tectus
70	26	*die*	*des*
76	1	diſectis	disſectis
77	28	per asterico	asterico
79	11	produerunt	produxerunt
81	6	phoenomena.	phaenomena
84	10	potulit	protulit
90	27	VI et VII.	6 et 7.
93	5	(1)	(2)
95	9	quibus	quibus,
104	ult.	*Cujus*	*Hujus*
123	27	*ſont*	*font*
145	26	queritur	quaeritur.

COMMENTATIO

DE

PLATONIS PHAEDONE.

ISAÄCI DE VULLER,

IN ACAD. RHENO-TRAJECT. PHIL. THEOR.
ET LITT. HUM. CAND.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM;

„ *Disputatio de Platonis Phaedone, qua primum sermones Socratis cum amicis breviter, sed tamen apte et ex dialogi ratione, enarrentur: tum petantur inde et explicentur, quae ad animi immortalitatem probandam prolata sunt argumenta: tandem quae sit eorum argumentorum in* Philosophia theoretica *vis et auctoritas, efficiatur.*"

Quae, pariter atque Arnoldi Jani van Beeck Calkoen *de hoc argumento disputatio, praemio digna judicata, sortibus jactis, aureum reportavit nummum.*

PRAEFATIO.

Quaestio, a vobis, viri Clarissimi, hoc anno proposita, continuo me allicuit ad scribendum, sed deterruit inde simul. Sciebam enim quot et quantae difficultates essent superandae juveni in Platonis sacris ἀμυήτῳ καὶ ἀτελέστῳ; fructum vero cogitans, qui ex ipsius tractatione redundaret, vix me continere potui, quo minus quid possem periclitarer. Quocirca, quod de se Phaedo apud Platonem (1) ait, „ἀτεχνῶς ἄτοπόν τι μοι πάθος παρῆν, ὁμοῦ καί τις ἀήθης κρᾶσις ἀπό τε τῆς ἡδονῆς συγκεκραμένη καὶ τῆς λύπης. Erat tamen quod, rationibus subductis, me ad tentandum invitaret: cui ego eo facilius indulgendum existimavi, quo certius Vos sciebam pro quaestionis gravitate scriptionem meam legendo dijudicandoque benivolentiâ esse prosecuturos, nec vero aegre laturos, si Xenophonteum illud in eam conveniret: ἐμφαίνεταί τι αὐτοῖς νεαρὸν, ὃ κατηγορεῖ τὴν ὀλιγοετίαν. (2)

In ratione investiganda, quam in tractanda hacce quaestione sequeremur, non multum laboravimus. Praemonitis enim quibusdam, tamquam in introitu, cum de Socrate tum de Platone ipsiusque, in quo totus noster versatur sermo, Phaedone, quaestionis divisionem, quippe pertractationi aptissimam, integram servandam duximus, ita ut primum ser-

(1) Phaedone ed. Wytt. p. 5.
(2) Xenoph. Cyrop. I. 4, 3.

sermones Socratis cum amicis breviter sed tamen apte et ex dialogi ratione enarrarentur, deinde peterentur inde et explicarentur quae ad animi immortalitatem probandam prolata sunt argumenta, tandem quae sit eorum argumentorum in philosophia theoretica vis et auctoritas efficeretur; quam postremam partem ita dirimendam putavi, ut minus rationem haberem caeterorum philosophorum vel hos inter et Platonem comparationem instituerem. Licet enim facile largiamur ad rem illustrandam nil magis valere quam comparationes, tamen ut rite has instituas, plura requirantur necesse est, quae tamquam subacta habeas.

Scriptores quod attinet, quos in opusculo hocce conficiendo consului, non tam multis usus sum quam paucis illis, qui iidem essent optimi universe praestare ratus, de lumine ipsius Phaedonis nostrum lumen accendere, quippe de summi Wyttenbachii sententia fons sit petendus non rivuli (1), quem cum, ut ejusdem est sententia, quam maxime intercluderent compendia (2), ita ab his, quoad ejus licuit, abstinendum visum fuit.

Num autem ratio, quam secutus sum, recte se habeat, et, si recte se habet, num eam sim assecutus, Vestrum jam est, Viri Clarissimi, dijudicare, mihi ad opus aggrediendum.

(1) Initia Phil. Plat. auctore cl. Heusdio P. I. pag. 8.

(2) l. l. quocum loco cf. Wyttenb. Opp. T. I. p. 123. T. II. p. 13, Heusd. Init. phil. Plat. I. pag. 171.

CA-

CAPUT PRIMUM.

INTROITUS.

Bellis confectis Perficis, quae vis est bellorum patriae vindicandae caufa et pro libertate fusceptorum atque peractorum, omnia, quaecumque pulcri venustique ftudium referrent, Athenis tamquam Graeciae θεάτρῳ laete et effloruerunt et invaluerunt mirifice. Ut caeteros taceam, qui in hocce genere exftiterunt palmarii, fophistae funt qui hujus laudis fociis prope fuo jure adfcribi mereantur. Eloquentiam enim cum philofophia conjungendo, Athenienfes univerfe pulchri ftudio imbuendo, id asfecuti funt, ut Socrati adeo, quique de hujus fchola exftiterunt, viam muniisfe dicantur. Haec ut fint vera, non falfo tamen in vituperium incurrerunt eo, quod Athenienfes magis delectare, quam emendare ftuduerunt, fapientiae non veritatem fed fictam fpeciem tradiderunt. Talis cum esfet ftatus Athenarum, venit tamquam a coelo demisfus Socrates, qui

qui ſophiſtarum faſtum retudit atque exagitavit, homines, qui ſe ad ſuam diſciplinam applicarent, ab opinionis inanitate ad ſcientiae veritatem revocavit, admonuitque ut ſe ipſos noſſe diſcerent, ne ultra humani ingenii vires ſapere conarentur, et, si in aliqua re proficere vellent, periti *eſſe* potius quam *videri* ſtuderent (1). Ita, auctore Socrate, philoſophia a *θεωρίᾳ* ad *πρᾶξιν* deducta est, deque iis, quae hominem quam proxime attingunt, de vita et moribus, rebus bonis et malis quaerere est coacta (2), quo non *utilius* tantum, ut vulgo putatur, hominumque vitae accommodatius, ſed reapſe *ſublimius* esſe coepit philoſophiae propoſitum (3). Num autem recte ſeſe habeat (4) „coelestia vel procul esſe a nostra cognitione remota, vel ſi maxime cognita ſint, nihil tamen ad bene vivendum conferre" (5), non est quod hoc lo-

co

(1) Wyttenb. Op. T. I. p. 98.

(2) Xenoph. Memor. I. 1. 16.

(3) Cl. Heusd. In phil. Plat. I. p. 53.

(4) Non rectè ſeſe habere auctor est Moſes Mendelſohnus in libro cui titulus Phaedon, p. 8.

(5) Cicer. Quaest. Acad. I. 4. Quae Varro hoc capite de Socrate disputat lectu ſunt dignisſima, uti et ea quae usque ad c. 10. traduntur quibusque doctrina Platonis universè exponitur, collatis iis, quae habentur de Rep. I. 10. ubi *Africanus* „Quo etiam ſapientiorem, inquit, Socratem ſoleo judicare, qui omnem ejusmodi curam depoſuerit; eaque quae de natura quaererentur, aut majora quam hominum ratio conſequi posſit, aut nihil omnino ad vitam hominum attinere dixerit."

eo quaeramus. Universe animadvertere juvat eandem, auctore Socrate, philosophiam subiisse commutationem quam, auctore Polybio, subiit historia.

Ratio, qua Socrates in sermonibus, quibus fere usus est, quae animo habuit insita, cum aliis communicaverit, erat plane *Socratica* (1) et tantum abest, ut solummodo quaestionibus et responsionibus, uti vulgaris est error, contineatur, ut potius Socrati unice sit propria putanda, temporibusque, quibus vixit, quam maxime accommodata; inprimis autem eam opponebat sophistis (2), quo et istud magnam partem pertinet quod ubique fere prae se ferebat: *se nihil scire nisi id ipsum.* Sermones, e quibus ratio haecce Socratica optime percipi potest, uti et tota Socratis philosophia popularis, germanos memoriae prodidisse pu-

(1) Cf. Xenoph. Oeconom. c. 19. „Ἆρα, ὦ Ἰσχόμαχε, ἡ ἐρώτησις διδασκαλία ἐστίν; ἄρτι γὰρ δή, ἔφην ἐγώ, καταμανθάνω, ᾗ με ἐπηρώτησας ἕκαστα. ἄγων γάρ με, δι' ὧν ἐγὼ ἐπίσταμαι, καὶ ὅμοια τούτοις ἐπιδεικνὺς, ἃ οὐκ ἐνόμιζον ἐπίστασθαι, ἀναπείθεις, οἶμαι, ὡς καὶ ταῦτα ἐπίσταμαι."

(2) Cf. Disputatio, quae reperitur in Opere, cui titulus: „Verhandelingen rakende den natuurlijken en geopenbaarden Godsdienst, uitgegeven door Teylers Godgeleerd Genootschap," D.IV. p. 465, maxime Heeren Ideën Vol. VI. p. 362. vers. Belg., cujus verba dignissima sane sunt, quae apponantur. Sunt haec: „Gelijk Philippus eenen Demosthenes te voorschijn riep, zoo de Sophisten eenen Socrates."

putandus est Xenophon in *Memorabilibus Socratis* (1), atque ex iis ita profecit Plato, ut artem illis adhiberet (2) et ita dialogos conscriberet, in quibus Socrates nisi materia, *uti* apud Xenophontem, certe forma occurrit et ratione; spirat, movetur, agit, legentem animat et in actionis societatem inducit (3). Hujus discriminis si caussam quaerimus, animadvertendum videtur, Xenophontem magis fuisse historicum, Platonem vero poëtam. Sed haec mittamus; multo magis non jam ii morantur qui statuunt, Socratem et Platonem toto coelo a se invicem esse diversos, quibus ita videtur respondendum: Platonem, quae a magistro acceperat tantummodo excoluisse et ad majorem perfectionem adduxisse, quaeque generis humani est progressio ad maturitatem, longius *solummodo* processisse. Omnino Plato, quamvis simplicitatem Socraticam (4) *jungat* cum Pythagorica sublimitate, poëtarum elegantiam cum dialecticorum subtilitate, hoc tamen tenet ad extremum, tamquam notam characteristicam, ut sit Socraticus qui verum exquirat maxime

(1) Vid. Valckenarii Adnotat. in Xen. Mem. pag. 315 ed. Schneideri.

(2) Vid. Cl. Hvusd. I. I. p. 171.

(3) Wyttenb. Opusc. I. p. 262.

(4) De simplicitate Socratica Cf. Iselin, Ueber die geschichte der Menschheit, B. III. H. 16.

me (1). Quocirca haec opinio non minus videtur rejicienda, quam eorum, qui Platonem quaecumque ab aliis desumserit, haec omnia et congessisse in unum et conflasse perhibent (2); aliorum hoc est, non Platonis, cujus ingenium velut spiritus omnia animat et alit.

Quodsi quaerimus quibus rationibus Plato vel magistrum Socratem vel Aristotelem discipulum vel quemcunque alium, qui cum ipso comparandus videatur, hos inquam sive superaverit sive ab iis superatus sit, male quaerimus. Talia enim ingenia ponderare, uti nullius est hominis, ita ab eo abstinendum maxime est juveni, cui vix primis labiis, quod dicitur, litterarum sacra attigisse contigit. Si vero quaeras, quibus nominibus ab hoc utroque Plato sit distinguendus, reponendum videatur, quemadmodum Socrates et Aristoteles singuli a patre aliquid profecerunt, quod deinceps in ipsorum philosophiam vim haberet maximam, alter pulchri studium (3), observandi studium

(1) Heusd. l. l. p. 68.

(2) Brucker, Hist. Phil. T. I. p. 664.

(3) Eo refertur quod in Phaedro p. 279 B a Diis precatur: ὦ φίλε Πάν κ. τ. λ. imo in Sympos. 177 D. οὐδὲν ἄλλο se ferebat ἐπίστασθαι ἢ τὰ ἐρωτικά quae cum eo quam proxime sunt conjuncta. Inde ducenda quae in ejus philosophia et nomine et re plane esset nova καλοκαγαθία, nos diceremus, *pulchrum morale*. Quinam de Socratis sententia sit καλο-κα-

dium alter, eadem igitur ratione Platonem etiam aliquid habuisse tamquam singulare et plane suum, poëticam dico facultatem (1), qua non tantum ad dialogos conficiendos, uti vulgo putatur, sed ad philosophiam etiam, quam his exhibuit, profecit maxime. Vidit scilicet prosam philosophiae orationem nimio intervallo a poëseos similitudine avulsam propius denuo ad eam revocandam esse philosophiamque cum ipsa doctrinarum sit pulcherrima (2) non nisi naturali via i. e. pulchritudinis commendatione in hominum ingenia se insinuare posse; quae ratio multo magis videtur probanda quam ratio eorum philosophorum, qui morum praecepta ita tradunt hominibus ut nudis et corpore solutis animis: et, ni fallor, hinc est ducendum quod Plato

a

κἀγαθός, patet inprimis ex Theaeteti p. 185 E, ubi, cum Theaetetus Socrati egregie satisfecisset respondendo et singulares sane probasset ingenii animique dotes, Socrates „ καλὸς γὰρ, inquit, εἶ, ὦ Θεαίτητε, καὶ οὐχ, ὡς ἔλεγε Θεόδωρος, αἰσχρός. ὁ γὰρ καλῶς λέγων, καλός τε κἀγαθός.

(1) Hac de re adeundus idem Heeren. Idd. V. VI. p. 366 et 367, cujus haec videntur citanda: „ In hem drukte het dichterlijke karakter der Grieken zich wijsgeerig uit" et quae plura monet. De vi poëseos in Platonis philosophiam classicus est locus in opere cui titulus: „ Oordeelkundige beschouwing van de stelsels van zedekunde der beroemdste wijsgeeren enz." auctore Garvio, p. 29.

(2) Ruhnkenius eam vocat: „ doctrinarum omnium dominam ac reginam." Op. T. I. p. 90.

a Panaetio apud Ciceronem „ Homerus philosophorum". (1) a Wyttenbachio autem „ aliquis inter prosae scriptores Homerus" vocatus sit (2).

Si forte sint, qui haec et Platonem poëtas a bene constituta civitate exclusisse, non secum invicem conciliari posse putent, festive hos refellisse videtur, de sententia ipsius Platonis, summus Wyttenbachius. Quocirca nullus dubito ipsius verba hic apponere: „ Si quis, inquit, ad aegrotum accedens salivam ei moveat commemorandis laudandisque cibis iis, quorum usum ei medicus interdixerit, nonne ut homicidam pestemque eum abigamus? Atque haec profecto causa fuit cur philosophi poëtas a bene constituta civitate excluderent." (3)

Philosophia Platonis, in quam divisionem sponte recurrerunt recentiores, est tripartita (4). Continetur autem disquisitione de pulchro, de vero et de justo. Is autem in his omnibus, sive pulchrum tractaret, quod fecit in dialogis Eroticis, sive verum, quod fecit in Eleaticis, sive bonum et justum, quod fecit Phaedone et maxime Πολιτίᾳ, in his igitur omnibus sic est versatus, ut, quod magistro sane debebat Socrati, in monito illo Apollinis

(1) Cic. Tusc. Quaest. I. 32.

(2) Vita Dav. Ruhnk. p. 55 Op. Vol. I. p 572.

(3) Wyttenb. Op. V. I. p. 152. coll. Heusd. l. l. p. 142.

(4) Heusd. l. l. p. 71.

illius γνῶθι σεαυτόν tamquam ὁρμητήριον manserit. Luculentissimum hujus rei documentum praebet nobis, de quo jam videtur dicendum, dialogus Phaedon. Quae enim in hoc dialogo disputantur de metempsychosi (1) idearumque aeternitate, quaeque non Socrati sed Platoni videntur attribuenda, de his non ita nude et simpliciter posuit sententiam, sed earum caussas ex ipsa natura animi explicare studuit.

In dialogis Platonis haud sane minimum tenet locum hicce Phaedon: quod non ita temere a me esse pronuntiatum, probat cum argumentum, quod in eo tractatur, quoque nil hominem propius attingit, tum primaria quae in eo inducitur persona, Socrates, isque eo vitae tempore, quo verba a quovis etiam alio prolata animo maxime manent infixa, tum vero, quod minime est negligendum, ratio qua haec omnia tamquam in dramate oculis proponuntur.

De tempore, quo scriptus sit hicce *dialogus*, non plane constat; Wyttenbachius (2) eum a Platone juniore adhuc scriptum esse censet, praeter alia et stilum hoc etiam indicio utens quod provectior aetate terram non in medio esse nec immotam manere, sed circum mundi polum versari statuit in Timaeo; at vero ordo qui in Phaedro desideratur in

(1) Heusd. I. I. p. 78.

(2) In Annot. in Plat. Phaed. p. 298.

in Phaedone autem, uti et in Symposio perfectus est fere; Pythagoreorum sublimitas, quam spirat hicce dialogus cujusque juvenili aetate non ita capax fuit, tum philosophia boni et justi, quam eo uti et maxime Πολιτείᾳ tradidit, suadent hunce dialogum, ab eo provectiore jam aetate fuisse conscriptum.

Jos. Scaliger (1) Phaedonem dialogum quartum primae tetralogiae fuisse statuit. Quamquam non negamus, Platonem dialogos subinde secum invicem junxisse, uti v. c. Theaetetum, Sophistam, Politicum, quae unius sunt colloquii dramata, tamen hujusmodi tetralogias haud cogitasse videtur Plato, et idcirco dialogorum divisio in tetralogias posteriori aetati est attribuenda. Quidquid est, hoc extra omne dubium est remotum, ei conscribendo, uti et Apologiae et Critoni, primariam praebuisse opportunitatem mortem Socratis, cujus dolor eo erat acrior, cum poena, quam subierat, esset injusta. Sic item factum, ut Xenophon Memorabilia sua conscriberet Socratis, quae ejus apologiam rite vocaveris (2). Accusationis capita, quae in hujus operis in-

(1) Ad Varron. de L. L. VI. p. 72.

(2) Vid. Valckenarius l. l. p. 314 qui verba citat quae ipse Xenophon scribit in Epist. XV. p. 38, 10. „δοκεῖ χρῆναι ἡμᾶς συγγράφειν, ἅ ποτε εἶπεν ἀνὴρ καὶ ἔπραξεν καὶ αὕτη ἀπολογία γένοιτ᾽ ἂν αὐτοῦ βελτίστη εἰς τὸ νῦν τε καὶ εἰς τὸ ἔπειτα."

ingressu continuo tradit Xenophon, quippe satis nota, non memoranda videntur; observandum vero, tantum abesse ut haec tamquam causae condemnationis sint habendae ut contra praetextus *dici mereantur*. Causa latebat in ipsius veritatis studio, quo ductus contraxit sibi odia sophistarum aliorumque, politicorum inprimis sive oratorum, quibus inutile erat reliquos cives nimium sapere: qui, eum rationibus nil efficere possent, eum in plebis invidiam vocarunt, et, quod apud eam plurimum valet, innovatae religionis crimine eum arcessiverunt. Caeterum eo etiam in odium incurrit, quod triginta tyrannis sese opposuerat. Haec pluribus jam persequi non licet: illud unum non reticendum, me, quo magis Socratis mortem cogito, eo maxime induci, ut firmiter mihi habeam persuasum, in morte subeunda talem se spectandum praebuisse Socratem, quocum minus recte vel Theramenes (1) vel Cato (2) comparari possint. In illo enim

(1) Judicium de hoc viro exstat in animadvers. ad Disputat. quae inscribitur: *Socrates als burger beschouwd*, door Mr. J. Luzac inde a p. 237-243 ubi et ipse ille locus e Tusc. Quaest. I. 40. quem nos cogitavimus, citatur.

(2) Cic. Tusc. Quaest. I. 30. Catonis *αὐτοχειρία*, quam perperam laudat Cicero, merito reprehenditur a D. Augustino in L. I. De Civ. Dei c. 18. vid. Cic. de Off. I. 31. et Facciol. ad eum l. coll. iis quae inveniuntur in Op. cui titulus: J. F. Hennert Uitgelezene Verhandelingen D. V. p. 150.

enim quid fere aliud admireris, nisi quod vir scilicet *clarus* non miserabiliter diem obierit et extremo luserit spiritu? De Catone fatendum omnino eum pro patria vixisse; quid vero de eo dicam, quod mortem sibi ipse conscivit et patriae salutem suae postposuit? In Socrate longe alia res est, qui, quod sane boni est civis, utve nos loquimur, hominis, uti vixit pro patria, ita et mortem pro ea subiit?

In omni re literaria id mihi semper visum est maximum, sed simul difficillimum, singulis attribuere quae singulis competunt. Ita Phaedonem mihi legenti oborta est quaestio, quid tandem Socrati quid Platoni esset tribuendum in hocce dialogo.

Noveram aliquos eosque haud paucos (1), qui rationibus adducti plura subinde in eo Socrati deneganda, a Platone autem ficta existimarent; meum si quaeris judicium, comparandis secum invicem iis, quae cum apud Xenophontem invenirem in opere saepius, laudato tum apud Ciceronem, qui optime sane de his rebus judicare poterat, quippe cui innotuerint plura Socraticorum scripta, quae ae-

(1) Diog. Laert. v. c. III. 35 ad eumque Menagium, Bruck. I. 563, 658, Moshcim ad Cudworth I. p. 184 quibus addatur Jer. de Bosch in Disp. quae reperitur in opere cui titulus: Verh. rakende den nat. en geopenbaarden Godsd., uitgeg. door Teyl. Godgel. Gen. D. IV. p. 323.

aetatem non tulerunt (1), his igitur fecum invicem comparandis, ex istis difficultatibus me ita expediendum putavi, ut lubens equidem calculum meum adjicerem fententiae Wyttenbachii ftatuentis : „ Quare, ut facile concedo, Platonem in Phaedone multas tribuisfe Socrati argumentorum conclufiones, quae a Socratis ingenio abhorrerent, veluti eas, quae a metempfychofi et ab idearum aeternitate ductae funt: ita minime iis asfentior qui omnia in illo dialogo, ficta nil ejusmodi a Socrate ultimo vitae die disputatum esfe putant." (2)

Haec, Viri Clarisfimi, praemonenda videbantur. Quamvis enim firmiter teneremus, monitum Platonis vel maxime ad nos pertinere: πλεῖον γάρ που, οἶμαι, θάτερόν ἐστιν, ἐάν τις χρῆται μὴ ὀρθῶς ὁτῳοῦν πράγματι, ἢ ἐὰν ἐᾷ· i. e. *plus enim mali est, fi quis re non bene utitur, quam fi eam omnino non attingit* (3), tamen committere non potuimus, quin haec praeluderemus, ne fcilicet illotis, quod dicitur, manibus, ad opus accederemus.

(1) In prima Tusculana maxime c. 29, 30, 41, quocum cf. Wyttenb. Op, V. II. p. 567 et 568.

(2) l. l. p. 563.

(3) In Euthydem. p. 218 F.

CAPUT SECUNDUM.

DIALOGI ENARRATIO.

In dialogo, quem jam breviter enarrare oportet, uti ex inſcriptione ſponte patet, primas agit partes Phaedon. Hic enim, pro arctisſima ipſius cum Socrate et Platone necesſitudine, Echecrati (1) et aliis narrat Phliunte quid ultimo vitae die in carcere a Socrate et praeſentibus amicis dictum actumque ſit. Sed age e dialogi ratione continuo

(1) De Phaedone vid. Groen van Prinſterer Proſopog. Platon, p. 53, deque Echecrate Wyttenb. in Annot. in Plat. Phaed. p. 110 et Groen van Pr. op. cit. p. 66 ſqq. qui pag. 64 de ratione, qua factum, ut Simmiam et Cebetem, Philolai auditores, cum Socrate loquentes fecerit Plato, vere monuit. „ Nimirum, inquit, cum Plato opinionem ſuam argumentis ex intima Pythagoreorum doctrina depromptis probaturus esſet, eos inducendos judicavit, qui, quamvis leviter tantum ipſam tetigisſent et diligentiorem explicationem deſiderarent, tamen de immortalitatis probabilitate aliquid certe ſuſpicarentur."

nuo ſermones tradantur, quos maxime cum Cebete et Simmia Thebanis miscuerit Socrates.

Praemonitis igitur quibusdam, quae ſilentio *praeterire* juvat, Socrates, vixdum vinculis *ſolutus*, cum alia, tum haec inducitur loquens: „ Quam mira, o viri, res esſe videtur quam vocant homines voluptatem; quam mire ſeſe habet ad dolorem ejus contrarium; eo quod ſimul et una homini adesſe nolunt, ſin vero quis alterum ſequatur et capiat, et alterum capere ſemper fere cogitur; quaſi ex eodem vertice ſint ambo connexa. Aeſopum credo, ſi istud animadvertisset, fabulam fuisſe facturum: Deum aliquem, cum voluptatem et dolorem ex discordia in concordiam redigere vellet at non posſet, eorum vertices in idem connexuisſe, ut ſi quis alterum arripuisſet, is alterum quoque neceſſario traheret. Veluti ego, cui modo ex vinculo crus dolebat, nunc ſolutus voluptatem percipio." (1) Haecce Socratis dicta Cebeti non poterant non in *memoriam revocare*, quod nuper ex eo quaeſierat Evenus poëta, quid ſcilicet rei esſet quod Socrates, plane praeter conſuetudinem, ſub ipſum vitae exitum in carminis modum ligasſet Aeſopi fabulas et hymnum in Apollinem; ad quam quaestionèm ita *respondet* Socrates, ut ſe ab omni *ἀντιτέχνου* ſpecie libe-

(1) Cf. Phaed. ed. Wyttenb. p. 7.

berum vindicet, animi religione solvendi causa solummodo eo adductus appareat. In antecedente enim vita saepius ipsi obtigit ejusmodi somnium, quo his verbis appellaretur: o Socrates, fac et tracta musicam! Hoc igitur somnium, philosophiam quippe habens summam musicam, idem facere arbitrabatur, ac facere solent ii, qui currentes, ut currant hortari pergunt i. e. adhortari et insuper hortari ad ei rei operam navandam, in qua jam dudum vitae tabernacula posuerat.

Judicio autem jam facto, et per festum Deliacum mortis termino producto, tandem suspicatus est, num hancce δημώδη μουσικὴν vulgarem musicam i. e. *poësin* Deus significaret. ,, Ita, inquit, primum in honorem ejus Dei, cujus nunc festum agitur, carmen composui: deinde cogitans, poëtam debere, si poëta futurus esset, fabulas componere et non orationes, et me fabularum peritum et artificem non esse, propterea fabularum Aesopi, quae mihi in promtu erant, quasque sciebam, harum eas, in quas primum inciderem, versibus conscripsi. Haec Cebes, refer Eveno, et valere jube, atque consule, ut, si probe sapit, me sequatur. Abeo autem hodie; ita enim Atheniensibus visum est." (1)

Simmias vero, qui cum Eveno nonnihil fami-

(1) l. l. p. 9.

militaritatis contraxerat, eum minime secuturum putabat, quod secus videbatur Socrati, quia, ita reponit, neque Evenus neque alius quisquam, *philosophi* nomine non indignus, mori *recusabit*: ipse tamen se non interficiet; hoc enim nefas esse dicunt. (1) Haecce duo primo obtutu secum invicem repugnantia, Socrates, a Cebete rogatus, ita in concentum redigit, ut primum quidem, quam ob causam sibimet manus inferre nefas putetur, eum certiorem faciat. Rationes, quas affert, duplices sunt. Rem vero ab initio repetamus. „Fortasse, inquit, mirum tibi videbitur hoc (mortem) *solum* aliorum omnium (negotiorum) simplex esse, neque umquam accidere homini, prouti alia *negotia* nonnumquam et quibusdam *hominibus bene vel male accidunt*, ut melius ei sit vivere quam mori: hominibus autem, quibus melius est mori, non fas esse sibi ipsis hoc beneficium conferre, sed alium exspectandum esse beneficii hujus effectorem, mirabile fortasse." (2) Sed ratio ex *interiore philosophia* desumta „nos homines in corpore tanquam in carcere esse inclusos, ex quo effugere non liceat" et magni videtur esse momenti neque intellectu facilis; verumtamen et id mihi, o Cebes, recte dici

(1) l. et p. l. Pro *οὐ μὲν ἴσως* cum Wyttenb. legendum censemus: *οὐ μέντοι ἴσως* In annot. in Phaed. p. 129.

(2) l. l. p. 10. Auctore eodem Wyttenb. legimus *βέλτιον ζῆν ἢ τεθνάναι* in annot. p. 132.

ei videtur, nempe „ Deos esse, qui nostri curam gerant, eorumque nos homines ministros et servos esse." Quare, ut tu servum, qui se ipse, tuo injussu, interficere velit, aegre feras, et, quoad ejus fieri posſit, punias, ita credibile est, non prius decere se ipsum interficere, quam Deus abeundi necesſitatem nobis immiserit, velut eam, quam nunc mihi immisit.

Socrates vixdum tacuerat, quin ecce Cebes alium movet scrupulum. Cum enim Deus curam gerat hominum, nosque ipsius simus ministri et servi, nullo modo assequi potest, qua ratione id recte sese habeat: philosophos mortem aequo ferre animo et plane floccifacere; in stultos quidem id cadere concedit, minime autem in philosophos, qui tamquam prudentisſimi, semper apud eum qui sit melior esse cupiunt. Quibus uti et illis, quae ad Cebetis causam stabiliendam addiderat Simmias, cum se peti animadverteret Socrates, lubentisſimus ad defensionem accesſit; lubentisſimus inquam, nam omnino committere non potuit, quin id veritatis studium, quo per totam vitam ipse erat ductus, in aliis approbaret maxime. At audiamus jam Socratem coram amicis causam dicentem: „ Nisi, inquit, o Simmia atque Cebes, me migraturum putarem, primum quidem ad Deos sapientisſimos et optimos (1) deinde ad homines defunc-

(1) l. l. p. 12. Hunc locum recolenti legendum videbatur πα-

functos, his, qui hic ſunt, meliores, injuste agerem non aegre ferens mortem. Nunc vero hoc teneatis velim, ſperare me ad viros bonos iturum, quamquam ne hoc quidem nimis affirmo. Me autem ad optimos dominos, Deos, venturum, hoc vero, ſi quid aliud, ſumma asſeveratione contendo; quapropter ſortem meam minime conqueror: quin bono ſum animo ſperoque, ſuperesſe aliquid his, qui defuncti ſunt, atque, ut jam diu dicitur, multo melius bonis fore quam malis. Videntur enim, pergit, homines vulgo ignorare philoſophiam nil aliud esſe niſi praeparationem meditationemque mortis (1).

Defenſionis capita huc redeunt: mors est animi a corpore ſolutio, jam philoſophus quaecumque ad corpus pertinent, voluptates, divitias, vestes pretioſas aliaque ejusmodi nihili ducit; relictoque corpore animi tantum curam gerit. Unica porro, cui ſtudet philoſophus, est ſapientia; huic autem omni modo corpus est *impedimento*, quia ſenſibus nihil accurate ac ſincere percipitur atque tum maxime, quid ſit verum, intelligitur, cum a corpore animus ſevocetur, utpote ſenſibus, cupiditatibus aliisque e corpore ſurgentibus turbis mi-

παρὰ θεοὺς ἄλλως τε σοφοὺς καὶ ἀγαθοὺς, vel deleto σοφούς ἄλλως τε καὶ ἀγαθοὺς; illam lectionem vertendo expresſimus.

(1) l. l. pag. 13.

minime impedientibus: justitia autem, pulchritudo, honestas et quaecumque sunt insuper abstracta omnia quae essentiam habent, a mutatione, interitu aut ortu aliena non corporis ope sed sola mente cernuntur. Huic studio vacare nos corpus non sinit, quippe quod morbis, alimentorum quaerendorum necessitate, bellis, seditionibus aliisque ex ejus cura oriundis incommodis, a studio sapientiae semper nos avocet. Apparet porro hinc animum a corpore, quoad ejus licet, separatum verum inprimis cernere, adeoque post mortem maximam nobis obtingere sapientiam: philosophi proinde est, in hac etiam vita, quoad ejus fieri potest, a corpore animum sejungere. Sapientem denique et philosophum virtute oportet esse praeditum: virtus autem, quae vero nomine ita dicitur, nemini potest contingere, nisi qui animum prorsus sejungat a corpore; fortitudine enim is demum vera est instructus, qui a rebus extra se positis nihil plane metuit: temperantia vero, quae vulgo ita vocatur, quod nequaquam se prosternit libidinibus, sed illas parvi habet modestiamque servat, nonne et his duntaxat convenit, qui corpus despiciunt maxime, atque in philosophia vivunt? (r) Verae virtutes animum ab omnibus pravis affectionibus, om-

(r) l. l. p. 20. Meam sententiam proferre si licet, vel delerem σωφροσύνην vel pro sequente τὸ legendum censerem τῷ. Sententia eodem redit.

omnibusque, quae ad corpus pertinent, cupiditatibus purgant. Cum itaque philosophus in id per omnem vitam maxime incumbat, ut animum avocet a corpore; mortis esse commentationem philosophiam apparet: ac proinde tantum abest, ut aegre mortem ferat, ut nihil potius sit ei morte jucundius. (1)

Hac defensione finita et simul probata, dubitare se adhuc objicit Cebes, an post mortem animus sit superstes ac vim et intelligentiam habeat: neque sub ipsum discessum ex corpore, veluti vento, dissipetur et tamquam fumus evanescat; id enim ut sibi persuadeant, haud facile homines adduci. Cui dubitationi digne ut succurreret, ad vetustam confugit traditionem, qua defunctorum hominum animi non aliunde nisi ab inferis venire, et in corpora nascentia ingredi, ac, veluti circulo, ex inferis ad superos, et a superis vicissim ad inferos circumire dicantur (2). In explicanda autem hacce sententia deinceps ita versatur, ut primum ostendat: contraria fieri ex contrariis, veluti pulchrum ex turpi, justum ex injusto, ex minori majus et contra, cum non minus in hominibus quam caeteris omnibus, quae generationem habent, inque tota rerum natura haec constanter observetur lex: contraria non aliunde oriri quam ex contrariis.

Tum

(1) l. l. p. 22.
(2) l. l. p. 23.

Tum illud adjungit inter duo contraria duas obtinere generationes sive progresſiones, ab alteor quidem in alterum, atque in alterum vicisſim ab altero, veluti inter majus atque minus medium obtinent incrementum et decrementum: dicimusque id quidem crescere, illud vero decrescere. His cum ad reliquam disputationem viam ſibi muniisſet Socrates, pulcerrimo sane tranſitu orationem continuavit docens: copulationem, uti a dialecticis vocatur, disjunctorum: vitam et mortem, eodem contineri vinculo, quo ſomnum et vigiliam. Quemadmodum enim e ſomno fit vigilia et contra, atque his duo intermedii sunt ſtatus, obdormiscere nimirum et expergisci, ita vitam et mortem eadem plane ratione ſibi invicem succedere: ac, ut quis vivat, necesſe esſe eum permeet ſtatum, quem vocamus *nasci:* et ut quis mortuus sit, necesſario eum permeandum ſtatum, quem vocamus *mori.*

Itaque, inquit, hoc nobis conſtare videtur: viventes ex mortuis fieri nihilominus, quam mortuos ex viventibus. Quod cum ita ſit, ſufficientem conjecturam hinc haberi, animos mortuorum necesſario alicubi esſe, unde iterum revertantur (1). Niſi enim, pergit, o Cebes, continue altera viciſſim alteris redderentur, quaſi quodam circulo remeantia, ſed directa quaedam progresſio foret, dun-

(1) l. l. p. 26.

duntaxat ex altero in ejus oppositum, neque rursus reflecterentur in alterum, facerentque regressum: omnia tandem, mihi crede, eandem subirent figuram atque affectionem, fierique cessarent. *Veluti* si in somnum caderetur quidem, ab eo vero in vigiliam numquam resurgeretur, minime te latet, omnia tandem eo devehtura, ut fabula Endymionis nugae esse videantur, et nusquam appareat, cum caetera quoque universa somno similiter opprimantur. Proinde si confunderentur quidem omnia, numquam vero discernerentur, Anaxagorae illud repente contingeret: universa *videlicet* esse simul. Eadem ratione, o *amice* Cebes, si, quaecumque vitam acceperint, moriantur, mortua vero cum fuerint, mortua relinquantur, neque iterum reviviscant, an non necessarium est omnino: cuncta demum interiisse, nihilque vivere? Nam si ex aliis quidem viventia fierent, postea vero perirent, quid obstaret, quominus in interitum cuncta consumerentur? (1)

Quae jam Socrates pro animorum immortalitate disseruerat, tantum aberat ut a Cebete impugnarentur, ut ea confirmaret potius, argumento adducto, quo id evidentius pateret. Quale illud sit, paucis accipe; quod *discere* vocamus, nihil aliud est quam *recordari*; videre est illud maxime in iis, qui recta ratione de rebus incognitis figu-

(1) l. l. p. 27.

figuris v. c. geometricis interrogati, ita respondent, ut perspicuum sit, eos rerum earum notiones jam antea animo involutas tenuisse. Quod luculentius etiam patebit, si, auctore Socrate, qui Cebetis suscipit disputationem, animadverterimus, nos non tantum in rebus corporeis sed intelligibilibus etiam et abstractis, uti dicuntur, ex unius in alterius rei cogitationem deferri. Posterius ut probet hoc addit: nos, quamvis res aequales toto coelo differant ab ipsa notione universali aequalitatis, illis tamen percipiendis ipsius aequalis cognitionem reputando accepisse (1), simile hoc illis sit an dissimile, haud magnopere interesse. Nam si quis rem quamdam contemplatus, hac contemplatione aliam reputet, sive haec illi similis sit, sive dissimilis, necesse esse, ut hujus rei recordetur. Interjectis jam quibusdam, quibus id efficitur, undenam et quonam tempore non minus notionem istam universalem aequalitatis quam caetera omnia, quae essentiae nomine insignimus, perceperimus, hanc demonstrationis partem ita concludit: necesse est, animum nostrum essentiae instar prius etiam, quam nasceremur, exstitisse; quae ni exstiterit, frustra utique hic sermo dictus esset. An non ita se res habet, atque aeque necesse est, an-

(1) l. l. p. 30. Cf. Cl. Heusd. Spec. Critic. in Plat. p. 19 ubi hic locus illustratur et restituitur legendo, *αὐτοῦ ἀνάμνησιν γεγονέναι*, pro *αὐτὸ ἂν*: *κ. τ. λ.*

antequam nasceremur, cum hancce tum nostros exſtitisſe animos, et vero, niſi esſentia exſtiterit, neque animos? (1)

His egregie ſane disputatis, et Cebeti et *Simmiae* ejus, quod erat demonſtrandum, non niſi dimidium, videbatur abſolutum, nimirum: animum fuisſe antequam corpus nasceretur. Ut autem animus e corpore egrediens ſubſistere posſit, et non veluti fumus evanescat, illud adhuc restare dubium, ſi modo finem ſuum demonſtratio ſit habitura. At vero, reponit Socrates, finem demonſtratio jam habet, ſi modo velitis et id, quod modo probatum est, et illud, quod ante concesſeramus, omne videlicet vivens ex mortuo fieri, in unum connexere (2). Quo concesſo, animi corporisque naturam paulo accuratius excutit Socrates, ne ſcilicet interior uniuscujusque animus, ejusque pars puerilis et irrationalis inani nos percutiat mortis terrore. At orationis filum tanquam ducem ſequamur: Rerum, quae *adſunt*, *duo ſunt* genera, alterum compositum, ſimplex alterum. Quodcumque est compoſitum, solutioni et interitui est obnoxium: ſimplex contra dirimi nullo modo ac disſipari potest: quodcumque porro idem ſemper ſibique ſimile manet, id ſimplex esſe ac com-

(1) l. l. p. 33 et 34. Cf. omnino Wyttenb. in Annot. in Phaed. p. 191. ubi hic locus plane turbatus restituitur.

(2) l. l. p. 35. Cf. idem Wyttenb. in Annot. p. 190.

compositionis expers concedendum. Sunt autem ipsum honestum, pulchrum, aequale, utpote uniformia mutationis omnis expertia, semperque eadem: ea contra; in quibus est pulchritudo, aequalitas, honestas, homines nempe, equi, aliaque ejusmodi omnia, mutabilia: cum cerni, sensibusque queant percipi, illa contra sensibus non sint obvia; quaecumque sub sensus cadunt, mutabilia et interitui obnoxia; quae vero omnem sensum fugiunt, esse mutationis expertia et sempiterna, jure concluditur. Jam autem animus noster inter ea, quae sensibus nequeunt percipi, est referendus: idem praeterea, quoties sensuum ministerio in rem aliquam inquirit, in errorem abripitur, vagatur et perturbatur (1); a corpore contra sese subducens, soloque intellectu utens, utpote ad ea, quae sunt sempiterna, sese, tamquam sibi cognata, convertens, cum iisque versans, ab omni errore remotam certam rerum cognitionem adipiscitur, ideoque simplicis ac perennis naturae est habendus. Porro animus imperat, corpus obedit: animus domini partes habet, corpus servi; ut hinc quoque intelligi possit, utra sit praestantior diviniorque natura, animine an corporis. Animus igitur ubi purus e corpore discedit, nihilque eorum, quae pertinent ad corpus, secum aufert, quod fit rite philosophando, mortemque semper meditando, ad

sui

(1) l. l. p. 38.

fui fimilem naturam divinam accedit, ibique omni felicitatis genere fruitur. Quicumque contra animus, corporeis cupiditatibus et affectionibus pollutus, hinc discedit, eum trahi femper *ad corpus* circaque illud haerere, unde mortuorum oriuntur circa fepulchra apparitiones, et, cum jungi iterum corpori nitatur, eorum alligari animalium corporibus, quibuscum maxima ei intercesfit morum fimilitudo, necesfe est (1); ut impudici, gulofi in afinorum; injusti, crudeles in luporum aut accipitrum corpora tranfeant.

In Deorum vero genus nulli fas est *pervenire*, praeterquam ei, qui difcendi cupiditate flagrans et philosophatus est et purus penitus decesfit (2); et haec ipfa est caufa, quod philosophi, qui vero nomine ita dicuntur, temperantes fint et fortes, pro viribus maxime abftineant a voluptatibus, cupiditatibus, doloribus, timoribus, judicantes his maxime animum a corpore devinciri, quia fcilicet omnis voluptas atque dolor, quafi *clavum tenens*, animum corpori affigit ac annectit efficitque corporeum, ut jam eadem, quae corpus, vera esfe opinetur. „ Horum igitur, ut ipfius iterum Socratis verbis haecce concludamus, tranquillitati ftudens, fequens ratiocinationem, femperque *in hacce* ver-

(1) l. l. p. 41.

(2) l. l. p. 42. Lectionem, quam fecuti fumus, fuppeditat Wyttenb. in Annot. p. 217.

versans, ipsum verum, divinum certumque indagans, atque ipsa nutritus, philosophi animus quamdiu vivat, ita et vivendum censet, seque ubi decesserit et ad sibi cognatum, vel simile quiddam pervenerit, humanis liberatum iri malis." (1)

„ Ex tali profecto nutritione, et quum haec tractaverit, non est verendum, o Simmia et Cebes, ne timeat, ne distractus in discessu a quibusdam ventis dispersus ac difflatus evadat, nec quidquam amplius usquam sit."

Quod unusquisque nostrum experiri solet ut, si quid vel auditu vel visu perceperit vel ipse etiam co-

(1) l. l. p. 45. Quid sit λογισμὸς docet Wyttenb. in Annot. p. 200. Pro θεωμένη in mentem venit legere θηρωμένη. Utra lectio sit praeferenda nescio, illud scio *venari* fere usurpari apud Graecos de rebus bonis ac jucundis, uti auctor est cl. Heusd. l. l. p. 88; tum in ipso nostro Phaedone haec dominatur sententia nos ὀρέγεσθαι τοῦ ὄντος, θηρεύειν ἕκαστον τῶν ὄντων, τοῦ ὄντος esse θήραν p. 16. init. et fin. p. 17. ad q. l. cf. Wyttenb in Annot. p. 155; ἀληθείαν autem et quae sunt similia non *cerni*, testis est idem Phaedon p. 15 et 37. Nos non fugit p. 17. fin. haberi θεατέον αὐτὰ τὰ πράγματα; sed hic locus in censum venire non potest, quia additur αὐτῇ τῇ ψυχῇ. Caeterum verba καὶ ὑπ' ἐκείνου referenda videntur ad praecedens λογισμῷ. et ἀπηλλάχθαι vertimus quasi scriptum esset ἀπαλλαχθήσεσθαι. Verba quod adtinet quae jam sequuntur ἐκ δὴ τῆς κ. τ. λ. duritiem, quae iis sine dubio inest, cum Wyttenb. sic lenias legendo ἐκ δὴ τῆς τοιαύτης τροφῆς, ταῦτά τ' ἐπιτηδεύσασα, οὐδὲν δεινὸν μὴ φοβηθῇ κ. τ. λ. in Annot. p. 222.

cogitaverit quod moveat ac teneat, tum aliquamdiu mentem habeat defixam, et linguam, ut ita dicam, contentam; idem, finita disputatione, *quam* modo enarravimus, spectandum nobis praebuit Plato. Quid mirum igitur et Cebetem et Simmiam, quibus id item curae erat, ne molesti essent, non nisi aegre et interjecto tempore, a Socrate eo esse adductos, ut, qua in re disputatio adhuc laborare videretur, declararent? Sed ut enarratoris partes agere pergamus et brevitatem, quoad ejus liceat, servemus, age, in breve nobis contrahat Socrates, quae fusius, et comparatione instituta, opposuerant Cebes et Simmias. Illud unum praemonendum: dubitationes, quas hi protulerant, eam prae se ferre probabilitatis speciem, ut tantum non omnes, Socratem enim excipio, animos desponderent. Quos cum sanasset et quasi fugientes atque victos ad pugnam revocasset (1), docendo maxime, μισολογίαν aeque esse reprobandam ac μισανθρωπίαν (2), ita ad disputationem rediit Socrates. (3)

Simmias quidem, inquit, ni fallor, diffidit ac metuit: ne animus, quamvis divinior pulchriorque corpore, prius tamen, utpote harmoniae *instar* habendus, intereat: Cebes autem mihi *visus* est con-

(1) l. l. p. 53.
(2) l. l. p. 54 et 55.
(3) l. l. p. 57.

ɔncedere, diuturniorem esſe animum corpore; d ſcire posſe neminem, ne, cum multa ſaepius ɔnſumſerit corpora, tandem quandoque postremum :linquens corpus, ipſe quoque pereat, et illud ɔſum ſit mors, animi interitus, quandoquidem mne corpus numquam deſinit interire."

Intellecto igitur et concesſo quid tandem esſet de uo disputaretur, Simmiae objectionem ita confutare ggresſus est. „ Necesſe est, hospes Thebane, lia jam probes quam ſupra probasti: discipliıam ſcilicet esſe reminiscentiam, ideoque necesàrio conſequi, alicubi fuisſe animum, priusquam :orpore clauderetur (1), ſi in hacce opinione pernanferis: harmoniam videlicet esſe compoſitum quoddam; animum vero harmoniam quamdam ex his, quae per corpus intenſa ſint, conſtitutam. Numquam enim te ipſum probabis dicentem: prius esſe harmoniam quam illa, ex quibus ipſam componi oporteat. Non licebit igitur per concesſa id affirmare: te nullo modo haec probaturum, quando dicis, animum quidem esſe prius quam in humanam ſpeciem corpusque deveniret; eum autem ex his quae nondum ſunt, conſtitui. (2)

Itaque cum conſtaret Simmiae ſermonem περὶ ἁρμο-

(1) Cff. ea quae disputata ſunt a Cebete maxime autem a Socrate inde a pag. 27 - 33. h. dial.

(2) l. l. p. 58. coll. Wyttenb. in Annot. p. 242. pro ταυτὰ recipiente ταῦτα.

ἁρμονίας non esſe *ξυνῳδόν*, quod ſane decebat, ut festive animadvertit Socrates, eum nondum *misſum* facit, ſed inſuper ostendit, permultum abesſe, ut harmonia in contrarium moveatur, aut *ſonet*, aut quidquam aliud edat partibus ſuis adverſum: tum, harmoniam, ſi magis plusque temperetur, ſi modo id admittat, magis plusque esſe harmoniam; ſin vero minus atque perpaucum, minus perpaucumque ſimiliter. Animum vero quod adtinet, hunc docet, ne minima quidem in re, alium alio vel magis vel plus, aut contra hoc ipſum esſe, quod vocatur animus (1), tum alium esſe bonum i. e. mentem habere ac virtutem, alium contra habere dementiam ac pravitatem et esſe malum. Porro, magis ut pateat quam ridicula eorum ſit opinio, qui animum harmoniam esſe volunt, ex ipſorum perſona abſurdisſima quaeque *profert*; et, vel equidem fallor, vel omnia haecce egregie valent ad rationem cognoscendam Socraticam, qua adverſariorum opiniones magis *proponerentur* et explicarentur quam quidem, ut ſaepius obtinuit, obſcurarentur et, quamvis nondum perſpecta, refellerentur, h. e. *οὐ φιλοσόφως ἔχειν, ἀλλ᾽ ὥσπερ οἱ πάνυ ἀπαίδευτοι, φιλονείκως*. Ut autem eo redeam, unde digresſus ſum, animadvertendum, opiniones istas,

(1) l. l. p. 59. Cum Heusd., viro cl., haud dubie legendum: *ἑτέραν ἑτέρας ψυχὴν ψυχῆς* expuncto *μᾶλλον* post *ἐμμελέστατον* l. l. p. 22.

stas, quas perstringit, his maxime contineri: virus est consonantia, vitium dissonantia, bonus nimus est consonans, et habet in se, cum ipse it ἁρμονία, aliam ἁρμονίαν et contra. Animus poro, qui neque magis neque minus est harmonia, ieque magis neque minus est consonans vel temeratus, atque, hoc concesso, harmoniae aeque articeps; et quas plures affert, e quibus illud efficit: omnes omnium animalium animas similiter esse bonas. Hisce auditis, num mirum nobis videri potest οὐδ' ὁπωστιοῦν placuisse Simmiae: animum esse harmoniam (1)? Quae his succedunt, ad

(1) l. l. p. 61 In toto hocce capite expediendo multum sudavi, nam, quae erant enarranda, primum videbantur intelligenda; et vero quid hisce sibi voluerit Plato, assequi non poteram. Tandem, multis frustra tentatis, lux oborta est. Cum enim, quae habentur p. 60. inde a verbis Ἀλλὰ προωμολόγηται — Τὴν δέγε interpolatoris manum redolere, et, hisce ejectis, oratio optime procedere videretur, ita hoc mihi sumere ausus sum. Quod autem dixi de interpolatoris manu, hunc maxime odorari licet in verbis τοῦτο δ' ἔστι τὸ ὁμολόγημα κ. τ. λ. quippe non tantum hoc non fit ὁμολόγημα at contra paulo ante a Simmia hoc fit concessum: harmoniam aliam magis vel minus esse harmoniam quam aliam p. 59. Ciceronem, qui πολλῶν est ἀντάξιος ἄλλων ad Platonicae disciplinae rationem rite percipiendam, inprimis ubi de Socrate sermo est, h. l. testem citasse juvat. Hic igitur, qui cum Socrate et Platone vixisse sibi videbatur, uti ipse fatetur Acad. IV. 23. „Harmoniam autem, inquit Tusc. Quaest. I. 18., ex intervallis sonorum nosse possumus; quorum varia compositio

ad ulterius discrimen notandum pertinent, quod harmoniam inter et animum intercedit, hunc enim dominari, corporis affectibus repugnare, *omnia ducere, non sequi*, quod longe aliter obtinet in *harmonia*.

Hisce ita digito tantummodo monstratis, jam ad postremam, quam contra Socratem vel animi potius immortalitatem movit Cebes, accessuri sumus dubitationem. Cum autem una in paucis sit gravissima, non abs re visum est, iterum summatim eam referentem audire Socratem.

„Demonstrandum, inquit, censes, *o* Cebes, animum nostrum neque interitui *obnoxium neque* mortalem esse, nisi philosophus magna cum fiduducia existimans, melius sibi multo futurum quam in alia vita, in qua, quum vixisset, obierat, insipienter et stolide in morte sit confisurus. Ostendere autem, validum quiddam esse animum atque divinum et ante ortum etiam nostrum fuisse, nihil id impedire ais, quominus haec omnia immortalitatem quidem non arguant, sed *duntaxat, animum*

tio etiam harmonias efficit plures; membrorum vero situs et figura corporis vacans animo quam possit harmoniam efficere non video " De ratione, quemadmodum h. l. exstat, ex *alterius* persona loquendi sive disputandi, animadvertendum: eam maxime locum habere in familiari sermone, qui, cum *dominetur* fere in dialogis et epistolis, ita mirum *nobis* videri non potest. cum Platonem tum Horatium, alterum in dialogis, in epistolis alterum, eam subinde adhibuisse.

mum et esse diuturnum multaque ante fuisse secula novisseque et egisse permulta, nihilotamen magis esse immortalem, immo hanc ipsam in humanum corpus ingressionem, quasi morbum quemdam, interitus ejus esse initium. Nihil autem differre ais, utrum semel in corpus veniat an saepius, ut non unusquisque mortem timeat; consentaneum enim esse metuere, nisi quis stultus sit, ei, qui nec sciat, nec rationem reddere possit, animum esse immortalem: huic igitur consentaneum esse metuere, ne animus defatigatus hanc vitam vivat et tandem in illa sic dicta morte pereat." (1)

Socrates, antequam rem aggrederetur ipsam, tamquam prologo ita sibi muniit viam: „ haud leve quiddam, inquit, requiris, o Cebes. Omnino enim oportet generationis corruptionisque causam pertractare. Ego igitur, si vis, ea tibi, quae mihi evenerunt, enarrabo. Juvenis, ita narrare incipit, cum essem, multam physicis impendi operam, sanguisne an aër aut ignis intelligendi nobis caussa esset; an e cerebro sensus omnes, memoria et opinio originem ducerent, de coelo praeterea et terra studiose inquirens: sed occoecari me magis quam lumine veri perfundi, quin et, quae scire antea me putabam, me dediscere animadverti. Crescere enim

(1) l. l. p. 63. Cf. Wyttenb. in Annot. p. 252. e cujus lectione et versione nos profecimus.

enim aliquid et fieri majus si quid ei adjiceretur, cum mihi persuaderem: falsum id esse intellexi, si quidem fieri duo, dum unum additur uni, non posse perspexi. Unitates namque, quamdiu sunt seorsim, non sunt duo; et ideo fieri *duo*, quod altera alteri admovetur, non capiebam; cum praesertim dividendo unum, duo quoque fiant. Id quod maxime secum invicem videtur pugnare. De ortu igitur rerum et interitu nihil prorsus me certi habere in animum induxi.

In Anaxagorae autem perveniens notitiam (1), „ mentem disponere omnia ac ordinare " affirmantis, putansque, rerum omnium fabricam *consilio* sapienti causisque iri explicatum, mire me sensi delusum, ubi aërem, aquam, aliasque ejusmodi naturas ad reddendam de singulis rationem adhiberi, praetermissa mente, intellexi. (2)

Hac spe ita dejectus, simulque posse me in rebus physicis certiorem invenire causam desperans, alia statui via incedere, atque ad illa πολυθρύλλητα (3) *ideas* sive *notiones universales* recedere. Cum igitur, esse aliquam pulchritudinem, mag-

(1) l. l. p. 66.

(2) In Anaxagora h. l. illud maxime carpere videtur Socrates quod non distinguebat inter causam et opportunitatem, ut ipse dicit: quod non poterat διελέσθαι ὅτι ἄλλο μέν τι ἐστὶ τὸ αἴτιον τῷ ὄντι, ἄλλο δ' ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἄν ποτ' εἴη αἴτιον l. l. p. 68.

(3) l. l. p. 70.

magnitudinem, bonitatem, praeter id pulchrum, magnum, bonum animadverterem, quod in rebus sensu perceptis est obvium; ex illis omnium esse caussas repetendas mihi persuasi: ut, si, quare pulchrum sit quippiam, quaeratur, non colore florido, sed pulchritudinis illius participatione, esse pulchrum, eodemque modo magna, magnitudinis, exigua, exiguitatis, multa, multitudinis participatione talia esse, et sic de reliquis istiusmodi cunctis, simpliciter et sine arte, fortasse etiam stolide, statuam (1). Nihil enim tam certum affirmaverim, quam pulchro pulchra omnia esse pulchra.

Proinde opinor non solum magnitudinem ipsam numquam velle magnam simul parvamque esse; verum etiam neque hanc, quae in nobis est, magnitudinem umquam recipere parvitatem, neque superari velle: verum alterum de duobus accidere: aut fugit et decedit, veniente contrario, scilicet parvitate: aut, quum venerit contrarium, perit exspectans et suscipiens parvitatem, nec tamen aliud vult esse quam quod fuerat; quemadmodum ego, cum susceperim sustinuerimque parvitatem et non aliter sim quam fueram, idem hicce parvus sum. Illud autem quum magnum esset, non sustinuit parvum esse; similiter

(1) l. et p. ll. Pro ἀτεχνῶς cum Wyttenb. legendum videtur ἀτέχνως in Annot. p. 265.

ter etiam quod in nobis est parvum, numquam vult magnum aut fieri aut esse; neque aliud quidquam contrariorum simul contrarium et fieri et esse; *sed* aut abit aut perit, cum adventat contrarium, *quamdiu* etiam est, quod fuerat (1). Ne *vero* quis objiciat cum hisce minime facere, quae supra admisimus et defendimus adeo, contraria nimirum non aliunde fieri quam ex contrariis; animadvertendum, discrepantiam in iis obtinere summam. Tunc enim dicebatur, ex contraria re rem contrariam fieri (2): nunc vero, contrarium ipsum sibimet contrarium fieri numquam; neque quod in *nobis*, neque quod in natura contrarium est. *Tunc de* his, quae habent contraria, dicebamus, haec illorum cognomine appellantes: at nunc de illis ipsis loquimur, quae his insunt quorumve praesentia cognomen habent ea, quae nominantur: illa vero ipsa dicimus numquam velle mutuam inter se generationem suscipere.

Itaque, pergit Socrates, hacce oppositione soluta, animadvertendum videtur, illud, *quod* modo dixi, aeque valere in minus universalibus ac universalioribus; ut non tantum *αὐτὸ τὸ εἶδος universalius* idem semper postulet nomen; sed et aliud

(1) l. l. p. 74. Ut pateat quamnam rationem *in* hocce loco explicando simus secuti, adeas quaeso Wyttenb. in Annot. p. 273 et 274.

(2) l. l. p. 24.

aliud quiddam, quod illud quidem non est, sed semper ipsius habet μορφὴν quasi *communionem* (1). Rem exemplo illustrabo: extra omne dubium constat τὰ ὄντα *impar* v. c. semper idem postulare nomen; vide jam quid in ternario obtineat. Nonne tibi videtur, hunc et sui ipsius nomine semper nuncupandum esse et simul nomine imparis, quamvis non idem sit quod ternarius? Verumtamen ita natura comparatus est et ternarius et quinarius, et omnis altera dimidia pars numerorum, scilicet imparium, ut, quamvis non idem sit quod impar, semper tamen eorum quivis sit impar. Contemplare ergo quid velim; est autem hujusmodi: videntur non solum ipsa inter se contraria sese invicem non recipere; verum etiam quaecumque talia sunt, ut, licet contraria inter se non sint, semper tamen contraria possideant, numquam recipere speciem illam, quae ipsi speciei, quam in se habent, contraria sit; sed, hac adveniente, aut perire protinus, aut abire. Annon dicemus tria et prius interitura, et aliud quodvis passura, quam sustineant, ut, quatenus tria sunt, paria fiant? Hoc ergo teneas: ternionem esse imparem, ac non recipere parem, quamvis non contrarium. Jam ut intelligas quid ex hisce omnibus efficiam, hoc age, Animus, quidquid occupat, semper ad illud vitam affert, vitae contraria est mors, animus vero con-

(1) l. l. p. 75. Vid. Wyttenb. in Annot. p. 274.

contrarium ejus, quod semper adducit, subibit numquam, quemadmodum ex superioribus est concessum. Quid igitur? quod non suscipit mortem est immortale; atqui ergo animus, cum mortem non suscipiat, est immortalis. (1)

Praeterea si, quod est immortale, interire nequit, fieri non potest, ut animus in morte pereat. Mortem enim, uti ex superioribus constat, non suscipiet, neque interibit, quemadmodum ternio numquam, ut diximus, par erit neque rursus impar par. At dicat forte aliquis, quid impedit, quominus ipsum impar, par quidem non fiat, adveniente pari, uti concessum est; attamen, eo dissoluto, par pro ipso succedat? Ita dicenti negare non possemus illud esse destructum; impar enim non est indissolubile, quippe, si hoc esset concessum, facile obtineremus, accedente pari, impar et ternionem abire. Jam vero de immortali, si nobis id constat, quod est immortale, esse etiam interitus expers, animus, praeterquam quod immortalis est, etiam interitus expers sit. Sed cum omnes homines et Dii adeo, in eo consentiant, necesse est, animum esse et immortalem et interitus expertem. (2)

Quae jam sequuntur, ut sponte patet, aliorsum spectant, eaque si in compendii formam re-

(1) l. l. p. 78 et 79.

(2) l. l. p. 80.

redigere vellem, frustra fortasse tentarem. Quocirca hisce, quae maxime ad nostrum propositum facere videbantur, breviter, et, ut spero, simul apte et ex dialogi ratione enarratis, acquiescendum duxi. Cum autem, quae in hocce dialogo tradit Phaedon, omnia fere referantur ad Socratem, morti proximum, hoc unum mihi concedatur ut in huncce accommodem, quod in Antonium de ipsius avo dixit Cicero (1): „ Acerbissimum ejus diem supremum malim, quam L. Cinnae dominatum."

(1) Orat. Philippica I. 14.

CA-

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTORUM RECENSIO ET EXPLICATIO.

§. 1.

Quae e Phaedone argumenta petuntur ad animi probandam immortalitatem.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Philoſophorum vita nil aliud est quam commentatio mortis, i. e. philoſophi nil aliud ſtudent nisi mori et mortuum esse. (1) Mors est animi a corpore solutio, cujus meditationem jure ſibi vindicant philoſophi, quia prae caeteris omnibus hoc

(1) Phaed. p. 13. In Graecis habetur *ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι* quorum prius est transitus ex vita in ſtatum mortui, vid. Wyttenb. in Annot. p. 144 et Auct. ibi citt. inpr. Daviſ. ad Cic. Tusc. Quaest. I. 8.

hoc maxime curant ut, misso corpore ejusque cultu, quoad ejus licet, ad animum se convertant atque hunc ab omni commercio cum corpore liberum praestent. Philosophos ita recte agere, hujus rei rationes sunt in promtu. Nam, cum philosophus nil habeat majus quam ut ratiocinetur, ipsa mentis cogitatione utatur, sapientiam consequatur atque justitiam quaeque his sunt similia; ita in hacce indagatione avocatur, turbatur, impeditur adeo corpore; quippe quod ita est comparatum, ut omnium omnino malorum fons sit habendus et prae illo ne sapere quidem umquam quidquam possimus. Quid igitur? Huic malo ut justam adhibeamus medelam, animus omni virtute, temperantia, justitia, fortitudine et prudentia tamquam *καθάρσει* sive *καθαρμῷ* est purgandus et ab omni corporis communione liberandus. Hoc si fecerimus, probabile est fore ut animus post hanc vitam demum vires explicet suas, ad virtutis veritatisque finem contendat et cum Diis habitet. (1)

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Defunctorum hominum animi sunt in Orco. Hoc egregie sane dictum a nemine in dubium vocari potest, qui id sibi habet persuasum, viventes non aliun-

(1) L. l. inde a pag. 13-22.

aliunde fieri quam e mortuis. In eo igitur cum omnis argumentationis vis ſit poſita, non alienum videtur paulo accuratius disquirere, quatenus recte ſe habeat, ex mortuis fieri viventes.

In tota rerum natura hoc inſtar legis est habendum, contraria non aliunde fieri quam e contrariis, veluti e majori fit minus et majus e minori caet. Ut autem e majori fiat minus et majus e minori, necesſe est hoc prius permeët ſtatum, quem vocamus *incrementum*, uti contra e majori minus fieri non potest niſi permeaverit ſtatum, quem vocamus *decrementum*, dicimusque alterum quidem *crescere*, alterum vero *decrescere*. Quae eadem ratio in omnibus rebus contrariis obtinet, ut ſcilicet duas intermedias habeant ſive generationes ſive progresſiones. Jam vero eadem necesſitate conjunctae ſunt *vita* et *mors*, tamquam ſibi invicem contrariae, fiunt ex ſe invicem, habentque duas generationes *nasci* nimirum et *mori*; unde id conſequitur, ex vivis non minus fieri mortuos quam e mortuis vivos.

Porro ſi, quaecumque vitam acceperint, moriantur, mortua vero cum fuerint, mortua relinquantur, neque iterum reviviscant, necesſarium est omnino, cuncta demum interire, nihilque vivere. Nam ſi ex aliis quidem viventia fierent, postea vero perirent, quid obſtaret, quominus in interitum cuncta conſumerentur? Ex quibus omnibus illud jure efficias, ex mortuis fieri viventes,

tes, defunctorumque hominum animos superesse, ita ut bonis melius, malis vero pejus sit. (1).

ARGUMENTUM TERTIUM.

Discere nihil est aliud nisi recordari. Patet hoc in illis, qui recta ratione de rebus incognitis, figuris v. c. geometricis, interrogati, ita respondent, ut perspicuum sit: eos rerum earum notiones jam antea animo involutas tenuisse. Magis autem patebit, si animadverterimus, nos non tantum in rebus corporeis, sed intelligibilibus etiam, in abstractis, uti vocantur, ex unius in alterius rei cogitationem deferri. Hoc ita locum habere, docet experientia quotidiana. Amantibus enim, cum lyram aut vestem aut quidvis aliud ex his adspiciant, quibus uti eorum amasii consueverunt, hoc evenire solet, ut et lyram agnoscant et simul mente formam recolant amasii, cujus erat lyra. Quod attinet res intelligibiles, constat, nos, quamvis res aequales toto coelo differant ab ipsa notione universali aequalitatis, illis tamen percipiendis ipsius aequalis cognitionem reputando accepisse, sive hoc illis sit simile, an dissimile. Sed undenam et quonam tempore hausimus notionem istam universalem aequalitatis? Non sane, uti res aequales, quae-

que

(1) l. l. inde a pag. 23-27. Cf. Alexander Aphrodis. Comment. in Aristot. Topica II. p. 89.

que sensibus patent, in hacce vitâ. Ante enim, quam inciperemus videre aut audire aliisque uti sensibus, oportuit nos aequalis ipsius scientiam possedisse, videlicet quid ipsum sit: si modo aequalia haec, quae sensibus subjacent, ad ipsum adeo relaturi simus, ut judicemus, anniti quidem haec omnia talia, quale ipsum est, evadere, verumtamen deteriora relinqui. Quid igitur? Necesse est, antequam nasceremur, ipsius aequalis, omnisque essentiae scientiam jam tenuisse, discere nihil aliud esse nisi recordari, et ante ortum nostrum animos nostros aeque fuisse ac omnem *οὐσίαν*. (1)

Argumentum Quartum.

Omnium, quae adsunt, rerum duo habentur genera, alterum compositum, simplex alterum: illud dividitur, prouti compositum erat, contrarium obtinet in simplice. Alterum semper idem manet, continenter mutatur alterum.

Mutatione v. c. carent Ideae, uti contra res individuae ejus sunt participes: compositum sensibus patet, simplex sola ratiocinatione cogitationis percipitur. Jam vero nostri altera pars nihil aliud est quam corpus, altera autem animus: visibile enim corpus, invisibilis contra animus; con-

(1) l. l. inde a pag. 27 - 34.

constanter idem manet animus, continenter mutatur corpus. Uti corpus nos trahit ad fluxa quaeque et polluta, ita ad pura eaque aeterna ducit nos animus. Corpus servit et obedit, imperat contra et dominatur animus. Ex quibus omnibus id recte colligas, ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem se ipsum habenti, animum esse simillimum: humano vero, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, numquam eodem modo se habenti, simillimum esse corpus. Itaque, cum haec omni dubitatione sint majora, corpori convenit, ut brevi solvatur, animo contra, ut omnino sit indissolubilis; ita tamen, ut post corporis mortem, quocumque quisque iverit, iverit secundum similitudinem consuetudinis, et in Deorum genus is demum pervenirat, qui doctrinae studiosus, philosophia innutritus et plane purus abeat. (1)

Argumentum Quintum.

Cum homo sit ita constitutus, ut comparando maxime ad verum perveniat, multisque hicce scrupulus inhaereat, ut putent, animum non nisi harmoniam esse habendam, non inportunum videtur paulo accuratius discrimen notare, quod animo

(1) L. l. inde a pag. 36-45.

mo cum harmonia intercedit, ut ita ejus naturam excutiamus et, hoc facto, immortalitatis *fidem* nobis vel imminuamus vel confirmemus.

Animus igitur, aeque atque ipsius essentia, prius fuit, quam in humanam speciem corpusque veniret; harmonia autem, tamquam compositum quoddam, non prius exstitit, quam illa adessent, ex quibus ipsam componi oportebat. Animus alius non magis est animus, quam alius; harmonia contra alia magis est harmonia, quam alia. Animus corpori praeest, saepissimeque cupiditatibus ejus et libidinibus adversatur; harmonia vero servi, *ut ita dicam*, partes agit, ac semper sequitur instrumentum, in quo reperiatur, ita ut numquam in contrarium moveatur aut sonet aut quidquam aliud edat partibus suis adversum.

Ex hisce, breviter tantummodo memoratis, satis superque apparere videtur, animum inter et harmoniam summum obtinere discrimen. Quod autem dicunt animum esse harmoniam, nullum *habet* sensum. Cum enim constet, alium quidem habere mentem virtutemque, atque esse bonum; alium vero dementiam et pravitatem, malumque esse, de eorum sententia, necesse est contrarium verum sit: omnes nimirum animalium omnium animas similiter esse bonas, si quidem animae pariter a natura hoc ipsum habent, ut sint animae. Quocirca, ut mittamus istos male feriatos philosophos, minus recte dicitur: animum esse harmoniam; hoc enim pro-

probando, ut apparet, neque Homero, divino poëtae, neque nobis ipsis consentiremus (1).

Argumentum Sextum.

Causam indagans, qua quidque fieret, in ejus indagatione multum frustraque laboravi; tandem vero, more solito, ad Ideas recurrenti, mihi accidit, ut, causa cognita, simul rationes acquirerem, quae valeant ad animi probandam immortalitatem.

Cum enim animis sit infixum, esse ipsum pulchrum, ipsum bonum, ipsum magnum, adesse omnino aeterna rerum exemplaria, missis caeteris causis, horum communionem sive participationem tamquam causam pono, qua res singulares, pulchrae v. c. bonae et magnae, tales sint, quales habentur; ut, si, quare pulchrum sit quippiam, quaeratur, nihil tam certum affirmaverim, quam ipso pulchro pulchra omnia esse pulchra. Jam vero, causa perspecta, in hisce ita versari perrexi ut statuerem, contrarium numquam sibi velle contrarium aut esse aut fieri. Ut autem pateat, hoc aeque valere in rebus singularibus atque in ideis, animadvertendum, non solum magnitudinem ipsam, numquam velle magnam simul parvamque esse; verum

(1) l. l. inde a pag. 57-62.

rum etiam neque hanc, quae in nobis est, magnitudinem umquam recipere parvitatem, neque superari velle: verum alterum de duobus accidere: aut fugit et decedit, veniente contrario, scilicet parvitate: aut, quum venerit contrarium, perit exspectans et suscipiens parvitatem, nec tamen aliud vult esse, quam quod fuerat.

Praeterea, ut hisce generibus tertium adjungamus, videntur mihi non solum ipsa inter se contraria sese invicem non recipere; verum etiam, quaecumque talia sunt, ut, licet contraria inter se non sint, semper tamen contraria possideant, numquam recipere speciem illam, quae ipsi speciei, quam in se habent, contraria sit: sed, hac adveniente, aut perire protinus, aut abire. Quocirca, uti ternio est impar, ac non recipit parem, quamvis non contrarium, ita animus est immortalis neque suscipit mortem. Nam, quidquid occupat animus, semper ad illud vitam affert, vitae contraria est mors; animus vero contrarium ejus, quod semper adducit, subibit numquam, quemadmodum ex superioribus constat. Quid igitur? quod non suscipit mortem, est immortale; atqui ergo animus, cum mortem non suscipiat, est immortalis, imo insuper interitus expers, si quidem verum est, quod nemo dubitat, quod sit immortale, esse etiam expers interitus (1).

§. 2.

(1) l. l. inde a pag. 70 - 80.

§. 2.

Animadversiones, quae valeant ad explicanda, quae ad animi immortalitatem probandam prolata sunt, argumenta.

Argumenta, quibus in nostro dialogo usus est Plato ad animi probandam immortalitatem, in duo maxime redigi possunt capita. Sunt enim vel a summi Numinis virtutibus desumta, vel ex animi natura petita (1). Illa ratio, ut sponte patet, habenda est antiquior, cum nulla omnino gens tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio (2), „ nemoque tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in coelum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat, ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione; nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum." (3) Alteram autem quod adtinet rationem, quamvis verum sit, inhaerere in mentibus, quasi saeculorum quoddam augurium futurorum, tamen, ut animo videas animum, animique tibi perspectam habeas na-

(1) Wyttenb. Op. T. II. p. 661. Cf. Lect. Quinque, p. 14.
(2) Cf. Cic. Tusc. Quaest. I. 13.
(3) Lact. I. D. I. C. 2. §. 5.

naturam, requiritur aetas multo et provectior et maturior. Caufa hujus rei est in promtu. *Invitante* enim tota rerum natura, facile eo *adducimur*, ut arbitremur, adesfe vim et naturam *divinam*. In animi vero natura cum indaganda tum cognoscenda, continuo avocamur et turbamur omnicumque re, quae fenfibus patet. Itaque apud Graecos jam multi fuerunt philofophi, antequam exsisteret Socrates, qui, misfis caeteris, animum explorabat maxime. Quid mirum igitur prioris generis argumenta jam ante Thaletem fuisfe tractata, posterioris vero nonnifi fuccesfu *temporis esfe inventa*? (1)

Quodfi fontem adire velimus, e quibus fua haufit Plato, adeundi funt Ionici, Pythagoraei, Eleatici, et, ut caeteros taceam, poëtae numero bene multi. Cum autem Ionicorum plerique vel poëtice vel nihil fcripferint, admodum difficile est, accurate eorum placita explorare; magis conftat de Pythagoraeis, maxima quaeque iis debuisfe Platonem, placitum v. c. de metempfychofi et de *μάθησι* tamquam *ἀνάμνησι*; quorum illud, quamvis in posterum, auctore Pythagora, colorem duxerit ex poëtarum, inprimis Homeri, metamorphofibus, petitum videtur ab Aegyptiis et *Indis* (2). Tum, quod in Phaedone occurrit, animum

(1) Wyttenb. T. II. Opusc. p. 661.

(2) Cf. Disp., quae infcribitur: *Verh. van een ongenoemd Schrijver*, faepius l. p. 475.

mum corpore solutum adhuc certo loco et domicilio uti, et res externas percipere, poenasque luere; cujus opinionis documenta exstant partim apud poëtas et Theologos, partim apud Pythagoreos (1). Et haec de fonte, e quo sua hauserit Plato, attigisse sufficiat. Ante vero quam ad reliqua persequenda pergamus, haud importunum videtur breviter disquirere, quid Ideis intellexerit Plato, et undenam earum doctrina verosimiliter sit repetenda. Quod quominus faceremus, committere non potuimus, quia cum rationibus immortalitatis quam arctissime illae cohaerent.

Locus igitur Platonis, qui est de Ideis, pertinet ad eam philosophiae partem, quae sibi subjectum habet *verum* (2), easque, auctore Cicerone, ita est amplexatus, ut in his quiddam divinum esse diceret (3). Plato autem ideas vocat, ex quibus omnia, quaecumque videmus, fiunt, et, ad quas cuncta formantur. Idea est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum (4), atque, tamquam simplex et uniusmodi, sola cernitur mente et, tamquam omnis concretionis expers, vocatur οὐσία ἀσώματος. Ideis inprimis significavit τὸ καλὸν, τὸ ἀγαθὸν, τὸ δίκαιον, τὸ ὅσιον; in scriptis vero, uti in nostro Phaedone, (5) eas confudit cum notioni-

(1) Wyttenb. Op. T. II. p. 514 coll. Heusd. l. l. p. 79.
(2) Heusd. l. l. p. 71.
(3) Acad. Quaest. I. 9.
(4) Seneca Ep. LVIII.
(5) p. 77.

me agit de vero, unice exquirit τὸ ὂν, id quod *est* non esse *videtur*. Hoc ita verum est, ut haec ratio non tantum universe dominetur in ejus philosophia, sed in fabulis adeo. Pulchre enim, ut habetur apud Olympiodorum (1), imitantur veritatem, insunt iis communes notiones, quae, quamvis adhuc implicitae, necdum explicitae, tamen nos tacitae admonent, tamquam perpetuo micantes venae (2). Inde fortasse repetendum, quod fabulas ejusmodi fere ordiatur introitu, quo dicat, se non fabulam sed verum referre (3). Philosophia autem quam maxime est distinguenda a sapientia, *quemadmodum enim* Deo tantum competit sapientia, ita ejus studio ducitur homo (4); at, cum sit insatiabile, nul-

(1) Cod. I. p. 125. De universa Platonis philosophia conf. Cic. Acad. IV. 42.: „ Omitto illa, inquit, quae relicta jam videntur, et Herillum, qui in cognitione et scientia summum bonum ponit: qui cum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissenserit, et quam non multum a Platone."

(2) In Graecis habetur αἱ κοιναὶ ἔννοιαι σφύζουσαι ἀδιαρθρώτως. Vid. Wyttenb. in annot. p. 288, ubi et locus Olympiodori invenitur, modo a nobis citatus, et Plato de Rep. p. 477. A.

(3) Hoc facit Plato in Gorgia p. 312 E. et de Rep. p. 518 F. uti testis est idem Wyttenb. Op. T. II p. 592.

(4) Cf cl. Heusd. l. l. p. 49. Discrimen *sapientiae* et studii sapientiae i. e. *philosophiae* expressere jam Graeci traditione de Tripode aureo, quae exstat apud Valerium Maximum IV. 1. „ A piscatoribus, inquit, in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam jactum emerat. Extracta deinde magni pon-

nullas non complectitur artes et doctrinas (1). Praeterea, cum nihil habeat antiquius, quam ut verum assequatur, omni ope abstinet a corpore, imo, quae huic insunt, impedimenta summovere studet, et ita occurrit tamquam *παιδεία institutio quaedam* et κάθαρσις (2) *animi humani initiatio*, quia his maxime animus in pristinam restituitur libertatem.

Platoni hoc videtur fuisse familiare, ut, quod animadvertisset in homine, ulterius exquireret in hominibus i. e. in civitate (3). Ita triplicem sibi fingens animum, ejus principatum *rationem* in capi-

ponderis aurea mensa Delphica, orta controversia est; illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunam jactus se emisse dicente. Qua conditione propter novitatem rei et magnitudinem pecuniae, ad universum ejus civitatis populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, *cuinam adjudicari mensa deberet*. Deus respondit, *illi esse dandum, qui sapientia ceteros praestaret*, his verbis: ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' ἂν δῶ. — Tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt. Ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii. Deincepsque per omnium septem sapientium orbem, ad ultimum, ad Solonem pervenit. Qui et titulum amplissimae sapientiae, et praemium ad ipsum Apollinem transtulit."

(1) Vid. Plato de Rep. p. 475.

(2) Cf cl. Heusd. l. l. p. 55, 56 et 57 et Wyttenb. in annot. p. 172.

(3) Cf. consult. Voorduin, in Comment. Jurid. de divis. Offic. in perfecta et imperfecta, p. 36.

pite, ſicut in arce, poſuit: et duas ei partes parere voluit, iram et cupiditatem, quas locis ſuis, iram in pectore, cupiditatem ſubter praecordia locavit (1). Jam ex istis partibus praeſtantisſimam *rationem* tribuebat philoſopho, reliquarum vero, magisque cum corpore conjunctarum, meliorem *iram* magiſtratibus et ministris civitatis, deteriorem denique plebi (2). Uti autem pro diverſis mentis facultatibus alii alia conſectantur et conſequuntur, ita optime hac in re verſatur philoſophus. Nam, tamquam rationis particeps, non honorum et magiſtratuum est ſtudioſus vel pecuniae est *deditus*, ſed doctrinae unice ſtudet. Quod ſtudium cum in hisce vitae angustiis expleri non posſit, ita mori cupit: tum enim, inquiunt philoſophi, puri immunesque ſenſuum corporisque dementiae, cum talibus, ut conſentaneum est, erimus, ipſique per nosmetipſos omne cognoscemus purum et ſincerum: id autem esſe verum videtur. Impuro enim purum attingere non licitum est. (3)

No-

(1) Cic. Tusc. Quaest. I. 10. *Ira* h. l. est animi vis ſive impetus Graece θύμος, qui alterutri harum facultatum ſe adjungere ſolet. Hanc facultatem, qua quis velle et agere potest, nomine ab ipſo excogitato, Hemſterhuſius vocavit *velleitatem*. Cf. Doct Ottema in Comment. de meritis F. Hemſterh. in tract. phil p. 90.

(2) Cf. Wyttenb. in Annot. p. 166. Aliam rationem init Plato Rep. II. uti fuſius docet de Geer, in Diatr. in Pol. Pl. princ. p. 148.

(3) Cf. cl. Heusd. l. l. p. 83.

Notio philosophi rite ut percipiatur, operae pretium est adire Ciceronem (1), atque rationem conferre, qua sibi informaverit virum, qui idem sit bonus ac beatus, et idcirco etiam philosophus. „ Primum, inquit, ingenio eximio sit, necesse est; tardis enim mentibus virtus non facile comitatur: deinde ad investigandam veritatem studio incitato: ex quo triplex ille animi fetus existet; unus in cognitione rerum positus et in explicatione naturae; alter in descriptione expetendarum fugiendarumve rerum; tertius in judicando quid cuique rei sit consequens, quid repugnans; in quo inest omnis cum subtilitas disserendi, tum veritas judicandi. " rel. Discrimen, quod philosophum Pythagoraeum inter ac Ciceronianum Platonicumve intercedit, idem docet Cicero (2). Cum enim philosophus, de Pythagorae sententia, tantummodo spectet in vita nihil sibi adquirens, non agat (3), ita alter iste sapiens transeat ad rempublicam tuendam: quid eo, pergit Cicero, possit esse praestantius, cum prudentia utilitatem civium cernat, justitia nihil in suam domum inde derivet, reliquis utatur tot tam variisque virtutibus? Omnino ratio Theoretica universe obtinet in Pytha-

go-

(1) Tusc. Quaest. V, 24.
(2) l. l. V. 25.
(3) l. l. V. 3.

goraeis, uti Practica in Socraticis (1). Philosophia Pythagorae est doctrina morum, philosophia *Platonis* est philosophia veri (2). Metempsychosis vel, uti Wyttenbachius (3) dicere mavult, *μετενσωμάτωσις* alia est apud Pythagoram, apud Platonem alia, uti supra me monere memini (4); tum *ὁμοίωσις τῷ Θεῷ*, summum philosophiae moralis propositum, quam commendat sive Pythagoras sive Pythagoreus aliquis (5), a Platonica (6) ita est diversa, ut vel ex hac pateat Pythagoram sacerdotis, philosophi autem, qui vero nomine ita dicitur, personam sustinuisse Platonem. *Ὁμοίωσις* enim, de hujus sententia, non tantum est *δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι*, sed *δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι*, neque huc aliquis pervenit, nisi qui per *philosophiam* a rebus futilibus et caducis ad divinas et aeternas conversus sit.

His animadversis, huic scriptionis parti finem sumus imposituri; plura adhuc restare, quae notatu sint dignissima et necessaria simul, nemo me magis videt. Ita v. c. haud immerito quispiam illus-

(1) Vid. Barthelemy, *Voyage du jeune Anacharsis en Grece*, Tom. VI. Cap. LXXV. initio.

(2) Vid. Heusd. l. l. p. 76. sqq.

(3) In Annot. p. 210.

(4) P. 14.

(5) In Carmine: Χρυσᾶ ἔπη, quod exstat in Poëtis Gnom. Brunckii, p. 107.

(6) Vid. Theaet. p. 176. B.

illustranda putet placita de pristino ſtatu et de disciplina, tamquam recordatione. Sed quandoquidem illa maxime a philoſopho poëtica ratione et multis verbis ſunt explicita, atque idcirco nonniſi poëtice et fuſa oratione facile tradi poſſe videntur, ita, ut brevitati conſuleremus neque praeter vires aliquid ſusciperemus, haec omittenda putavimus; quod eo magis nobis licet, quia lubenter iis adquiescimus, quae de hoc argumento habentur in Init. Phil. Plat. Auct. cl. Heusdio l. l. inde a pag. 75-95.

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTORUM DIJUDICATIO.

§. 1.

ARGUMENTUM PRIMUM.

De hoc argumento ſaepe multumque disputatum, ita ut, quid de eo existimandum ſit, dubius fere haereas; celebritatemque nactum est inprimis placito, quod continet: animum ſevocandum esſe a corpore, quia cum in Neo-Platonicos tum Christianos vim exercuit maximam. Nos autem, tamquam aequi judices, illud maxime acturi ſumus, ut in hoc, quemadmodum et in reliquis, appareat, quid probandum, quid minus, quidve etiam videatur restringendum.

Si quaerimus, quatenus recte ſe habeat: animum ſevocandum esſe a corpore, in utramque partem

hac

hac de re disputari posse videtur. Quamvis enim, quod Plato pro animi a corpore solutione affert, magnam prae se ferat probabilitatis speciem, tamen hujus argumentationis veritas multis nominibus videtur circumscribenda; quia,

I. quod corpori tribuit, immoderato ejus cultui, ejus abusui videtur attribuendum.

II. Animus a corpore sevocari nequit, quandoquidem hoc aeque atque animus ad nostram pertinet personam, et animus sine corpore vim suam exserere non valet.

III. Ut ad veritatem pervenias, corpus non tantum non est inutile, sed necessarium adeo, imo in exquirendo vero animum adjuvat quam efficacissime. Locus in Platonis philosophia uberrimus sunt ideae, cumque eo, quod est, arctissime sunt conjunctae. Jam vero, nisi adsit phantasia (1), nisi adsit corpus, sine quo haec ne cogitari quidem potest, quomodo quispiam eas umquam concipere queat, equidem me non videre profiteor; et, quod contendit Plato, nullis omnino sensibus fidem esse habendam, animum quippe turbantibus, nullo modo probari potest. Sunt enim sensus, maximeque visus et auditus, quibus optima quae-que

(1) Phantasia, quae sensuum est vicaria, quid corpori debeat, patet ex nostro: *verbeeldingskracht*, quod vocabulum optime vim declarat, quae imagines animo repraesentat; quamque late pateat, docet Schulze in opere, cui titulus: *Menschkunde met betrekking tot de Ziel*, St. I. pag. 134. et 135.

que debemus (1). His si careremus, neque musica aures mulcere animumque flectere, neque adspectabilis natura nos ad immortalitatis spem excitare posset. Quis est, qui quaestiones physicorum exterminandas putet? Cum consideratio contemplatioque naturae animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi sit pabulum. Erigimur; pergit Cicero (2), elatiores fieri videmur; humana despicimus; cogitantesque supera atque coelestia, haec nostra, ut exigua et minima, contemnimus, indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem, si vero aliquid occurret, quod verisimile videatur; *humanissima* completur animus voluptate.

Praeterea malorum fons non unice quaerendus in corpore; adsunt etiam, quorum origo ex animo videtur repetenda. Nimium v. c. honoris studium φιλοτιμίαν, quam Euripides vere exhibet ὡς ὀλεθριωτάτην καὶ κακίστην δαίμονα τοῖς χρωμένοις (3), nemo sanae mentis compos corpori attribuendam putet (4), et, ut recte animadvertit Tiedemann, meditantes non id agunt, ut mentem separent a corpore, sed, ut quae e sensibus tam externis quam

(1) Vid. Schulze, Op. Cit. St. I. pag. 78, 79, 84 et 85. Wyttenb. *Praecepta Philosophiae Logicae*, p. 59. ac Plato de Rep., p. 357. C. et 367. C.

(2) Acad. IV. 41.

(3) Plut. Sulla, p. 453. B. coll. Eurip. Phoen. vs. 537.

(4) Moses Mendelsohn, l. l. p. 106.

quam internis hauserant, ea colligant, et animo contemplentur. Unde, ni fallor, satis superque patet, Platonem nimis universe statuisse: animum sevocandum esse a corpore, et, in hoc reprehendendo, non satis illud tenuisse, quod nos dicimus: abusus non tollit usum. Cff. quae de hoc argumento disputantur a Tiedemanno, Dialog. Plat. Arg. expos. et illustr. p. 22. et 23. et a Gotlebero, Arg. rel. in Opere, cui titulus: Acta Nova Eruditorum Lips. Ai. 1769. T. LXXXVII. p. 58. Vid. Moses Mendelsohn, vers. Belg. Phedon: inde a pag. 71-79. qui, quod pace philosophi elegantissimi et subtilissimi dixerim, Platonis argumento nimiam tribuisse videtur vim et auctoritatem.

§. 2.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Hujus argumenti vim et auctoritatem in philosophia theoretica si rite constituere velimus, animadvertendum tria in eo potissimum occurrere capita, quae id probent, viventes non aliunde fieri quam e mortuis:

I. In tota rerum natura haec dominatur lex: contraria non aliunde fieri, quam e contrariis.

II. In omnibus rebus contrariis duae locum habent, sive generationes sive progressiones.

III.

III. Eadem necesſitate conjunctae ſunt vita et mors, ita ut e vivis non minus fiant mortui, quam vivi e mortuis.

Haec argumentatio minus recte procedit; quia,

I. *e contrariis fieri contraria*, non experientia modo non docet, ſed ratio quoque falſum esſe et abſurdum demonſtrat; ſi quidem ſibi invicem contraria ſunt, non quae videntur, ſed quae revera ſunt contraria. Ita Moſes Mendelſohn l. l. p. 97. (1) ipſe animadvertit ex *esſe* numquam fieri posſe *τὸ non esſe*, quandoquidem tantopere a ſe invicem ſunt diverſa, ut naturali via ex altero alterum numquam fieri posſit.

II. Exempla, quae a Platone afferuntur, talia ſunt, quibuscum nullo modo comparari posſint *vita* et *mors*. Hae enim, tanquam *res* et *nihilum*, ſibi invicem ſunt contrariae. At vero majus et minus, velox et tardum, firmum et infirmum atque calor et frigus, non niſi mera ſunt comparativa, et, ſi dico, quod majus fit, id ex minori fieri majus, velox ex tardo fieri, firmum ex infirmo, calorem ex frigore, et contra ex majore minus, ex firmo infirmum, ex veloci tardum, ex calore frigus, non id dico: contraria fieri ex contrariis, ſed ſimpliciter, locum habere vel incrementum vel decrementum. Nonnihil probabilitatis prae ſe fert comparatio vitae et mortis cum vigilia et ſomno, licet,

(1) Cf. Ejusdem *kleine philoſophiſche Schriften*, p. 199.

licet, quid in ea sit reprehendendum facile invenias. Nam, si quis dormiens mortuus sit, is sane a somno ad vigiliam redire nequit; uti contra ex vigilia in somnum transire non potest, quicumque vigilans de vita decesserit; quod obtinere deberet, si et hac in re Platonis argumentatio procederet. Praeterea, secundum Platonis sententiam, hoc etiam consequitur: hominem parvum injustumque antea fuisse magnum et justum; et vero, ut exemplis, ab ipso allatis, vis quaedam accedat et auctoritas, hoc probandum: alternis semper locum habere incrementum et decrementum. At experientia communis contrarium nos docet. Homo v. c. tantum abest, ut vicissim magnus fiat ac parvus, ut contra, postquam magnitudinis fastigium attigit, moriatur, neque idcirco rursus parvus fiat. Tandem, quod addit, huic argumento ut novum adjungatur robur, nimirum: si generatio haberet viam directam, non in orbem, i. e. si omnes vivi continuo in mortem abirent, neque flexu viae ex morte in vitam redirent, tunc totam paulatim naturam moriundo consumtum iri, et somno veternoque iri oppressum multo graviore quam, qui in fabula celebratur, Endymionem: id, inquam, mihi non probatur; nam verum quidem est, omnia mortem habituram, si nulla morti succederet vita; falsum autem, nihil in vita iri relictum, nisi mortui reviviscant, cum fieri possit, ut aliunde viventes, quam ex mortuis, procreentur; et sine dubio hanc

hanc rationem non admisisset Plato, si illud habuisset perspectum: adesse in rerum natura vim quamdam procreatricem, qua rerum formae pereunt, res vero ipsae ita permanent, ut abolitionis nullum inveniatur exemplum. Natura igitur, quae sui ipsa est conservatrix, mortem quidem fert individuis, sed nova continuo substituit ita ut, licet partes mutentur, ipsa tamen semper integra eademque maneat.

Hisce animadversis, liquido, ni fallor, constat, vim et auctoritatem hujus argumenti ad animi probandam immortalitatem esse perexiguam, *ut satis* demirari non possimus, Platonem, *praeclarum sane* philosophum, verborum ambiguitatibus tantum tribuisse, quantum eum revera tribuisse hoc argumentum demonstrat. Vid. Tiedem. l. l. p. 23. et 24. Gotleber, l. l. p. 59. et 60. ubi docte de hoc argumento disputatur. Moses Mendelsohn item hoc argumentum videtur rejecisse, quippe ab ipso ita sit informatum et conversum, ut prorsus aliud appareat l. l. p. 81. seqq. coll. iis, quae de hoc argumento disputat in Append. p. 197. Hujus philosophi argumentationem cum Platonica confudisse videtur Wyttenb. Op. T. II. p. 588. Lect. Quinq. p. 111 et 112, uti universe Wyttenbachius *plus semel* hac nota notandus est, quod Wolfiana, *Germanica* omnino, in antiqua, quod ad philosophiam, transtulit; de hoc argumento item egit G. Ploucquet Comment. Philosoph. Select. disp. XXV. p. 557. §. 51.

§. 2.

§. 3.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Argumentum, in quo jam verſamur, maxime inclaruit doctrina, quam continet, de ideis innatis. Haecce doctrina, cum antiquo tum recentiore aevo et antiſtites et adverſarios habuit, numero multos atque ingenio praeclaros. Uti enim inter antiquos contra Platonem disputarunt Peripatetici, Epicurei et Stoici, ita, recentiore aetate, adverſus Lockium (1) Platonis defendit ſententiam Leibnitius.

Argumenti autem capita, quae maxime ſub examen videntur vocanda, duplicia ſunt:

I. Discere nihil est aliud quam recordari.

II. Animi nostri ante ortum nostrum aeque fuerunt, ac notiones univerſales omnisque οὐσία.

Fortasſe ſit quispiam, qui haec, tamquam Platone indigna, rejiciat et improbet; at ne ita existimemus, neque nostram cogitandi rationem in Platonem transferamus. Hic enim hominem credebat ſic in hanc terram venisſe, ut ſuperioris cujusdam

(1) Vide ejus Opus princeps: de Intellectu Humano: quo primum refutat Platonis et Carteſii doctrinam de ideis innatis: deinde probat intellectum humanum inſtar esſe tabulae raſae, nil in eo esſe, niſi quod extrinſecus ſit illatum. Tum vero ſumma diligentia exquirit, quomodo per ſenſus notiones oriantur, atque intellectus in judicando procedat.

dam vitae memoriam retineret, quae instauranda videbatur ipsi docendo, ut proficeret ita ad cognoscenda pulchra, bona, justa omnia, quae jam ante fuerat contemplatus. Platonem hac in re aberrasse a vero, non minus Platoni, quam universae antiquitati attribuendum videtur, cum post praeclaram Moshemii dissertationem, de Creatione ex nihilo, maxime §. 15., id nobis sit persuasum: philosophos antiquos ignorasse plane creationem ex nihilo. Apud Platonem Deus occurrit, non tanquam creator, sed tanquam effector, qui figuli instar, ideas tamen, maxime ideam τοῦ ἀγαθοῦ, intuens, materiam sive ὕλην informaverit; quodque in narratione Mosaica, paris cum simplicitatis tum sublimitatis, dictum occurrit: *Esto lux, adfuit lux*, frustra quaesieris apud Platonem. Hoc perspecto, Platoni suus constabit honos, tantumque abest, ut, quod in hoc argumento mirum nobis accidit, habeamus absurdum, ut contra unum in paucis Platonis probet acumen ingenii; at vero ejus valorem in philosophia theoretica constituere si velimus, fatendum omnino, quamvis acutum, tamen non omni exceptione esse majus.

Nam, quod attinet: discere nihil aliud esse, nisi recordari, etsi non absurdum sit dicere, notiones jam adesse in animo, easque legibus quibusdam excitari; longe tamen probabilius est statuere, vim modo facultatemque notionum percipiendarum animo inditam esse. Quapropter, si quam cognitionem rerum, non a doctrina aliorum profectam,

ha-

habemus; eam notionibus univerſalibus, animo innatis et quaſi infixis, debemus. Illam autem non reminiſcentiam dici poſſe, facile intelligitur. Nam, ſi ita ad animum recurrunt ſimulacra pristina rerum, ut ea jam eſſe olim obverſata animo agnoscamus, tum demum reminiſci dicimur. Praeterea recte animadvertit Ploucquet, ex reſponſionibus minime patere: reminiſci rerum hominem, non autem easdem diſcere, quandoquidem, de ejus ſententia, omnino fieri potest, ut docens, bona methodo utens, quaestiones, ad problema quoddam ſolvendum requiſitas, ita ordinet, ut e ſimplicitate earumdem facile judicet diſcens, num affirmando an vero negando reſpondendum ſit. Ita vero, inquit, diſcens *intelligit*, non autem *reminiſcitur*. Patet igitur prius argumenti caput admitti non poſſe, diſcere longe aliud quid eſſe, quam recordari; quo confutato, et altera argumenti pars ſponte corruat neceſſe est, qua efficitur: animos nostros ante ortum nostrum aeque fuiſſe, ac notiones univerſales omnemque οὐσίαν.

Licet enim veriſſimum ſit, nos habere notiones quasdam univerſales; quae numquam fallant, atque ad eas nos exigere rerum aequalitatem, honestatem, pulchritudinem caet.; tamen inde non conſequitur, illas notiones animumque ſimul ante ortum nostrum adfuiſſe. Tum enim probandum eſſet: ſuapte natura animum eas gignere non poſſe; quod Plato neque demonſtravit, neque demonſtra-

ſtra-

ſtrare potuit. Quandoquidem, cum notiones iſtae univerſales nihil ſint aliud, quam modus, quo verſatur in rebus ſingulis ſibi repraeſentandis animus, accurate deſcriptus, non est quod dubitemus, quin notiones, quas dicimus, univerſales ex ipſa animi natura, viribusque ipſi inditis oriri queant. Quibus animadverſis, mirum nobis videri non poteſt: hoc argumentum ne attigisſe quidem Mendelsſohnum in argumentorum recenſione, quae valeant ad animi probandam immortalitatem. Caeterum plura de eo legg. apud Ploucquet l. l. p. 557 §. 50. Tiedem. l. l. p. 25 et 26 et Gotleb. l. l. p. 61 ſqq. Wyttenb. Op. T. II. p. 589.

§. 4.

Argumentum Quartum.

Hoc argumento Plato animi immortalitatem ex ipſius natura eaque ſimplice probatum ivit; quod ut primus fecisſe videtur, ita omnibus, qui post eum vixerunt, philoſophis, faces hac in re praetulisſe exiſtimandus est. Aristoteles v. c. Platonis vestigia ſequens, de Dei disſerens natura, animum partibus omnibus carere, dedita opera, *demonſtravit*. Recentiores quod attinet, ſatis notum est, eos de animi natura vel immortalitate vix ſcripſisſe, quin ex ejus ſimplicitate maxima quaeque et ducerentur et efficerentur. At vero quando dico,

pri-

primum fuisse Platonem, qui animi simplicitatis rationem haberet, non id dico, eandem significasse cum Platonem tum recentiores. Contrarium enim docuere et probarunt Gotleb. l. l. p. 66 sqq. et Tiedem. l. l. p. 27, sed simpliciter id dico, eum rationes attulisse, quibus persequendis, posteri rem ab ipso, non dico inchoatam, sed promotam, perficerent et profligarent. Platoni an posteris hac in re major laus sit tribuenda, difficile est statuere. Nam dubium videri possit, cui major sit honos habendus, qui invenerit et intraverit viam, an qui naviter fortiterque sit persecutus. Nos, his missis, ad propositum veniamus.

Argumentum igitur eo maxime valet, ut ostendatur:

I. Omnium, quae adsunt, rerum duo haberi genera, alterum compositum, simplex alterum, ita a se invicem distantia ut eorum munera prorsus sibi sint contraria.

II. Comparatione instituta, patere, animum esse simplicem, corpus contra compositum. Ipsi enim divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem seipsum habenti, animum esse simillimum: humano vero, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, numquam eodem modo se habenti, corpus. Itaque:

III. Corpori convenire, ut brevi solvatur, animo contra ut omnino sit indissolubilis. Quae autem

tem sequuntur, de consulto omisimus, quippe non tam immortalitatem spectent, quam discrimen, *quod* post mortem philosophis aliisque hominum generibus intercedat. De vi hujus argumenti dignus est, qui legatur Olympiod. l. l. ad S. XXVI.

Ejus auctoritatem quod attinet, nemo hodieque facile in dubium vocabit, animum esse simplicem, nec morte corporis dissolvi. Si vero quis sit qui dubitet, legat opus Reimari, quod inscribitur: *Voornaamste Waarheden enz. Hoofdst. VI. en X.* Tralles de Immaterialitate et Immortalitate animae, passim, tum, qui multorum instar est *habendus*, Moses Mendels. l. l. p. 129, 142 sqq. *inprimis* pag. 147, 158, 171. et in Append. 206. rel. e quo sua hausit, ut ipse profitetur, Wyttenb. Inst. Metaph. p. 125 rel. Mos. Mendels. Kleine Phil. Schr. p. 176 et 179; quocirca hoc tamquam certum habentes: animum esse simplicem, nec morte corporis dissolvi, id unice exquiremus, num ratio, qua id demonstratur, recte se habeat.

Quod igitur primum dicit: omnium, quae adsunt, rerum duo haberi genera, eaque contraria, alterum compositum, simplex alterum, hujus *divisionis* veritatem restringunt Stoici, negant Epicurei et ex recentioribus, qui vocantur, *Materialistae*. Et sane in promtu est reprehensio. Nam compositum sensibus corporis percipimus, incompositum non item: nec ulla est idonea ratio, quare potius statuamus esse, quam non esse genus rerum

rum simplicium; nec verum est, omni generi aliud esse contrarium genus, uti docte et accurate probavit Wyttenb. ante Phaed. p. XXXVII. Neque magis defendi potest ratio, qua, ex animi invisibilitate, ejus simplicitatem conficere voluit. Animo quidem convenit invisibilitas; sed quod a nullo cerni postet, inde non efficitur, illum esse simplicem. Quis enim ignorat, aërem et aetherem etiam esse invisibiles, et mutari tamen posse, nec semper per se manere, ideoque non esse simplices? Quidquid enim mutatur, nec semper per se manet, id simplex non esse jure conceditur. Universe animus, quamvis sensibus nequeat percipi, non ideo tamen idem semperque sibi similis manet, neque simplex est, cum multa, e partibus conflata, nostris non sint sensibus obvia. Vid. Tiedem. l. l. p 28.

Deinde, quod addit: uti corpus nos trahit ad fluxa quaeque et polluta, ita ad pura eaque aeterna ducere nos animum, concedendum omnino, haec mirifice facere ad animi probandam praestantiam. Sed ex hac per se animi neque simplicitas neque immortalitas evinci potest. Cogitari enim potest, Deum, rem quamvis excellentissimam, per summam illam potentiam, qua omnia a se condita destruere valet, iterum in nihilum redigere posse. Num vero e divina sit sapientia ejusmodi quid facere, longe alia quaestio est, quae in indaganda hac re minime praetermitti debebat; et, si quae vis ar-

gu-

gumenti est in illa ratione pro nostra re, illa non ex animi praeſtantia, ſed e ſapientia divina ducenda est. Hanc argumentationem igitur *potius* imperfectam et nondum abſolutam dicam, ſatis ſuperque, philoſophiam veterum valde mancam esſe, probantem. Tandem de imperio, quo animus moderatur corpus, eadem, quae diximus, valere videntur: indicium item est naturae praeſtantioris; demonſtrationis autem vim habet nullam, praeſertim cum ſaepisſime corpori contra obedire animum experiendo discamus. Cf. Tiedem. l. l. p. 28 et 29. et Gotleb. l. l. inde a p. 64—75.

Hujus ergo disputationis ſumma *huc redire videtur*: Plato recte ſtatuit, animum esſe ſimplicem, ipſique divino, immortali, intelligibili, uniformi, indisſolubili, ſemper eodem modo et ſecundum eadem ſeipſum habenti, eum esſe ſimillimum, itaque conſequi, ut omnino ſit indisſolubilis; haec, inquam, Plato recte ſtatuit, quamvis argumenta, quibus nituntur, minus videantur probanda, imo, tamquam argumenta, rejicienda.

§. 5.

Argumentum Quintum.

Hujus argumenti magna ſane vis est et auctoritas in philoſophia theoretica, ejusque praeſtantia cernitur vel inde, quod eadem fere dicuntur

a

a philosophis recentioribus contra eos, qui animum a corpore non differre contendunt. Palmaria sane ratione argumentum et explicuit et in suum usum convertit Mendelsohnus, docens: corporis essentiam unice constare qualitate partium et modo compositionis; animum autem sive harmoniam sive corpus esse non posse, cum cogitatio, in qua animi οὐσία maxime versatur, effici nequeat aut modo conpositionis, aut contineri singulis partibus, aut effici denique motu l. l. p. 129 seq. maxime 138 et 144 coll. iis, quae habentur in append. p. 205 sqq.

In tota argumentatione id unice videtur reprobandum: animum aeque atque ipsius essentiam prius fuisse, quam in humanam speciem corpusque deveniret. Hoc enim, e Pythagorica ratione ductum, falsis quibusdam nititur opinionibus sive principiis, uti recte monet Gotleb. l. l. p. 54 coll. iis, quae supra me animadvertere memini p. 56. Reliqua disputatio aeque atque ipsius initium, quod modo recensuimus, eo maxime valet, ut ostendatur, animum non esse harmoniam. Cujus argumenti valor universe a nemine videtur in dubium vocandus, si quidem quae continet capita veri speciem prae se ferant, et tamquam vera confirmentur a testibus locupletissimis. Ita ea et illustrat et explicat Ploucquet l. l. p. 542 §. 2. §. 3. pag. 543 §. 5. pag. 545 §. 12 et pag. 550. §. 21. Mendelsohn l. l. p. 147. Animum alium non magis

 ea-

esse animum quam alium, probavit l. l. p. 155. Wyttenb. T. II. p. 590. et Tiedem. l. l. p. 31 quorum ille, ni fallor, argumentum Platonicum non integrum tradidit, cf. Wyttenb. l. l. p. 586. sed ita, quemadmodum, partim saltem, invenitur explicitum a Mendelsohno.

§. 6.

ARGUMENTUM SEXTUM.

Hoc argumento Plato pro subtilitate, qua valebat, animi immortalitatem ratione arithmetica conficere voluit. Demonstrat enim eodem modo, quo ternio est impar ac non recipit parem, quamvis non contrarium, ita et animum esse immortalem neque suscipere mortem. Sed totum argumentum, quoad nostrum spectat propositum, verbo videtur notandum. Contrarium numquam sibi vult contrarium aut esse aut fieri; quod ut pateat, hoc aeque valere dicit in rebus singularibus atque in ideis. Constare enim, non solum magnitudinem ipsam numquam velle magnam simul parvamque esse; verum *etiam* neque hanc, quae in nobis est, *magnitudinem* umquam recipere parvitatem, neque superari velle: sed alterum de duobus accidere, aut fugit et decedit, veniente contrario, scilicet parvitate; aut, quum venerit contrarium, perit exspectans et sus-

cipiens parvitatem, nec tamen aliud vult esse, quam quod fuerat. Tum, his generibus tertium adjungens, hoc addit: videntur non solum ipsa inter se contraria sese invicem non recipere, verum etiam quaecunque talia sunt, ut, licet contraria inter se non sint, semper tamen contraria possideant, numquam recipere speciem illam, quae ipsi speciei, quam in se habent, contraria sit, sed, hac adveniente, aut perire protinus aut abire. Quocirca, uti ternio est impar, ac non recipit parem, quamvis non contrarium, ita animus est immortalis neque suscipit mortem. Nam quidquid occupat animus, semper ad illud vitam affert, vitae contraria est mors, animus vero contrarium ejus, quod semper adducit, subibit numquam, quemadmodum ex superioribus constat. Quid igitur? Quod non suscipit mortem, est immortale; atqui ergo animus, cum mortem non suscipiat, est immortalis.

Tiedemanno, qui solus, quod scio, argumentum rite dijudicat, haec argumentatio minime procedere videtur. Verum omnino est, inquit, secum pugnantia inesse simul in eodem, adeoque et contrarium ejus, quod semper alicui est adjunctum, inesse in hoc, quamdiu adest alterum, non posse; at, quod valde huic est affine, numquam succedere in ejus locum contrarium posse, minime hinc efficitur: dyas, quamdiu est dyas, transire in numerum imparem nequit, addita tamen unitate perit dyas, et prodit numerus impar ternarius. Animus

igitur, qui semper secum affert vitam, quamdiu est animus, mortis omnino est expers; at semper eum esse iniquum, Plato non demonstravit, adeoque totum corruit argumentum l. l. p. 36.

Meam sententiam proferre si licet, disputatio eatenus falsa esse videtur, quatenus verum est, vitam esse *aliquid*, sive rem; mortem contra *nihilum*: adeoque, quantumvis rem minuas, semper eodem intervallo a nihilo distare vitam, uti monet Wyttenb. Op. T. II. p. 388 et probat Mendelss. l. l. in sui Phaedonis libro primo. Caeteroquin profiteor, neutiquam mihi placere eos, qui animi immortalitatem ratione arithmetica confirmare studeant: imo hanc rationem non magis probo, quam eorum, qui, si rogantur, qui factum ut in Oriente fere polygamia, in Europa contra monogamia obtinuerit? ad rationem confugiunt arithmeticam, causamque hujus rei unice inde repetunt, quod in Oriente plures fere feminae quam viri, in Europa contra plures viri quam feminae nasci solent, quod vitium admisit adeo historicorum φιλοσοφώτατος Montesquivius in opere, quod inscribitur: *de caussis legum* (1); vimque et auctoritatem in philosophia theoretica hujus argumenti magni non esse habendam, vel exinde efficio, quod illud ne attigit quidem Mendelsohnius, quod pro subtilitate, qua valebat, et pro acumine, quo pollebat, extra dubium non fecisset, nisi Plato hoc in

(1) Lib. XVI. Cap. IV.

in re enuntiationum affinitate se decipi passus fuisset. Argumentum ei substituit, quod, uti gravitate et veritate est insigne, facile nos movet omnibusque persuadet, ductum illud cum e perfecti studio, quod homini innatum est, tum a summi numinis virtutibus, quae maxime cernuntur bonitate, sapientia et justitia, quas, nisi animorum sit immortalitas, minime constare posse, abunde probat in opere saepius l. Dial. III. maxime p. 158, 160, 165, 169, 171. deque summi numinis virtutibus classica sunt loca, pag. 181 et 187. Sed hujus loci non est comparationem instituere Platonem inter et Mendelsohnum. Hoc faciendo, facile efficeremus verum esse, quod dicit Tullius (1): „recentissima quaeque esse correcta et emendata maxime." Quod tamen non ita dictum velim, quasi Mendelsohno postponam Platonem. Alio tempore vivebat Mendelsohnus; alio Plato; alia erat religio, quam impugnabat Plato, alia, quae et in Mendelsohnum, quamvis Judaeum, vim habuit maximam, religio Christiana, quae talis est, ut cum vera philosophia amice conspiret. Graecorum philosophia, quamvis purioris cujusdam religionis instar sit habenda, tamen eo assurgere non potuit, quo facile nos adducit religio Christiana. Praeceptum v. c. quod haec nobis tradit: Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν (2), tan-

(1) Acad. Quaest. I. 4.

(2) Matth. XXII. vs. 39. et Marc. XII. vs. 31.

tantum abest, ut innotuerit Graecis, ut contra, septem sapientium sapientissimus, Solon in votis habuerit:

εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν·
τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν. (1)

ac Socrates, de ipsius Apollinis oraculo totius Graeciae σοφώτατος καὶ δικαιότατος, summis eum cumulaverit laudibus, ὃς ἂν φθάνῃ τοὺς μὲν πολεμίους κακῶς ποιῶν, τοὺς δὲ φίλους εὐεργετῶν. (2)

Forte mirum cui accidat nos, in argumentis pro animi immortalitate cum recensendis tum dijudicandis, ea Platonis argumenta, quae ex proprietatibus divinis et ex appetitionibus quibusdam nobilissimis, quae numquam satiari possint, derivantur, tantum non praeteriisse, praesertim cum singulatim fere notentur a Wyttenbachio T. II. Op. p. 588, 589 et 590. Si peccavi, sciens peccavi. Cum enim ab ipso Platone justo brevius sint proposita, et loca (3), eo spectantia, talia sint, ut, quid his sibi vo-

(1) Vidd. Brunckii Poëtae Gnomici pag. 74. vs. 5.

(2) Vid. Xenophon Mem. Socratis II. 3, 14. et II. 6, 35. collato Platone de Rep. p. 332 A et 335 A.

(3) Loca attulit et dijudicavit Gotleber. l. l. p. 55 et 56.

voluerit, dubius fere haereas; verens ne his alienum ſenſum tribuerem et plura inde elicerem, quam ipſe Plato voluisſet, ſatius duxi ea non illustrare, ſed ſignificare, et magis attingere quam pertractare.

Hisce ita pro viribus nostris disputatis, huic qualicumque tandem ſcriptioni finem imponamus; illud unum monendum ſuperest: me ex quaestione a vobis, Viri Clarisſimi, propoſita, cum ad ſuavitatem tum ad utilitatem eum percepisſe fructum, ut, licet alius veroſimiliter palmam praeripiat, equidem tamen non habeam, cur temporis, huic ſcriptioni impenſi, me poeniteat;

Καλὸς γὰρ ὁ ἀγών· καὶ τῇ ψυχῇ
ὁ λόγος πάντως χρήσιμος.

PLUTARCHUS.

COMMENTATIO

DE

PLATONIS PHAEDONE.

A. J. VAN BEECK CALKOEN,

IN ACAD. RHENO-TRAJECT. PHIL. THEOR. LITT. HUM. ET JURIS CAND.

COMMENTATIO

DE

QUAESTIONE LITERARIA

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITA,

QUA REQUIRITUR:

„ *Disputatio de Platonis Phaedone, qua primum*
„ *sermones Socratis cum amicis breviter, sed*
„ *tamen apte et ex dialogi ratione, enarrentur,*
„ *tum petantur inde et explicentur, quae ad*
„ *animi immortalitatem probandam prolata sunt*
„ *argumenta: tandem quae sit eorum argumen-*
„ *torum in* Philosophia theoretica *vis et aucto-*
„ *ritas, efficiatur.*"

Ὦ μακάριε Σωκράτους Δαίμον, εἴ τις σοι ἐστὶ μελετὴ τῶν νῦν ζώντων ἀνθρώπων, καὶ μάλιστα νεωτέρων, οἵτινες ἀληθίνης φιλοσοφίας ὀρέγονται, μήτι χαλέπαινε νεανίσκῳ βελτίστου Σωκράτους λόγους ἐξελέγχοντι. Ἴσως γὰρ ἀνάξιον δοκεῖ τε καὶ ὑπερήφανον, ἀνδρὶ μὲν ἀπιστεῖν, ὅςις πάντων ἔφηνε σοφώτατος· καὶ μᾶλλον ἔτι, ὡς ἀλάζονα διαβάλλειν ἅτερ αὐτῷ ἔδοξε ἱκανῶς εἴρησθαι. Ἀλλ' ὦ μακάριε, αὐτὸς ὁ Σωκράτης, ὄλιγον ἑαυτοῦ, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τῆς ἀληθείας φρόντισας, ἐκέλευσε τὰς τῶν εἰρημένων ὑποθέσεις ἐπισκέψαι σαφέστερον, πολλήν τε καὶ βαρβάρων γῆν καὶ Ἑλλήνων περιίεναι περὶ αὐτῶν ἀπορουμένους, μήτε χρημάτων φειδομένους μήτε πόνων. Ἐγὼ μὲν οὖν ταῦτ' ἐννοῶν, ἀκριβέςατα τὰ Φαιδῶνος διερεύνησα, καὶ ἄλλους ἀνδρὰς σοφίας ἐραστὰς περὶ ταῦτα διαλέγοντας ἠκουσάμενος, πολλοῦ μετ' αἰδοῦς ἐσκόπησα, εἴ τι μοὶ παντελῶς εὖ λεχθῆναι δοκοῖ.

Πλεῖ-

Πλεῖστα τοίνυν οὐδὲν πρὸς πίστιν ἀπολείπεσθαι ἔφησε, καὶ σπάνια ἦν τὰ ἐνδεεστέρως εἰρημένα. Καὶ μὲν τούτοις ἀντιτείνειν παντὶ δυνάμει ἐνεχείρησα. Ἀλλ' οὖν, ὦ βέλτιϛε, οὐ μόνον οὐκ ἀγανάκτει περὶ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἑκὼν μοὶ παρίσταθι ἐν τῷ λοίπῳ βιῷ· καὶ, οὗπερ Σωκράτει ἦσθα ἡγέμων, δίδαξον ἁπλῶς τὴν ἀλήθειαν θηρεύοντα διάγειν, καὶ ἁγιῶς τελευτᾶν.

PRAE-

PRAEFATIO.

Quaestionis propositae, tum etiam ipsius hujusce scriptiunculae ratio postulare videtur, ut verbo moneam, quo modo in ea elaboranda sim versatus.

Primum hoc est. Perlecta quaestione tam exiguam apud me deprehendebam scribendi facultatem, ut, si tribus capitibus singularibus commentatio esset disponenda, quae tribus quaestionis partibus responderent, vix ingratissimum lectoribus vitarem vitium, molestas dico argumentorum repetitiones, quae brevius in parte priori, fusius vero in duabus posterioribus fuissent exponenda: quod profecto majorem, quam quae mea est, dictionis requireret varietatem et elegantiam. Haud igitur ineptum putavi, si, dialogi adhibita forma, primum inducerem Marcum, Licinio amico scriptionem praelegentem, qua primae quaestionis parti satisfieret: deinde juvenes istos de argumentis, in Phaedone obviis, ita disquirentes proponerem, ut Marcus Platonem explicaret atque propugnaret, Licinius vero dubitandi afferret rationes. Sic enim

facil-

facillime inanis repetitionis periculum vitari posse sperabam.

Tum et aliud monendum, quod subtimide fateor: sed tamen est dicendum. Scilicet prae reliquis ad scribendum me incitavit studium explorandi, quid meae valerent vires in tanto negotio, quidque ipse diligenter legendo Phaedone efficere possem. Quo consilio ductus, primum Latino sermone scriptis expressi Platonis dialogum, ne forte incautius legentem disputationis acumina laterent: dein vero toties librum relegi, donec probabiliter mihi ipsius rationem perspexisse viderer. Quo facto cum ad crisin transeundum esset, ita potissimum *in hac re* sum versatus, ut Socratis Platonici argumentis, quantum fieri posset, accuratissime expositis, mox dispicerem num juste sibi consonarent, atque legitima ratione ex suis hypothesibus deducta essent ratiocinia, et sic quidem prae ceteris in examen vocarem formam atque seriem argumentorum. Illud vero, quod dixi, proprio ut ajunt Marte aggressus sum. Etenim probe mihi conscius eram, inter duo necessaria alterutrum esse eligendum, sive, ut virium periculum faciens mihique confisus paucula de meo colligerem, sive, ut, aliorum auctoritate ductus, non meam, sed aliorum de Phaedone sententiam exponerem. Videbam enim *in philosophis* praesertim disquisitionibus fieri aliter non posse, quin tiro artis expers, si aliorum opiniones de re incognita indagare velit, priusquam ipse ali-

quan-

quantulum suam sententiam meditando constituerit, adhaereat doctis magistris, quorum vestigia legit, atque ita nesciat tandem, quid sibi videatur, quidque ipse valeat ratiocinandi facultate. Haec animo tenens, philosophos, qui plurimi de Phaedone egerunt fere non adii, verum assiduo labore et meditatione iterum iterumque dialogum recolui; ubi vero auctoris mentem mihi assecutus viderer, disciplinae fundamentis, antea praeceptorum institutione librorumque lectione in me jactis, innixus, ad crisin acccessi, et sic uberrima cum mea voluptate sensim procedens, meam qualemcunque tandem opinionem scriptis mandavi. Fateor, in scriptore, doctum librum in lucem emittente, haud ferenda hujusmodi esset arrogantia, quasi in doctrina quadam elaboranda quidquam probabiliter praestari posset nisi ab eo, qui aliorum scripta et cogitationes in auxilium vocaverit: verum in commentatione Academica, qualis haec est, alia res esse videtur. Nam profecto non videntur Viri Amplissimi ludum huncce Academicum tironibus aperiendo illud voluisse, ut doctas elicerent humanique generis eruditioni profuturas dissertationes, sed unice exercitationis acuendique judicii praebuisse oportunitatem ipsi tironi scribenti saluberrimam. Quidquid vero sit, si hocce meum opusculum insigniter quantum distat ab eruditionis specie, atque ita, si doctrinae ipsius spectes commodum, longe forsitan postponendum est probabili syllogae effatorum a doctis praesertim

Ger-

Germanis enunciatorum, teneant aequi judices, non fegnitiei esfe tribuendum aut irridendae fuperbiae, quod adfcribendum est ftudio, juveni vix eripiendo, periclitandi, quid ipfe absque aliorum auxilio efficere posfit.

L.

I.

Licinius. Salvus ſis Marce: quid agitur? *Marcus.* Quis venit? Heus, tune es! Salve Licini: adventum laetor. L. Sperabam; ſed vereor ne paulo maturius adſim: mihi quidem jam arcum laxavit Apollo: tu vero omnis in labore eſſe videris. Igitur vale: mox redibo. M. Imo mane mi bone! hujus diei penſum abſolvi, majusculum fere quam quotidianum: eo igitur jucundior erit amica confabulatio. L. Itaque ſi jubes bene est: non hodie hoc primum erit ſi a ſtudiis te avocem. Sed quid hoc est quod animadverto? fenestrae ſemiclauſae? libri plures aperti? videris mihi inſolitum quid moliri. Siccine disſertationis conſcribendae amoenisſimum opus aggrederis? M. Alia res est. — Verum haec mittamus: nihil est. L. Quid hoc? nihil? M. Si nimium urges, dicendum erit. Est autem de eo laborum genere quod occulte, ſub noctem, clanculum homines

per-

perfici amat. — L. Jam suspicor quid agatur. At Marce! κοινὰ τὰ τῶν φιλῶν: noli quidquam mihi celare. M. Dicam igitur. Sed, nosti, alta silentia. — L. Ohe! aeterna si fors velit, modo dicas. M. Animum mihi advertit quaestio literaria in Academia Trajectina proposita de Platonis Phaedone: tantopere enim placuit argumentum, ut mox virium periculum esse faciendum constituerem. Sed vereor, ne risum tibi moveam, tenuis grandia ausus. L. Non meum est amicos ridere generosa tentantes: res tibi felix faustaque sit. At vero, quaestio illa quomodo sese habet? non enim legi, quantum memini. M. Si lubet praelegam: quaeritur *disputatio de Platonis Phaedone, qua primum sermones Socratis cum amicis breviter, sed tamen apte et ex dialogi ratione, enarrentur: tum petantur inde et explicentur, quae ad animi immortalitatem probandam prolata sunt argumenta: tandem quae sit eorum argumentorum in Philosophia theoretica vis et auctoritas, efficiatur.* Sed mi Licini! quandoquidem extorsisti, quod ultro forsitan non fuissem confessus, vicissim abs te postulo, ut consiliis mihi et judicio praesto sis. L. Toto ex animo amici munere hac in re fungar: sed Phaedonem non legi, certe non ita ut promtum de eo quidquam habeam paratumque: non igitur video, quid magnopere tibi prodesse possim. M. Plus quam quidem opinaris: sciendum enim est, me primam quaestionis partem jam absolvisse, atque in secun-

cunda parte versari, quae argumentorum in Phaedone pro immortalitate allatorum, expositionem postulat: quod igitur tibi desit ad Platonis notitiam accuratiorem, equidem pro viribus supplere conabor sive narrando sive praelegendo Socratis effata: tu vero mihi optatissimum feres auxilium in tertia disquisitionis parte tractanda, qua singulorum argumentorum vis in Philosophia theoretica erit efficienda. L. Itaque si hoc velis ut primum exposito a te Platonis argumento, mox de eo inter nos dispiciamus, lubentissime illud agam: duplicem enim fructum inde percipiam: alterum ut tibi amicum me praestem; alterum vero ut nimis sopitam Phaedonis excitem recordationem. Ad rem itaque accedamus, mi bone! atque nisi alia sentias, primum age praelegas quod jam scriptis a te mandatum esse video. Sed quaeso ante memores quid in priori illa parte agendum sit? M. Primum hoc est: sermones Socratis cum amicis breviter, sed tamen apte et ex dialogi ratione, enarrentur. L. Quorsum istud? Quaestionis fateor rationem non perspicio: videatur enim abundare tota haec narratio, neque magnopere in censum venire, cum proprie de veritate argumentorum sit disquirendum: non cortice nobis, sed nuce opus est. M. Quamvis mi Licini! ab aliis talia praedicari audiverim, omnium minime a te hujusmodi quidquam exspectassem, qui Phaedonem et alia ni fallor Platonica legeris. L. Si quidem meliora docere possis,

ſis, docilem me habebis diſcipulum. M. Mea certe erit culpa, ſi minus tibi perſuadeam, Platonis philoſophiam non e compendiis, quae *vocantur*, ſed ſolum ex ipſo limpido fonte hauriendam esſe: atque idem illud quod corticis nomine appellas, ſucci et alimenti esſe plenum. Nam adeo hoc verum est, ut excellentisſimi ad unum omnes in Graeca philoſophia viri praedicent, neminem niſi qui Platonis ſcripta diurna nocturnaque manu verſaverit, ad probabilem ipſius intellectum posſe pervenire. Neque, credo, eo tam ingenti opus est eruditione ut aliquantum intelligamus, quid cauſae ſit, cur illud in Platonica philoſophia prae aliis *verum ſit*. Nostris enim diebus haec ratio ſervari ſolet, ut ſerie argumentorum a principio deducta, ſyſtema aliquod proponatur veritatum vel recens inventarum vel novo ordine diſpoſitarum: quae ſeries, ſi ſcite contracta ſit in ſyllogen, eum ſemper afferet fructum, ut auctoris doctrina inde probabiliter addiscatur.

L. Hoccine igitur vituperandum, quod ſummae ſemper laudi equidem duxi nostrae philoſophandi rationi?

M. Imo perquam laudandum: ſed alia Platonis erat ratio. Cum enim vir magnus ita de Philoſophia ſentiret, eam non ſcientiam ipſam esſe, ſed ſapientiae amorem, non ipſam rerum divinarum humanarumque cognitionem, ſed ſtudium cognoscendi, et vero ducem quae viam in disquirendo mon-

monſtret, facile quisque agnoscit quanti interſit nostra, ut non ſolum ab aliis accipiamus, quid ille disputando conſtituerit, ſed multo etiam potius ipſi comites in hac veritatis indagatione, viam cognoscamus et ſequamur quam philoſophando est ingresſus. Igitur Plato, hanc, quam dixi, veram philoſophiam existimans, non ordine quodam ſystematico dispoſuit seriem veritatum quas ſibi invenisſe videbatur: ſynthesis enim doctrinae ſive placitorum ſeriei convenit: ſed viam monſtravit quam ſecutus est ut discendi amori ſatisfaceret: humanae naturae convenienter in hominum animis exquiſivit ſcientiae fontem uberrimum: atque mentis viribus uſus, venationem, ut ait, pulcri cujusvis et veri et boni inſtituit, quam ſolam ipſius philoſophiam dicamus. Tu vero Licini! dic mihi num quid magis a ſynthetica placitorum dispoſitione remotum excogitare posſis? L. Fateor me pridem haec neglexisſe, quae tamen non ita recondita videantur: ipſa enim φιλοσοφίας vox deſignat ejus notionem quam propoſuisti.

M. Sponte autem intelligimus quae nativa esſet futura ratio quam in hac venatione ſervaret: prouti enim ſynthesis convenit exprimendae veritati inventae, ita hujus perquiſitioni propri a est analyſis, quam adhibuit Plato. Scilicet inſatiabili cognoscendi ſtudio ductus ita procesſit, ut ſecernendo et disjungendo res quascumque in judicium vocatas ab omni accesſione purgaret, et ſic demum tende-

deret versus nudae veritatis adspectum. Exemplo, ni fallor commode hac in re utar, sumto ab eo quod in dignoscendis rebus corporeis obtinet; quid enim si pictam tabulam e longinquo vel derepente adspicias? primo obtutu confusa et incongrua omnia: mox ubi accuratius varias imagines, colores, lineamenta secreveris, suoque loco agnoveris, clara fiunt omnia et distincta; atque suavissimo pulcrae picturae adspectu laetaris. Eandem discernendi rationem servavit Plato. Quae cum ita sint Licini! quid mirandum, si nativae huic philosophiae eam adhibuerit veritatis indagandae rationem quae eadem cum homine nata est, *sermones* dico, qui Socratici audiunt, hominis cum homine, amici cum amico confabulationes, quibus certe nihil est accommodatius ad excitandas et acuendas animi facultates, praesertim ad instituendam analyticam illam, de qua sermo est, rerum contemplationem? L. Lux mihi in hisce tenebris oboritur: sed perge mi bone! nisi taedeat. M. Licet igitur verum sit, argumenta et hypotheses a Platone constitutas, breviter contractas probabiliter posse proponi, vides tamen mecum, quam parum illud sufficiat ad declarandam interiorem ejus philosophiam: nam ita in dialogis procedere solet, ut ab initio videatur ipse nescire quaenam sua sit de re tractanda opinio: nonnumquam adeo post longam disputationem nihil constituat, sed legentium solertiae relinquat quid ex

va-

ariis argumentis probabilius videatur. Tum etiam, quod cuique vel uno lecto dialogo patet, saepissime sermones a disquisitione primarii argumenti deflectunt in varia omnia, quae quidem plurimum faciunt ad philosophi mentem perspiciendam, sed tamen ad strictam demonstrationem minus pertinent. Quum igitur haec sit Platonicae philosophiae ratio, qualem breviter quasi e longinquo significavi, non dubito, quin mecum sentias, Platonem esse legendum, si juste ipsius philosophiam assequi velis.

L. Marce! non committam in posterum, ut tam indignis modis calumnier quaestionem, cujus rationem, pessime antea perspectam, jam nunc suspicari incepi. M. Laetor tui gratia. Sed simul tenendum est, me non nisi graviores et quasi necessarias memorasse caussas, quibus Platonis accurata lectio commendatur. Mitto enim voluptatem quam inde percipimus, mitto persuasionis vim efficacissimam. Poëtico enim et sublimi sermone ita capimur, ut, nisi disputationis acumen omnia dubia profligaverit, generosa tamen et pulcri cujusvis bonique amantissima viri oratio in sui atque humani generis admirationem et caritatem nos abripiat, et, quod oculis nondum pleno sole ostendit, exquisitis saltem imaginibus magna cum probabilitate commendet.

Verum, o bone, metuo ne praeter morem fiam verbosior, amatorum instar quibus nihil acceptius

 est

est quam ut amatae laudes efferant. Nos igitur ad Phaedonem accedamus, cujus brevem descriptionem scriptis mandatam tibi praelegam. Nosti autem dialogi rationem; inducitur enim a Platone Phaedon narrans Echecrati sermones uos Socrates in carcere cum amicis habuit, eo die quo sumto veneno obiit, jubente Atheniensium judicio isto famosissimo. L. Memini, Marce, tum et mirifice legenti placuisse. M. Nec mirum, o bone; habet enim prae ceteris dialogus noster, quo legentium animos alliciat teneatque. Nam, quae solet maxime homines capere, dramatica ratio, tam egregie a Platone in hoc opere conscribendo *fuit* adhibita, ut nihil perfectius cogitari possit. *Scilicet* quod in aliis dialogis reprehendimus, ut nativos sermonum fines excedant, atque potius interrogationum et responsionum seriem, quam confabulantium sermocinationem exhibeant, prouti hoc animadvertimus in decem de Republica libris, in Phaedone certe locum non habet. In hoc omnia conveniunt naturae, et sermones referuntur quibus ipsi nobis interesse videamur: praesertim si secundam dialogi partem spectamus, quae absolvitur ipsius Phaedonis narratione. Summa enim simplicitate confabulatio ducitur ab argumentis e praesente Socratis conditione desumtis, atque *sensim* paulatimque ad alia deflectit et alia, donec tandem ad primariam perducatur disquisitionem, quae totius dialogi caput est et fundamentum. Variae in-

inducuntur personae tum loquentes tum et agentes: non enim verba tantum enarrat Phaedon et ratiocinia, verum etiam actûs personarum et motûs vividis coloribus depingit: ita vero inducuntur, ut singulae suam habeant indolem et morum characterem, quam per omnem dialogum egregie servent. Vide enim Socratem, cujus sermo, habitus, motus omnis philosophum spirat καλοκἀγαθὸν: vide Critonem, curam et sollicitudinis plenum amorem ubivis exprimentem: vide Simmiam et Cebetem, veritatis studio ductos integerrimo: vide Apollodorum, reliquos qui tam praeclare a Phaedone singuli describuntur, ut lecto dialogo omnium indolem perspexisse et veluti familiaritatem cum iis contraxisse videamur (a). Quod si insuper reputes sermonem, a Platone florente aetate conscriptum, divina prorsus styli dicendique gratia splendere, mirandum certe non est, omni aevo Phaedonem inter praestantissima antiquitatis monumenta fuisse habitum. L. Gratissimam excitas palmarii operis recordationem: neque aliud quidquam mihi acceptius erit, quam ut citissime ad ipsum dialogum accedas. M. Igitur praelegam.

„ Inducitur a Platone Phaedon Eleus, rogatus ab Echecrate Phliasio, Socratis sermones extremo vitae tempore habitos, atque ipsum magni viri obitum enarrans. Praevio enim breviore collo-

quio, quo Phaedo amicum facit certiorem de causa ob quam diu post dictam sententiam venenum sumserit Socrates, atque in scenam veluti dramatis transfert lectores, sic fere reliqua narrare pergit. Ultimo eo die, quo venenum bibit Socrates, mane jam ad carceris foras convenerant ipsius amici, quos inter Crito, Cebes, Simmias, ipse etiam Phaedon: qui mox ad eum admissi vinculis solutum vident, et luctu Xantippae excipiuntur. Quam ubi domum duci curavit Socrates, placide resedit, et simul cum hilaritate quadam crus compedibus liberatum terens „, mirum, imo stultum est, inquit, quod homines gratum appellare solent; ita enim cum eo, quod ingratum dicunt, est conjunctum, et a se invicem pendent utraque, ut merito Aesopus, si rem cogitasset, fabula eam exposuisset, quasi Deus, quum eorum inter se certamen tollere non potuisset, verticibus illa secum colligasset: quod idem jam mihi quoque visum est, quum dolori quem e compedibus sentiebat crus, mox voluptas subsequi videatur." Aesopum cum memoraret Socrates, meminit Cebes ipsum in carcere versantem Aesopicas fabulas ligato sermone exposuisse, hoc vero cum aliis tum imprimis Eveno cuidam, qui idem poëseos genus tractabat, mirum esse visum; sese autem nescire fatetur *quid istis sit respondendum*. Quod cum audivisset Socrates, reponit, non novum quid et a *priori* vita di-

diverfum fefe egisfe: fcilicet per totam vitam a daemone inftigatum ad muficam excolendam, omnium praeclarisfimam fe tractasfe muficam, ipfam Philofophiam: nunc vero, fomniis denuo excitatum, quo magis justa iis omni ratione faceret, popularem quoque illam muficam in carcere factitasfe, atque fabulas Aefopicas, quas memoriter in promtu haberet, verfibus compofuisfe: neque igitur illud fe voluisfe ut Eveno fieret aemulus, fed potius eum hortari, ut aequo illud animo fine invidia ferat, fuique imitetur exemplum, mortem placide et bona cum fpe operientis. Tum Simmias, „o Socrates, nullo modo, inquit, ultro tibi obtemperabit Evenus, quantum equidem hominem cognovi." Cui fuo more leniter respondens Socrates: „cum Evenus, inquit, fi philofophus fit, tum etiam unusquisque praeclaro hocce ftudio imbutus ultro et lubenter in orcum me fecuturus est. Attamen, non ipfi manus inferet violentas. Non enim licere ajunt." Cum nobile illud placitum tetigisfet Socrates, misfo Eveno fabulisque Aefopicis, continuo in illam partem fermones vertuntur, et prorfus Socratica ratione agitatur quaestio, cur tandem illicitum fit, fe ipfum interficere. Mirum fcilicet accidere posfit, inquit Socrates, cum alia negotia varia fint, five bona five mala, pro vario tempore et loco, item pro variis, hominibus, quibus accidant, folam mortem esfe fimplex aliquid et femper omnibus bonum:

et

et tamen non licere hominibus, ut sibi ipsis hac in re benefactores exiſtant. Paradoxon vero hocce ita ſolvit et explicat, ut e myſteriis ostendat, hominem, cum a Diis in hac terra tanquam custodia quadam ſit conſtitutus, minime decere, ut ſuo arbitratu inde aufugiat: praeſertim ideo non decere, quia boni Dii in hac vita nostrum curam habent nostrique ſunt domini. Solutionem vero retorquet Cebes, e Socratis verbis colligens, non ſimplex et ſemper bonum quid esse mortem, ſed multo magis ſapienti non expetendam, cum ſtultisſimi ſit, aufugere ab obtimo domino absque omni eo quod ſibi ſit optimum. *Asſentiuntur reliqui auditores* Cebetis reprehenſioni, quam adeo Simmias in ipſum Socratem tendere animadvertit, quippe bono animo amicos et optimos in hac vita rectores et dominos linquentem. Procedit igitur reus Socrates coram tribunali amicorum eo conſilio, ut propriam cauſam agendo, ipſis perſuadeat, optimaeque ſpei faciat participes, esſe illic, quo post mortem eundum est, alios bonos rectores et amicos; esſe omnino aliquid mortuis, optimum bonis at malis pesſimum. Argumenti autem, quo cauſam vindicat, ſumma eo redit, ut demonſtretur ex ipſo homini innato ſtudio veritatem contemplandi et cognoscendi, bonum philoſopho prae omnibus expetendum esſe mortem. Namque (quod postea latius exponendum) ducitur homo inexplebili cognoscendi ſtudio, cui tamen numquam ſatis-

Arg. 1.

tissiet dum in corpore vivat: sed tum demum si corporis vinculo liberatus, sola mente ipsas res contemplari coeperit. Philosophi igitur, utpote veritatis amatoris, exercitium in eo consistit, ut, quoad ejus fieri possit, animum a corpore sevocet, quod quidem nihil aliud est, nisi mortis exercitatio: mors enim est animi a corpore dissolutio. Quae si vera sunt, ridiculum esset, si philosophus homo mortem quasi malum aliquod metueret: nam re vera, quod dictum est, omnis ejus exercitatio est in purgatione animi a corporis allectamentis et cupiditatibus: quae purgatio sola virtus est dicenda. Non igitur, prouti reliqui homines, fortiter mortem opperiet metu majoris cujusdam mali incitatus, neque etiam temperantiam colet, quo melius aliis sibi magis exoptatis se tradat libidinibus: sed veram exercebit virtutem, fortitudinem, temperantiam, justitiam, qualem jubet prudentia, spretis omnibus sensuum affectibus: et sic quidem prudentia duce ad virtutem informatus, accedente morte evolabit pura mente ad Deorum et veritatis gratissimum adspectum, nec mutuet quod summum sibi bonum esse cognovit. Cum igitur nihil per omnem vitam a se omissum esse fateatur, quo magis veram hanc virtutem excolendo purum a corpore sejungeret animum, amicis comprobatum esse confidet, se bona cum spe bonos rectores atque amicos in hoc orbe relinquere, atque me-

rito post mortem amoris satietatem et alios bonos rectores atque familiares exspectare.

Postquam dicendi finem fecisset Socrates, animadvertit Cebes, pulcre quidem dictum esse, verum illud quod homines metuere solent, obstare, ne animus per mortem spiritus instar dispargatur et esse desinat: iccirco probandum esse, quod sane multa consolatione et fide opus habet, demortui hominis animum superesse, et facultates atque intellectum servare.

Et hoc quidem venustissimo sermonum nexu perveniunt tandem ad primariam dialogi quaestionem, quae est *de immortalitate animi.* Rogatus itaque Socrates, incipit confabulationem cujus ratio breviter exponenda est hunc in modum. Suo more (quod infra testatur) disputationi hypothesin praemittit, quam primum exponit et rationibus firmat, ut secundum hanc, ipsam de qua agitur quaestionem absolvat. Hypothesis est, contraria gigni ex contrariis: hanc vero, argumentis probatam, ad immortalitatem animi demonstrandam transfert. Quae ubi variis interrogationibus et responsionibus peracta essent, dialecticae suae praeceptis convenienter ostendit Socrates, non solum ipsam hypothesin veram esse, sed et consonare consequentias inde ducendas; nisi enim obtineret, ut contraria e contrariis gignerentur, sponte inde ducenda esset consequentia, brevi omnem naturam

Arg. 5.

ram in somnum et torporem delapsuram esse, inque statum concretionis, qualem statuerat Anaxagoras. Tum etiam animadvertit Cebes, egregie disputatis convenire aliud nobilissimum Socraticae philosophiae placitum, de disciplina tanquam recordatione scientiae in vita quadam anteriore acquisitae. Susceptis vero Cebetis partibus, ipse Socrates elegantissima ratione hanc suam opinionem amicis proponit: et vero tanta cum arte hanc disputationis partem disposuit Plato, ut ipse Simmias congrue respondendo ad propositas interrogationes, iisdem iis responsis videatur probare theseos Socraticae veritatem. Placet vehementer disputationis exitus, cum reliquis, tum in primis Simmiae: nec mirum: cum enim nitatur ultimi, quod memoratum est, argumenti veritas, in existentia idearum, et cognatione animi ac familiaritate cum vera illa essentia, fieri aliter non poterat, quin magnopere animos allectaret tam sublimis nostri generis natura et origo: verum simul observant Simmias et Cebes, hoc ipso dimidium tantum ejus quod quaerebatur probatum esse, cum supersit pristinus metus, ne animus, licet etiam longe ante vitam humanam extiterit, morte tamen dispergatur ac pereat. Egregie Socrates statim ad praecedentia amicos revocans, ostendit, ipsis consentientibus non dimidium sed totum fuisse comprobatum, assumta utraque γίνεσει ex vita in mortem et contra: cum profecto necesse sit ut alicubi existant animi, si qui-

Arg. 4.

quidem postea in viventis conditionem reverti velint."

Licinius. Bene monuit Socrates, mi Marce, nec video, quo tandem pacto ita temere rejiciant dramatis personae quod modo probatum fuerat: nam hoc loco sine probatione repudiant argumentum, in quod paulo ante consenserant omnes, ubi statuebant contraria gigni ex contrariis. Talis ἀνακολουθία vix ferenda videtur in opere philosophico.

Marcus. Ni fallor, Licini, ex nativa Platonici dialogi ratione, toto caelo a recentioris aevi scripto philosophico diversi, explicandum est, quod a te vituperari video. Scilicet Platonis erat *consilium*, ut Socratica disquisitione ex ipso homine scientiam eliceret: eamque ob causam tales induxit homines secum confabulantes, quales inter se disceptare solent: quod tam egregie perfecit, ut dialogi ipsius exhibere videantur anthropologiae uberrimam institutionem, et legentes veluti introducere in reconditos animi humani recessus. Inde vero sponte fieri potest ut in dialogis aliquando desideretur nonnihil ad concinnum argumentationis decursum, quod nostro jam loco reprehendis. Nam ea saepe solet esse sermocinantium ratio, ut postremis adversarii verbis inhaerentes, totius disputationis nexum minus curare videantur. Sed dicta magis illustrantur inspecto ipso dialogo.

Socrates igitur observat, apud amicos, plures in priorem disputationis hypothesin consensisse,

ni-

nihilo tamen minus remansisse metum ne forte inconsideratius fuerint assensi in tanta quaestione: quod etiam fatetur Cebes agnoscendo, in se forte inhabitare puerum meticulosum, animi difflationem quasi spectrum aliquod timentem. Et profecto, si in reliquis affectibus hoc verum est, metus certe unius demonstrationis ope non ita facile expelli potest: atque solent fere homines eo difficilius plene confidere argumentorum veritati, quo majoris eorum intersit res de qua dubitant. Optimus vero Socrates, hanc nostri generis infirmitatem perspiciens, humanissimi incantatoris suscipit partes, ut novis argumentis prioribus subjiciendis, animis expellat puerulum metuentem, plenamque fidem faciat amicis.

Novum quod ad plenam probationem affert momentum, petitur ex ipsa animi natura. Quippe, cum metus superesset, ne morte dispergeretur animus, primum animadvertit Socrates, omnem dispersionem sive dissolutionem necessario requirere, ut compositum sit negotium dissolvendum: quibus praemissis ad animum transit, atque simplicem et indissolubilem ipsius naturam esse demonstrat; praesertim ex eo quod cognatus sit et similis immutabili idearum naturae, uti postea latius erit explicandum. Sed paulo fusius memoranda est egregia virtutis commendatio, quam ex hypothesi nostra deducit Socrates: quae quidem tanto et venustae orationis et simplicis veritatis decore nitet, ut continuo in

Arg. 3.

prae-

Platonis venerationem abripiat lectorem. Proponit igitur Socrates exercitationem, in qua *omnis* philosophi vita versatur, tanquam purgationem eum in modum, ut qui recte vivere et post mortem in beatorum regiones abire velit, quantum possit maxime animum avocare debeat a corpore saevisque libidinibus. Verum huic illive mirum forte accidat, Platonem nostro iterum loco usurpare sermonem, quem late in dialogi initio extenderat, atque otiosa videatur haec repetitio. Sed ni fallor magna ipsius est ad persuasionem vis et efficacia. Si enim attente utriusque loci *spectemus* rationem, instituta comparatione *apparebit*, *non* inanem hanc esse repetitionem, verum multo magis hoc ipso theseos veritatem probari, quod ab omni parte investigata sibimetipsi consonet egregie. Utriusque vero loci differentia haec est. In primordio dialogi primum late fuit disputatum de scopo et fine vitae philosophi hominis, tum maxime de ratione scientiae, quae sola hominem beat. Sic vero producitur haec disquisito, ut vel parum intelligenti appareat, mentis animique purgationem veram esse virtutem, tum etiam solam hanc animi purgationem ad veri contemplationem et scientiam prodesse. Ibi igitur principium est in ipsa natura scientiae impuris non tangendae. Nostro vero loco haec purgationis commendatio subjicitur *disputationi* de ipsa animi natura, qua quidem demonstratum erat, simplicem hunc esse et divinum,

ve-

vernaeque essentiae cognatum atque familiarem: corpus contra tam diversae esse naturae, ut nisi ab eo quantum possis maxime animum sevocaveris, continuo sit incidendum in gravissimos errores et turbas, atque omne illud quod mortalibus miserum sit et ab animi nativa indole alienum. Hoc igitur loco, animum esse purgandum, persuadet amicis, argumentis ex ipsa humani animi natura petitis (3). Sed liceat carptim egregiae orationis praecipua loca referre. Quoniam tam praeclara est animo affinitas ipsi simplici divinaeque essentiae, multum profecto abest ut hic morte dissipetur, sed multo potius dicendum, si quidem per vitam nihil ultro cum corpore corporeisque rebus mutabilibus habuerit commune, sed in semetipsum atque veritatis contemplationem se receperit, ad immutabilia et visu non percipienda ipsum post mortem reverti: et, quod mysteriis ferebatur, per reliquum tempus inter Deos versari. Sin autem animus inquinatus et pollutus a corpore separetur, dum nihil egerit per totam vitam nisi ut corpori obtemperaret, utque ipse corporeus factus sensibus tantum externis indulgeret, perosus quodcunque pura mente et philosophia tantum est attingendum, non potest talis animus sincerus et integer a corpore divelli, quippe quod multa cura ipsi cognatum sit factum. Propter pondus igitur non adscendit in regiones invisibiles quas timet, sed circum tumulos oberrat, speciem sui visibilem ostendens donec proprio

mo-

motu alii corpori rursus injungatur. Namque quod supra erat significatum, ad Deorum genus migrare nulli concessum est, nisi qui cognoscendi amore flagrans verae philisophiae operam dederit, atque purus a corpore discedat. Philosophus igitur obtemperabit philosophiae, quae spretis corporis blandimentis decoros informat et masculos animos, mentemque ad invisibilia et vera, ad ipsos Deos et quidvis sibi cognatum extollit.

Quae cum dixisset Socrates, sanctum subortum est silentium, donec tandem vir egregius Simmiam et Cebetem inter se demissa voce loquentes animadvertens, ipsos rogat ne velint *quidquam* sibi occultum habere, si quidem de disputatis dubitent: reponunt illi, jam pridem se disputantem interpellere voluisse, veritos vero esse, ne turbam moverent in tanta calamitate versanti. Quibus ita respondet ille ut nil amabilius: verba enim magni animi venerandam referunt tranquillitatem cum hilaritate conjunctam: nihil enim verendum esse ait, ne molestius quam cygni mortis adspectum ferat, neve iis vaticinatione sit inferior, eidem quippe cui et illi Deo sacer et addictus, excolendâ per totam vitam praeclarissimâ musicâ: a se igitur exquirendum esse quod scire velint, quamdiu sinant Atheniensium Undecimviri. Tum Simmias, *strenue* illud tenens, a disputationibus recedendum non esse, priusquam, omni parte perlustrata quaestione, ipsa veritas vel saltem profligatu difficillimum

mum ratiocinium inventum sit, hoc modo dubitandi rationem proponit: fieri posse, ait, ut divinus et simplex sit animus, sed idem quoque affirmari de harmonia, tum etiam hanc praestantia sua lyram longe superare: neque tamen ideo minus harmoniam istam divinam post lyram nasci atque ante eam perire. Eundem itaque superesse metum de vita animi, praesertim si verum sit (quod Parmenides et Zeno Eleates volebant) ipsum similem esse harmoniae ex variarum corporis partium concentu quodam natae per intensionem et laxationem siccitatis et humoris, caloris et frigoris; unde necessario sequeretur ipsum animum solutis corporis partibus dissolvi. Post eum Cebes rogatus, sententiam aperit. Fatetur scilicet non solum (quod etiam Simmias agnoverat) animum multum praestare corpori, verum etiam longaeviorem esse et firmiorem: neque tamen eo satis probari immortalitatem. Quo melius rem illustret, eleganti utitur exemplo a veteri textore desumto. Si enim dicamus ideo animum esse immortalem, quia multo praestantior est corpore, eodem jure affirmandum sit, veterem textorem demortuum non periisse, hujusque rei argumentum habeatur, vestem, quam texuerat atque gesserat superesse. Nam profecto, homo praestantia longe superat vestem. Verum non ita est: sed contra dicendum est, textorem veterem multa quidem vestimenta texuisse atque trivisse, sed tandem post haec, quae plurima-

ma fuerant, ipſum periiſſe, ſuperſtite ultimo quod mortis tempore gerebat. Atque idem ratiocinium de animo, quamvis dignitate longe antecellente, valere videtur. Igitur dicamus unumquemque animum plura corpora terere, praeſertim ſi diu vivat, atque ſemper reficere eadem (4): ſed tandem accedente morte ipſum perire, ultimo ſuperſtite corpore, quod tum demum brevi putrefiet, nullis quippe animi viribus refectum. Quod ſi etiam (ſic pergit Cebes) concedamus, tantam naturam vim ineſſe animo, ut non uni ſed pluribus corporibus hoc modo innaſcatur, atque ſaepius mortuus ſaepius in alia rurſus corpora intret, *hoc ipſo* nondum probamus eum *generationibus hisce* non defatigari, atque tandem extrema quadam morte non penitus perire: hoc vero num extrema mors ſit futura quae jam inſtet, nemini notum eſſe potest: quocirca pristinus ſuperest metus, ne morte accedente prorſus extinguamur, niſi abſolute demonſtretur, animum omnino eſſe immortalem atque interitus expertem.

Ingratum in modum Simmiae et Cebetis orationes affecerant audientium animos: quae enim paulo ante verisſime a Socrate disputata existimaverant, derepente turbata videbant et profligata, ita quidem, ut non ſolum dictis fidem negarent, verum etiam iis, quae in posterum eſſent dicenda, animadvertentes, quam inepti eſſent ſermonum judices. Quae cum dixisſet, narrantem Phaedonem in-

interpellat. Echecrates commune fibi cum Socratis auditoribus fatum lugens, quod tam fubito tanta fpe decidisfet: praefertim ideo quoniam magnam probabilitatem habebat Simmiae illud, animum esfe harmoniam. Novis itaque argumentis opus esfe videt, quibus demonftretur animum non una cum corpore perire. Et, ni fallor, Licini, efficacisfime in hoc disputationis loco Phaedonis narratio interrumpitur, ubi omnes fpe destituti in Socratem convertunt oculos: ipfi enim nos inter legendum dolemus, optimos viros frustra omnem operam intendisfe, et nihil probatum habare, praeter folam humanae rationis imbecillitatem. Et vero fimul apud nos mirifice ftudium excitatur e Phaedone percipiendi, qualem in hoc cafu fe praeftiterit Socrates: atque novo veluti ardore inftigati in disputantium coetum revertimur.

L. Profecto mirabilem in modum placuit orationis inverfio. Sed Marce, priusquam legendo procedas, liceat tecum communicare quod hoc quoque loco paulisper offendit. Non enim, fi rite fermonis rationem cepi, tam defperatae disputantium res esfe videntur, quam ipfi quidem volunt. Nam licet concedam, Simmiae argumentum evertere Socratis orationem, quum aliam atque hic asfumat animi naturam, non tamen video, quo nomine tantopere eos movere potuerit Cebetis εἰκών, qui parum efficere videatur, fi cogite-

temus, antea fuisse probatum a Socrate, simplicem esse animum omnemque simplicem naturam esse dissolutionis et mortis expertem.

M. Intelligo quid velis, ideo potissimum, quia idem et mihi primum legenti in mentem venit. Existimabam enim Cebetem nihil agere, nisi prius falsam demonstraret hypothesin, qua Socrates animi simplicitatem et immortalitatem probaverat. Re vera tamen simplici nexu sermones cohaerent. Docuerit enim Socrates idearum simplicem et invisibilem naturam, atque similitudinem et familiaritatem, quae inter has et animum nostrum intercedit, praesertim ut excelsam *animi naturam* inde demonstraret: quod si *hanc* disputationis veluti tenorem animadvertas, facile simul agnoscas, quam ingrate Socratis auditores necessario affecerit Cebetis oratio, qua affirmaret nihil impedire, quo minus animus sit dignitate excellens et divinus, et tamen mortalis. Siccine rite omnia procedunt? L. Jam video quorsum tendant sermones: igitur licebit procedere.

M. „Socrates, uti in reliquis admirabilis, ita hic sane in animis nostris sui venerationem excitat. Penitus enim nos commovet Phaedonis oratio, narrantis quam benevole et amanter juvenum sermones exceperit, deinde quam acute senserit quem in modum *ipsorum* animi essent affecti, denique quam plene eos sanaverit et quasi fugientes victosque revocaverit. Novo itaque ardore instauratus dialogus, novo

item

item lumine splendet. Vivida enim et dramatica Platonis expositione in medium disputantium coetum perducti, pictura potius quam frigentibus verbis suavissimam hanc dialogi partem expressuri videamur. Quocirca breviter sermonis rationem ostendere satius erit. Igitur Socrates probe perspiciens, quantum dubiis propositis labefactata esset amicorum fiducia, primum rationi ipsos suae conciliare aggreditur. Scilicet, cavendum esse dicit ne fiant *sermonum* osores, eadem ratione qua et hominum osores existere solent. Prouti enim is, qui sine hominis cognitione hominibus utitur, saepius ab iis deceptum se videt, et tandem omnes odio habere incipit, sic etiam, qui sine ratiocinandi arte sermonibus fidem adjungit, saepissime ab iis in errorem inducitur, ac tandem praeclarum quid se egisse autumat, si disputando effecerit, nihil omnino esse certum aut verum. Cavendum vero, inquit, ne dicamus nullum sermonem esse sanum; verum potius nos metipsos sanos nondum existimemus, at fortiter ad id operam esse navandam. Sed videor, (sic pergit), minus philosopha ratione hac in re versari, eorum more qui de veritate sermonis certare amant: verum illud inter hos atque me interest, quod isti nihil curantes qualis re vera sit res de qua disputant, illud unice agunt, ut suam sententiam auditoribus obtrudant: ego contra, cum de veritate sermonum dicam, minus vobis quam quidem mi-

hi ipsi persuadere enitar, vera me loqui. Vos igitur parum curantes Socratem, sed eo magis ipsam veritatem, si aliquid vobis dicere videar, assentiamini: sin minus, omni opera impugnate, caventes ne ardore abreptus me ipsum atque vos decipiam, atque apis instar relicto aculeo a vobis decedam. Ita accinctus ad rem accedit. Praemissa enim brevi argumentorum, quibus usi fuerant adversarii, repetitione, ad superiorem disputationis partem a Socrate revocantur: uterque vero Simmias et Cebes fatentur prae omnibus firmum sibi videri placitum, disciplinam esse recordationem: qua quidem hypothesi probata, brevi *corruit Simmiae* objectio, animum harmoniam esse constituentis. Facile enim ostendit Socrates, assumto priore, animum necessario ante corporis natales extitisse; posteriore vero probato, non nisi cum ipso corpore ipsum gigni potuisse animum: utrumque simul verum esse non posse atque eligendum esse utrum praestare videatur. Electio autem in promtu erat hospiti Thebano: cum enim argumentum, quo contenditur animum esse harmoniam, sine praevia demonstratione, secundum opinionem aliquam et speciem verisimilitudinis obvenisset, quae sane facillime in errores inducere solet: alterum vero ex firma assumtione, a *naturali* quippe hominis conditione, ex ipsa *cognitionis et* scientiae ratione desumta, justo *ratiocinio fuisset* probatum, ultro sibi persuasum habebat nec sibi

Arg. 6. p. 57–62.

nec

nec alii fidem esse habendam, animum harmoniam esse existimanti. Sed ulterius tendit Socrates: namque parum eo contentus quod Simmiam refellisset, probata hypothesi contraria, ita procedit deinceps, ut ex ipsa animi natura absolute et in universum demonstret absurdam esse istam de harmonia opinionem. Sed haec postea explicatius. Profligata jam Simmiae sententia, Cebetis opinionem 'Ομηρικῶς ἐγγὺς ἰὼν aggreditur. Summa hujus eo redit, exinde quod animus sit longaevus et divinus imo diu ante corpus extiterit, minime tamen ipsius immortalitatem probari, sed potius videri primum in corpus ingressum quasi morbum, aerumnarum et mortis ipsi esse initium: quocirca in universum esse probandum, animum sua natura nec morti neque interitui esse subjectum. Proposita quaestione, aliquantum secum rem reputat Socrates: tandem vero ,, non tenue est, inquit, negotium quod quaeris, o Cebes! nam in universum erit explorandum, quaenam sit causa cur aliquid sit vel esse desinat (6). Si autem vobis amicis placeat, enarrabo, qua ratione ipse in hac disquisitione versatus sim."

Incipit hic gravissima ad Socraticae et Platonicae philosophiae intelligentiam narratio, qua luculenter exponitur, quam generose et sapienter sui aevi hominibus obviam iverit Socrates, qui Sophistarum spinis intricati omnia vana et incerta, nullum jus, nullum bonum esse arbitrarentur. Narrat ille, se juvenem tanquam praeclarum quid appetivisse,

ut

rat omnium rerum causam cognosceret, atque intelligeret cur et quomodo varia incrementa et decrementa in rebus gignantur, verbo, quaenam sit singulis rebus causa ob quam tales existant: quaesivisse v. c. quare et quomodo nutriantur corpora viventia? quomodo operetur ipsa ratio nostra? quam ob causam alia res alia major sit dicenda? similia infinita. Ita vero se obcaecatum tradit hisce pervestigationibus, ut tandem nihil prorsus sciens, sibi ignorare videretur utrum cibus sit per quem increscat corpus humanum: multo magis unde fiat ut *octo* v. c. plura sint *decem*. Nec mirum profecto, si spectemus *perversam philosophandi* rationem, quae Socratis tempore invaluerat, cujusque species h. l. adumbratur. Sensim enim eo processerant hominum inquirendi studia, ut pro solita nostri generis superbia, non modo omnia cognoscere et scire, sed et subtiliter disserendo ad totius naturae notitiam se pervenire posse arbitrarentur: nam prae reliquis haec τῶν πάντων φύσις, hujus mundi ortus, motus, variaeque causae existendi Sophistas homines alliciebat. (cff. *Xen. Mem.* I. 1. 15.) Quum vero satis arroganter existimarent disceptationibus et ratiocinandi facultati ubivis aditum patere, sponte in vitia delapsi sunt perniciosissima: neque animadverterunt quam parum conveniat, verba, saepius perverse aut prorsus non intellecta et definita, adhibere instar formularum mathematicarum. Inde enim fiebat,

fiat, quod Plato ait, (*Rep.* V. 4. 454.) ut non discernentes rerum species, sed κατ' αὐτὸ τὸ ὄνομα sectantes disceptationem, potius inter se certare quam philosophas disquisitiones instituere videbantur Sophistae; inde etiam fiebat, ut tandem ἀντιλογίαις defatigati homines fierent μισολόγοι, nec quidquam certum aut verum esse, vel saltem inveniri posse opinarentur: vel etiam nugis contenti, absurda quaevis pro veris amplecterentur. Perversa autem haec philosophandi ratio ex nostro etiam loco cognoscitur. Quod enim dixi, universales in causa omnium rerum investiganda leges exquirebant Sophistae: sed quoniam vocabula hanc in rem abhibebant instar notarum algebraicarum, fieri non poterat, quin turpiter aberrarent: sic ut exemplo rem illustrem, quaerebant causam quae faciat ut 10 sint majora quam 8. dicebant vero, $10 > 8$; τῷ 10 apposita sunt 2: est igitur *appositio* τοῦ 2 = *causa cur majus*. Quod si probasset adversarius, brevi concedendum erat misero homini, 8 esse > 10: nam $8 = 6 + 2$. *appositio* vero τοῦ 2 = *causa cur majus*: igitur $(6 + 2) > 10$. Similiter etiam in duade et causa per quam existat, atque in reliquis multis nugabantur; quod pluribus exponere non attinet. Causa enim erroris facile perspicitur, et expedita erit totius loci Platonici sententia, modo teneamus, quod observatum est, in omnibus hujusmodi disputationibus, non ad ipsam rem de qua sermo est,

sed

ſed ad vocabula unice attendi, nec rite ante distincta et definita. Sed nos ad Socratem revertamur. Dubius ille haerens in disquiſitione, ecce Anaxagoram audit e libro quodam praelegentem atque affirmantem, cauſam ſe inveniſſe omnium rerum, *mentem*, quae omnia ordinaret optima ratione. Placet continuo philoſophi ſententia, jamque exſpectat, brevi ſe reſciturum qua neceſſitate mens illa mundum compoſuerit et qua ratione optimum ſit ſingulis rebus ut hoc, non alio, modo ſeſe habeant: verbo, quale ſit ſingulis ſummum omnibusque commune istud bonum, ſecundum quod mens omnia ordinavit. *Magna itaque* cum ſpe pretioſum ſibi librum parat et quantocius perlegit, at vero brevi fruſtra ſe ſperaſſe animadvertit. Videt enim, bonum virum grandia profeſſum, mente nihil uti in exponenda totius univerſi cauſa, ſed aërem memorare, aquas, alias hujusmodi facetias: aeque quidem inepte, ac ſi contenderet Socratem mente omnia peragere; cum vero illud demonſtrare vellet, cauſas memoraret membra, musculos, reliqua: vel etiam cauſam cur in carcere reſedeat Socrates, in crurium flexione exquireret, omittens quod vere cauſa dicendum est), ipſum ſcilicet optimum ſibi exiſtimare ut hic remaneat; neque Critoni fugam paranti obtemperet: — parum cogitantem, ſe hac ratione quidvis aliud praeter veram quam ſtatuerat cauſam, ipſum ſummum et commune bonum mentemque divinam,

tan-

tanquam caussam agnoscere. Igitur alieno auxilio destitutum, alteram se navigationem suscepisse tradit, cujus descriptionem hic subjicimus. Existimabat Socrates, sui aevi homines eadem ratione hac in re versari, ac si non adhibito aquae, aliusve negotii imagines referentis auxilio, deficientem solem contemplari vellent: similiter enim atque his oculos, ita et illis mentem obcaecari, quum singulis suis sensibus ipsas res (ὄντως οὔσας) earumque caussas indagare aggrediantur. Aliam itaque viam quaerendam esse videbat vir magnus; quae, si recte sum suspicatus, haec est. Doctissimi sophistae, sensuum experientia ducti, eaque unice freti in disquisitionibus philosophicis, existimabant tum quidem ad veritatis scientiam se perventuros, si modo diligenter res quas videbant, corpora viventia, variasque eorum partes, tum etiam aërem, reliqua phaenomena observarent; et sic ipsis oculis veritatem adspicere nitebantur. Socrates vero intelligebat ipsam veram naturam atque essentiam in variis istis phaenomenis positam non esse, quoniam ipsum verum simplex et unum est, atque ideo diversum a rebus quae sensibus percipiuntur incongruis et numquam sibi similibus: praeterea multarum rerum notitiam se habere animadvertebat, quae sensibus nullo modo percipi possunt, quo ipsum pulcrum, verum, justum referenda sunt, et ipsa quoque, de qua jam agimus, caussa existendi, singulis rebus adscribenda: unde facile colligendum, necessario illis mentem

ob-

obcaecari qui oculis ipſis contemplari ſtudeant negotia, quorum nulla perceptio eſt ſenſibus externis. Quaerenda igitur ſunt, ut ait ipſe propoſitam ſervans imaginem, quaerenda ſunt ſpecula, quorum ope haec contemplatio inſtituatur, adeundi ſunt ſermones (λόγοι) in quibus expreſſam cernimus veritatem, cujus nudus adſpectus animum fulgore caecat. Eſt enim in animo alius quidam internus ſenſus, rationem dico, quae ſermonibus inſtituendis, ſpreto ſenſuum externorum auxilio, ad ipſam veritatem propius accedit, quaeque verbis exprimit earum rerum imagines quas ſincerus quondam animus pure et a ſenſuum ludicro vacans intuitus eſt: haec ratio proprium eſt animi ὄργανον, et veluti oculus quo utitur in contemplatione rerum ſenſibus non percipiendarum. Sed, miſſa imagine, quae eo tantum valet ut declaretur fatigari atque in errores delabi qui ſenſibus externis intueantur negotia ſenſu externo non percipienda, dialecticam adhibendam eſſe videbat ſimplicem, cujus ope tutiſſime ſermones inſtituerentur, cujus ratio ejusmodi eſt. In anteceſſum aſſumendam ſtatuebat hypotheſin quam omnium reperiſſet firmiſſimam; quo magis ad hanc caetera referret, eum in modum, ut quae huic convenirent vera, quae diſcreparent, falſa haberet: neque prius rejiciendam opinabatur hypotheſin, quam docuiſſet adverſarius repugnantia ex ea manare. *Sin vero*, ait, *hoc modo labefactata ſit*, *alia ipſi*

erit

eris subiicienda ex magis universalibus desumta; donec tandem ad summam et maxime universalem ascenderis: sic enim vitabis eorum vitium, qui inepte omnia turbant et commiscent, et tamen mirifice sibi placent.

Hac autem tuta ratione ad caussae investigationem accedit. Primum enim hypothesin constituit, in quam vehementer assentientes habet auditores, esse aliquid ipsum pulcrum, bonum, reliquas ideas: atque huic aliam adiungit, quae statuit, caussam ob quam certae rei certam quandam adscribamus appellationem sive qualitatem, esse in praesentia ideae sive communione, qualicunque tandem modo haec rei accesserit. Duplex vero hypothesis in unum contracta haec est. Sunt rerum ideae, quarum accessio singulis rebus caussa est, ut sint tales quales sunt. Quibus constitutis, secundum dialecticae suae normam, varias consequentias ex hypothesi derivandas explorat, num sibi conveniant et consonent: et firmiter eam amplectens, infinitis ἀντιλογικαῖς, in quas sui aevi homines erant delapsi, finem imponit. Tum vero ad γένεσιν et φθορὰν disputata refert. Quum enim immutata sit naturae necessitas, ut nulla unquam res eodem tempore sibi contrarium quid esse possit, concludit Socrates, hanc quidem firmam esse legem, ut nulla unquam contraria idea simul cum sibi contraria in eandem rem convenire possit: hanc igitur universam γενέσεως et φθορᾶς esse legem, ut res

Arg. 7.

res quaevis accipiat qualitatem (fiat id quod est) si idea hujusmodi ipsi accedat, utque contrariam ideam non recipiat quamdiu talis existere pergat: pereat vero, et talis existere desinat quam primum contraria ipsi idea accesserit. Quae cum ita dissereret, quidam ex auditoribus loquentem interpellens: „ per Deos, inquit, nonne paulo ante diversum quid agnovimus, ubi constituebamus omne contrarium ex sibi contrario gigni? (Arg. 2.) Videatur enim huic repugnare quod jam nunc affirmatum est, ipsa contraria se invicem non recipere?" Facile vero Socrates diversam utriusque argumenti rationem *ostendit. In* prioribus enim dictum erat de rebus, quatenus diversas qualitates recipiunt: jam vero de ipsis iis contrariis qualitatibus quae variis rebus adscribuntur: in prioribus probatum erat, omnem mutationem, si locum habeat, semper fieri a contrario in contrarium: sed hoc loco monstratur, ipsam contrariam qualitatem non posse in contrariam abire. Sedatis igitur animis, in viam redeunt, atque hypothesin supra memoratam deinceps ad quaestionem de immortalitate applicant, prouti infra videbimus.

Hisce autem e longinquo veluti iter monstravi quod in disquisitione servavit Plato, eo potissimum consilio ut vinculum indicarem quo varii sermones inter se sunt colligati: quae vero plura in Phaedone disserit Socrates ad quaestionem ipsam

non

non pertinent: quare confultum habui verbo tantum ea memorare. Igitur Socrates verae philosophiae finem, honestatem dico vitaeque integritatem fpectans, fublimi epilogo disputata in communem fui atque amicorum convertit utilitatem. Si enim, inquit, verum est animum morte non extingui, quis est, qui non videat quam plenum periculi fit ipfius curam non habere: nam profecto miferia atque aerumnis liberari non poterit animus, nifi qui optimus factus fit atque prudentisfimus, quandoquidem nudus in orcum proficifcitur, et nihil fecum habens nifi disciplinam et inftitutionem, cui vivus operam navavit. (Cf. *Gorg.* 512.) Sunt vero haec quae unice nocent vel profunt in itinere quod illuc est. Qui enim fapiens didicit animum a corpore fejungere, placide fequitur daemonem viae ducem, quippe gnarus futurae beatitudinis: cujus vero animus σωματοειδὴς est factus, multa demum vi et nolens a corpore divulfus, in locum fibi destinatum abripitur: judicum autem inftituta disquifitione, fingulis varii pro meritis loci in univerfo adfignantur, ubi in posterum degant. Ab amicis rogatus, infuper hisce adjungit terrae mundique defcriptionem tanquam μῦθον, quo varias regiones fubterraneas, tum et in ipfa fuperficie et fuperioribus tractibus fitas, defcribit. Explicatus vero locus est a Wytt. *Disp. de immort. an. Opusc.* II. p. 323. neque ulteriore indiget commentatione.

Sed

Sed verbo adscribere liceat quod maxime inter legendum animum adverterit. Redit eo tota hujus universi descriptio, ut ostendatur varios esse tractus cum superiores tum inferiores: hos quidem impuros, crasso aëre circumfusos, nihil quidquam cum sincera et nativa animi conditione commune habentes, a vero et divino quovis remotissimos: illos vero puros, aethereos, in quibus si altissime adscenderis, Deus ipse omnisque veritas adspiciuntur, in quibus vivit demum animus et agit suae naturae convenienter. Fuit autem in poëtica hac descriptione quod mirum in *modum* placeret legenti. Sponte enim in *memoriam* redibant quae superiore parte disputaverat Socrates, ut puram honestamque vitam amicis commendaret, ubi ait, neminem nisi rite philosophatum et pure abeuntem ad Deos proficisci. Quae quidem, vide quam egregie proposita fabula illustrentur atque exponantur. Crassus enim corporisque sordibus et libidinibus inquinatus animus, non potest sese extollere in superiores regiones quae solae beatum faciunt, sed tardus et corporeus deorsum detruditur in regionem cui familiaris est factus, taetram istam et miseram. Puro vero, et per philosophiam rite ad veritatis contemplationem informato animo, quam primum *corporis* claustris sit liberatus, via patet in pulcerrimam et aetheream illam regionem, quam nemo juste describat: spectaculum enim hoc est beatorum. Quod

ita-

itaque ſupra verbis et ratiocinio, idem hoc loco picta veluti tabula oculis proponit et ad intimos cujusque ſenſus perducit. Socrates vero postquam hanc ſuam de mundo opinionem enunciaverat, orationi finem imponit, enixe amicos hortans, ut a corpore ejusque munditie omnique apparatu et cupiditatibus abſtineant, proprioque ornatu animum informent, prudentia et omni virtute, et ſic quidem placide mortem exſpectent.

Denique Plato ſermonibus ſubjungit ſimplicem illam et nobilem Socratis morientis commemorationem, quo dramatis exitus exhibetur. Saepius locum relegi, tentavi etiam num quid meo ſermone breviter eum referre poſſem. Verum, cum ne Mendelsſohnius quidem egregia verſione Platonicam dictionis venustatem plene expreſſerit, quid mea poſſet compendioſa deſcriptio! Mihi quidem ſimplex haec Platonis narratio omnium, quae ad demonſtrandam animi immortalitatem afferuntur, argumentorum viſum est efficacisſimum: et vero ſancta, nimia forte, veneratione in legendo Socratem ſum proſecutus, qui in ipſo mortis articulo nihil quidquam a ſolita fortitudine et tranquillitate recedens, ipſa ſua morte probaret atque humano generi commendaret diſciplinam, purisſimae vitae beatisſimaeque mortis magiſtram.

Haec habui, Licini, quae ſcriptis mandanda cenſerem ad declarandam Platonici Phaedonis ratio-

tionem, quibus satisfiat primae parti quaestionis propositae. Jam vero, nisi taedeat stare promissis, iterum oro, ut in dijudicandis placitis opem feras: nosti enim, σύν τε δύ' ἐρχομένω . . . . *Licinius.* Comitem me habebis Marce, si non facundum Ulyssis instar, at fidum atque amicum. Sed tu quoque promissi memento: tuum enim erit argumenta summatim in scriptione memorata, fusius exponere, ne forte meam potius, quam Platonis sententiam in examen vocando, inepte omnia commisceam.

II.

II.

Marcus. Priusquam ad ipsam Socratis demonstrationem, quae proprie habenda est, accedamus, memorandus est orationis veluti introitus, a quo principium habent sermones insequentes. Recordaris enim Socratem, ab amicis rogatum, primum iis persuadere, mortem non esse metuendam mali cujusdam instar, sed philosopho potius exspectandam tanquam bonum: hoc usus argumento, quod nemo in hac vita pervenire possit ad eam, cui naturâ destinatus videtur, felicitatem: vides vero immortalitatem eo non probari sed hypotheseos instar assumi, quod idem etiam animadvertunt Socratis auditores, qui merito objiciunt, pulcre quidem dictum esse, sed nihil eo demonstrari, nisi antea de immortalitate constet. Et tamen non negligendum est dialogi hocce exordium. Nam ipsa ratio, qua de finibus vitae humanae disserit, multum valet ad firmandam immortalitatis fiduciam.

Arg. 1. p. 12-22. (Ed. Wytt.)

Licinius. Te praelegente maximam partem me latuit vis argumenti quam significas. Apertius dicendum quod sentis. M. Igitur fine ut totum tibi argumentum continua oratione exponam, quo expeditius nostra instituatur contemplatio. Omnis oratio Socratis inservit probandae thesi, hominem natum esse et informatum ad veritatis adspectum et cognitionem, quae sola beatum facit: neque tamen in hac vita terrestri studio huic innato satisfacere posse. Placitum autem sic accipe. Probatione non indiget, homini inesse studium cognoscendi flagrantissimum, maxime si philosophus sit: philosophus enim nihil habet antiquius, *nisi* ut erroribus liberatus, certum quid et verum teneat. Verum eam cernimus humanae naturae rationem, ut quamdiu animus in corpore vivat, nusquam hunc amorem satiare possit. Veritas enim quam tanto ardore prosequitur, non est in rebus corporeis quae sensibus externis percipiuntur, quippe quae mutabiles vario tempore variae apparent: sed extra has est in ideis quae veritatem omnem continent, nec tamen ullo corporis sensu percipi possunt, sed sincera demum et pura mente cognoscuntur. Hominis vero ea est natura, ut animus corpori devinctus non possit solus et sincerus per se quidquam contemplari: nulla enim alia est via per quam novas acquirat notitias nisi per sensus corporis externos; et *quotiescunque* pura mente et ratiocinio nudam veritatem exqui-

rere

fere studeat, continuo affectibus, saevis libidinibus sensuumque ludicro in omnes inducitur errores, et re vera nil certi in hac vita dignoscit. Efficit inde Socrates, alterutrum necesse esse, ut homo vel numquam satisfaciat studio cognoscendi, in quo omnis est beatitudo: vel post mortem ei satisfaciat, ubi animus a corpore liberatus, sincerius ad veritatem accesserit. Et Socrates quidem, quod dixi, hoc ratiocinio utitur, quo magis amicis persuadeat, *bene* sibi esse futurum, postquam animus a corpore fuerit sejunctus, assumta sine probatione immortalitatis hypothesi. Vides vero, Licini, insigniter eandem hoc ipso firmari: nam profecto, si veritatis cognitio fit finis et summa felicitas nobis proposita, necesse quidem est, ut concedamus, esse aliquem statum, quo hanc attingere liceat. Vidimus in hoc, quo jam vivimus, statu illud fieri non posse: veritas enim sensuum et corporis, in quo vivimus, ope non adspicitur. Igitur jure exspectamus alium statum, quo studiis nostris fatisfiat, nisi malis contendere solum hominem ad miseriam esse natum. L. Magnam fateor probabilitatem habet argumentum propositum: probationis vero ratio ab opinionibus nostri aevi perquam discrepat. Nam si quid video, omnis ejus vis posita est in placito Platonis de ideis istis, quae sensibus non adspiciuntur, unde probatur hominem, dum in corpore vivat, nil certi scire, ideoque verae felicitatis esse expertem.

Haec sane argumentatio nostris hominibus et mihi etiam illustratione indigere videatur. Ideae enim quid proprie sunt? M. Non tenue est, quod quaeris, negotium: sed veniam mihi expeto ut in locum magis opportunum hanc disquisitionem differre liceat. Nam qualiscunque tandem sit Platonis de ideis sententia, illud certe quod earum ope nostro loco probatur, hominem duci amore cognoscendi in hac vita non explendo, a nemine in dubium vocatur. L. Bene mones: igitur praeeunte Platone hanc firmam assumamus thesin, omnem nostram beatitudinem in eo consistere, ut *studium expleamus* omnibus innatum, quo *trahimur versus* omne illud, quod verum certumque est, tum etiam, felicitatem hancce omnibus expetitam, nemini in hac vita plenam concedi. Libenter hoc concedo optimo Platoni. M. Redeamus igitur, unde digressi sumus: si haec vera sunt, uti sunt, utrum videatur eligendum in dilemmate proposito: dicasne, hominem frustra generosis studiis a natura informatum, ad miseriam esse natum? an vero aliam esse vitam futuram in qua amoris satietate fruatur? alterutrum enim necesse est. L. Profecto, Marce, impiam esse video priorem illam divinaeque clementiae repugnantem sententiam. Nam misso eo, quod parum videatur totius naturae Auctoris sapientiae convenire, frustra *hominum* animis indidisse felicitatis purae *appetitus*, quorum nulla esset futura satietas; *quis* tandem morta-

talium affirmare audeat, tantam fuisse divinae providentiae atrociam in conformando genere humano; ut quanto quis magis rectae rationis naturaeque pectori infixam legem pie sectaretur, tanto quoque magis studia in se excitari sentiret numquam explenda? Quocirca dicendum videtur, argumentum hocce tam egregie cum intimo hominis sensu convenire, ut nisi omnibus numeris absolutam praebeat demonstrationem, mirifice tamen valeat ad fidem atque persuasionem excitandam. Sed Marce, potius ad ipsam Platonis probationem transeamus. Vehementer enim explicatius audire desidero quod modo summatim fuit descriptum.

M. Igitur ausculta. Verum ante omnia Ciceronis praecepti memores, definiamus, qualem Plato habuerit animi immortalitatem. Duo ad eam requiruntur, alterum, ut esse pergat, alterum, ut vim cogitationis suique conscientiam retineat animus: (p. 23.) quae si utraque rite fuerint constituta, immortalitas sufficienter demonstrata erit. His praemissis, videamus, quod priore loco venit.

Arg. 2. p. 23-26.

Ferebatur in Graecia vetus quidam Orphicorum μῦθος, mortuos esse in orco, atque inde rursus in vitam redire: quis si verum esset, necesse simul erat ut *essent* ibi animi. Huic μύθῳ convenienter Socrates thesin sibi sumit probandam, vivos fieri ex mortuis. L. Arduum sane negotium! nam praeter opinionem est dictum. M. Videatur forsan, sed audi reliqua. Scilicet probata

ista erit thesis, si rite de eo constet, non solum in homine nascente hoc verum esse, quod contrarium fiat ex contrario, verum etiam hanc esse universam naturae legem, unicuique generationi sive mutationi praefinitam. L. Quid hoc? Marce. M. Simplicissimum est negotium: nam certe omnibus notum est, nullam rem *fieri* illud ipsum quod jam est, sed aliud quid fuisse, priusquam fieret quod nunc est: sic v. c. nulla res fit magna quae magna jam est, sed ex parva demum magna fit, et sic porro. Jam vero, observamus omnem hujusmodi mutationem, quam Plato dixit γένεσιν, fieri a contrario in contrarium, i. e. *mediam* inter duo extrema sibi opposita, *qualia sunt* magnum, parvum, similia. Unde videatur legitima ducenda conclusio, unamquamque status mutationem necessario requirere, ut res antea fuerit in alio statu in contrariam partem diverso. Tum et aliam legem invenit noster mutationibus praefinitam: cum enim omnis mutatio fiat inter duo extrema, duplicem item cernimus motum, qui est vel a magno versus parvum, quo casu obtinet decrementum, vel contra a parvo versus magnum, et erit incrementum. Fit igitur res illud quod prius non erat, a contrario versus contrarium per graduum intermediorum successionem. L. Quomodo vero haec ad animi immortalitatem transferenda? M. Dicam. Elegans hunc in finem adhibet exemplum hominis expergiscentis et vigilantis. Qui enim

enim vigilat, antea fuit in contraria dormientis conditione: vigilans vero factus est, transeuns per intermediam expergiscendi conditionem: contra qui transit in dormientis conditionem, antea debuit vigilasse et obdormuisse. Eadem ratione de vivendi et moriendi conditionibus judicare oportet. Omnem enim transitum in aliquam conditionem praecedere debet contraria conditio: mors vitae est contraria: igitur qui vivus fieri velit, antea mortuus esse debuit: contra qui mori et mortuus esse velit, antea vixisse debuit.

L. Mira profecto cum sagacitate argumentum invenit Plato; et tamen nescio quomodo, non magnopere persuadet. Anceps enim est negotium, vitae tranquillitatem uni committere syllogismo cui eodem mihi jure contrarium opponere videar. Dic enim o bone! τὸ εἶναι estne contrarium τῷ μὴ εἶναι? M. Est omnino. L. Itaque secundum normam propositam dicendum, τὸ εἶναι extitisse ἐκ τοῦ μὴ εἶναι, atque animum, cum jam existat, necessario antea non extitisse. M. Ni fallor simplex Platonis placitum nondum plene perspectum habes. Probe enim tenendum, philosophum hic spectare varias in rerum natura mutationes, atque unice sermonem esse de γένεσι sive transitu rei ex uno in alterum statum; neque igitur cogitasse transitum, quem voluisti, e nihilo in existentiam. Ait enim se spectare earum rerum γένεσις, quae contrarium sibi statum sive conditionem habeant:

in

in istis vero, si mutationem subeant, illud fieri secundum legem supra positam. Jam vero *esse* e *non esse* non sunt sibi contrariae conditiones sive modi existendi, neque ullam habent intermediam graduum successionem: semper enim immenso inter se distant intervallo: neque ideo adversus Platonis ratiocinium excitari possunt. Teneamus igitur, quod voluit Plato, omnem *γένεσιν si fiat*, necessario fieri ex illa conditione quae contraria existit praesenti in quam transiit res. Sic, cum re vera sit conditio quaedam quam *mortem* vocamus, et alia huic contraria *vita*, lex, de qua agimus, applicanda erit quotiescunque hominem *in mortis* vel vitae conditionem transire videamus. Probabilior quoque fit haec Platonis sententia, si quidem in mentem revocemus, qualem judicaverit ille vitae et mortis statum. Est enim vita conjunctio corporis et animi, mors vero eorum dissolutio: nascitur itaque homo et vivere (vulgari sensu) incipit, quam primum animus corpori injungatur, moritur vero si separatio obtineat. Quocirca animus in generationibus hisce non mutatur, sed modo cum corpore, modo sine eo existere pergit. Tum etiam notandum, ideam *mortis* minime secum conjunctam habere *interitus* ideam, sed unice designare qualemcunque conditionem *oppositam* ei quod nos *vivere* vocamus. Statuit itaque noster mutuam esse generationem a vita in mortem, et contra: et vero naturae necessitate

[p. 14.]

mor-

mortuos in vitam redire, neque igitur existentiae terminum habere. L. Grandia ausus est Plato, verum haec necessitas unde potissimum colligitur?

M. Ex eo, mi bone, quod contemnendum non videtur, quia ceteroquin brevi omne genus vitae particeps extingueretur. Nisi enim haec esset naturae vis, ut mutuae essent hae generationes, sed mortua omnia morte aeterna oppressa jacerent, brevi nusquam vivum quidquam foret superstes, ipsaque tandem effoeta natura graviore quam Endymion somno, laetali illo, opprimeretur. Sic quod priori argumentationis parte legitime fuit disputatum, in posteriore magna probabilitate commendatur. L. Itaque jam integra Platonis sententia perlustrata, dispicere licebit, utrum fidem faciat plenam, an vero ad probationem aliquantum desiderare videatur. Vis argumenti haec est. Omnis *γένεσις* fit a contrario in contrarium, transitus in *vitam* atque *mortem* sunt *γένεσεις*: ergo et illi fiunt a contrario in contrarium, i. e. mutuis inter se vicibus. Haeccine est? M. Est sane. L. Tua igitur refutatione persuasus, probe quidem teneo, incongruum fuisse exemplum quod tibi objeci, proposita *σύζυγίᾳ*, *τοῦ εἶναι* et *μὴ εἶναι*. Nam de eo sermo non est apud Platonem, neque igitur exinde quidquam effici potest. Sed vel sic tamen Platonis argumentatio plena non videtur. Nam primo quidem, quod ad hypothesin attinet, nil

Arg. 5. p. 25, 27.

nil ea constituitur nisi hoc unum, γένεσιν si accidat, fieri a contrario in contrarium. Minime vero probatur necessitas mutuae generationis, cum profecto nulla sit ratio, ob quam omnis res magna v. c. debeat itidem parva fieri: neque igitur ullo jure exemplis, quibus experientia quotidiana innumera opponit contraria, demonstrari possit *necessariam* esse mutuam γένεσιν a morte in vitam et contra. Tum etiam secundo, cum sine probatione admittat, *mori* et *vivum fieri* esse γένεσεις, eo ipso assumit quod probandum erat. Si enim hanc assumtionem concedamus, dubitandi ratio nulla superest: nam γένεσις est transitus ab uno statu in alterum, cui consequens est, ut extiterit animus quocumque tandem statu. Probandum vero erat nativitatem esse hujusmodi γένεσιν ideo potissimum, quia cohaeret cum intimo sensu et vulgari opinione immota persuasio, animum re vera habuisse initium existendi, ideoque non esse γένεσιν qualem significat Plato. Sin autem assumtionem eo probaveris, quod etiam Platonem voluisse affirmas, quod nullus a *re* in *nihilum* transitus fieri possit, atque ideo variae, quas in rerum natura cernimus, mutationes atque ortus nihil aliud sint, nisi tansitus ab una in alteram conditionem, tum certe aliquam ad persuasionem vim habere videtur hocce argumentum (7). Nam nullus supererit metus ne animus naturae viribus dispergatur. M. Sit ita Licini: non enim

enim magnopere habeo quod tibi opponam: verum omisisti extremam argumenti partem. L. Memini: sed tuto praetermittenda videtur: quamvis enim vehementer esset dolendum, si pulcher hicce mundus in soporem mortalem conjiceretur, exhaustis procreandi viribus, nisi tamen aliunde probes, vanum hunc esse metum, de animi nostri immortalitate securis nobis esse non licebit. M. Age igitur ulterius argumentum inspiciamus, quod ex ipsa animi ipsique cognatae essentiae naturâ duxit Plato: valet enim ad priorem disputationem firmandam. L. Placet mirifice propositum ex ipsius animi natura quaestionem solvendi. Itaque quantocius pergas narrando.

M. Eo parata erat haec, quam recensuimus disputatio, ut inde liqueret, animum nec principium nec finem habere: quorum nisi utrumque, at prius certe sequenti argumento demonstratur, quo constituitur, humanam disciplinam nihil aliud esse nisi recordationem. L. Et hoc quoque praeter opinionem est effatum! M. Liceat causam ex ipso Phaedone defendere. Placiti hujusce veritatem jam ex eo suspicari licet, quod unusquisque homo, mentis usu praeditus, rite interrogatus bene respondeat et probe de permultis rebus judicet, quarum tamen nullam sibi notitiam habere videbatur: quod certe facere non posset, nisi ipsius animo recondita inesset scientia: stultum enim foret dictu, aliquem dicere quod nesciat. Et maxime illud apparebit, si

Arg. 4. p. 52-74.

ma-

mathefeos ignarum de mathematicis rebus rite interroges. Unde haec fcientia? Certe non est comparata praevia inftitutione. Sed infuper hoc vide: quamdiu homo in corpore verfatur, nullam cum rebus extra fe pofitis exercet communionem, nifi quae per fenfus externos fiat: plane inde efficitur, nullam in hac vita nos acquirere nobis novam fcientiam, nifi per fenfuum minifterium: habesne quod contradicas? L. Liceat prius integram Platonis fententiam perlustrare. M. Vide igitur quod dicam. Animadvertimus hominem plurimarum rerum habere notitiam, quam per *fenfus* corporis acquirere non potuit: *quod manifestum* est fi ad ipfam idearum *cognitionem* attendamus. Sit exemplo ipfa ideo *aequalitatis*, qua abfolutum et vere aequale cogitamus. Quamvis enim aequalitatem tribuamus omnibus corporibus, hoc tamen cuique patet, ipfam aequalitatem minime his rebus inesfe: nam lapides, v. c. quibus modo eam tribuimus, mox inaequales apparebunt, neque ideo in fe continent ipfam aequalitatem, quae alio tempore alia esfe nequit: igitur, quia non est in rebus quae, fenfibus percipiuntur, ipfa quoque nullo fenfu percipienda est. Et tamen dubium non est, quin illam cognoscamus: quamprimum incepimus vifu, auditu, reliquis fenfibus quidquam percipere (8), percepta ftatim ad hanc ideam retulimus, et fecundum eam dijudicavimus: fieri vero nequit, ut aliquid referamus ad rem nobis in-

incognitam. Idemque obtinet in reliquis ideis. Quid igitur restat, amice, quam ut dicamus, scientiam istam hominum animis infuisse, priusquam in corpora transirent? L. Aliquid dicere videaris: sed prorsus non video, qua tandem ratione hoc Platonis placitum conveniat experientiae, quae docet, hominum vulgus scientiae esse expers. Si enim verum esset, mathematicas illas, quas mones, veritates et notiones universales, ad quas judicando res singulas referimus, jam ante nativitatem notas nobis fuisse, necessario etiam unusquisque earum haberet notitiam, cujus rationes reddere posset: hanc enim dicimus scientiam. Et tamen quam pauci sunt qui haec norint! M. Illud ipsum volebam. Redeamus unde digressi sumus, ut major inde lux oriatur. In eo versamur Platonicae philosophiae placito, quod est de disciplina tanquam recordatione amissae scientiae. Jam nunc probatum est, hominem multa scire, quae in hac specie humana inclusus addiscere non potuit: quae igitur antea didicit: cum vero non unusquisque quoquo tempore sibi hujus scientiae est conscius, neque paratam ipsius habet notitiam, necesse est ut statuamus, ipsum oblitum esse eorum quae scivit, sed postmodum instituta disquisitione eorum memoriam recuperare. L. Bene mones. Sed Marce, nulla res, quam percipimus, in se habet aliam quam sui ipsius scientiam. Qui igitur fieri possit, ut ope sensuum recuperemus scientiam rerum in

sen-

ſenſus non incidentium? M. Dubitatio tua Socratem non latuit: et, ni fallor, ſufficienter ab eo profligatur. Vide enim mecum quaenam ſit recordationis ratio, ut inde judices ipſe. Recordatio est amiſſae ſcientiae recuperatio, ad quam requiritur, primum, ut quis ſciverit, deinde, ut oblitus ſit ejus cujus recordatur. Variis autem modis excitatur: oritur enim vel a ſimilibus, v. c. ſi quis amici imaginem pictam intuens ipſius amici recordetur: vel a diſſimilibus, quale obtinet ſi quis lyram videns amici, hujus quoque memoriam recipiat. Sed quocunque tandem modo fiat, tum demum locum habet recordatio, ſi ope vel *occaſione alius rei, alia* in mentem redeat. Concediſne, variis his modis fieri recordationem? L. Lubens aſſentior: innumeris enim exemplis illud demonſtratur. M. Eadem ratione nos homines occaſione perceptionum, quibus res in ſenſus incidentes nobis innoteſcunt, recordamur idearum quas in priore quadam vita ſive cominus ſive e longinquo adſpeximus. Ita, ut exemplo iterum utar, ſi in corporibus aequalitatis participibus (9), aequalitatem aliquam deprehendamus, ope ſimilium ipſius *aequalis* recordamur: ſin vero rei diſſimilis occaſione idea illa in cogitationem revertatur, fit ope diſſimilium. Diximus enim recordationem vel a ſimilibus vel a diſſimilibus, at ſemper ab alia re, quam cujus reminiſcimur, oriri. L. Haec *ſufficiant* ad declarandam recordationis naturam. Verum parala-

latim ab argumento recessisse videamur: tu igitur, nisi taedeat, verbo moneas quid huc usque disputando constitutum sit. M. Dicta hoc modo cum nostra, de qua agimus, quaestione cohaerent. Demonstrat Socrates animum, plurimarum rerum scientia instructum, quam in hac vita sibi parare non potuit, quam vero recordationis ope recuperat, necessario exstitisse, anteaquam in hanc speciem intraret. Sed vide, quam praeclarus sit disquisitionis exitus. Quum enim pervestigata disciplinae humanae ratione, agnovisset, ideas, ipsum bonum, pulcrum, omnemque veram essentiam eum in modum animo nostro esse cognatas, ut sine iis ulla etiam sensuum perceptio ad eum transferatur, legitime inde concludit, animum, quippe tali naturae cognatum et familiarem, una cum hac extitisse non solum ante corporis nativitatem, sed et ab omni aevo, atque interitus in omne tempus esse expertem. L. Mirandum non est Marce, sapientem virum maluisse cum Platone errare quam cum aliis vera sentire. Sublimis enim est sententia quam tetigisti. Sed quia communiter illud agimus, ut vera a falsis, quantum a nobis fieri possit, discernamus, dicam quid omni reprehensione majus non videatur. Nam illud quidem in omnium continuo incidit oculos, nihil hic valide probatum esse, e quo confidamus post mortem superfuturum esse animum. Licet enim hypothesin assumamus, animum ex prio-

re

re vita idearum scientiam attulisse, non tamen inde collgere licet eandem esse utriusque essentiam. Quamvis igitur antea per varia saecula exstiterit, manet tamen metus, ne tandem morte interimatur. Sed ipsa quoque hypothesis in judicium est vocanda. Si quid video, omni huic disputationi tanquam basis subjacet placitum, notiones nostras universales, cum corporis sensibus non percipiantur, ob id ipsum non innotuisse animo, dum corpori vivat injunctus, sed alio quodam tempore anteriore, e quo manavit Platonis de ideis doctrina. Priusquam vero dicam quid mihi hac de *re* videatur, liceat paulo plenius ex te *audire*, *quales* propriè sint habendae ideae illae, de quibus dudum jam actum est. M. Bene mones, atque opportunus est locus; quo de nobilissimo illo placito dicamus. Tradam igitur quae paucula hinc illinc colligere licuit. Primum omnium firmiter tenuit Plato, ipsam quam quaerebat veritatem positam non esse in rebus corporeis, quae variae vario tempore, nullo inter se vinculo connexae sensibus externis percipiuntur. Unde consequi arbitrabatur, veritatem, veramque essentiam sibi aequalem et constantem, existere extra res sensibus percipiendas, atque ipsam in sensus externos non incidere. Natura autem illa visu et auditu carens, sed vere *ὄντως οὖσα*, est in ideis sive *νοητοῖς*, quas merito forte Germanorum voce *urbilden* significaveris: quae vero aliquantulum hominibus innotescunt, exci-

citatis, quas nos vocamus, *notionibus universalibus*. Exemplis rem illustrem. Ipsum pulcrum, quod variis corporibus tribuimus, non est vere in hoc illove corpore: nam eandem rem quam turpi collatam satis pulcram dicimus, mox pulcriori comparatam vilem turpemque judicamus. Ipsum autem pulcrum unum esse debet et sibi constans: atque ideo extra τὰ πολλὰ subsistit. Sic etiam ipsa veritas, temperantia, ipsa omnino scientia, ipse per se a φαινομένοις discretae existunt. Imo, terrestria quaecunque et visu percipienda imagines tantum deceptrices referunt verae hujus essentiae, ad cujus exemplum sunt conformata. Sed magis etiam Platonis sententia perspicua fit, si tripartitum teneamus rerum genus, initio Libri X. *de Rep.* propositum: cujus primum continet ideas, τὰ ὄντα: alterum genus res omnes quae in hac vita sensus afficiant, animalia dico, plantas, opera fabrilia, reliqua omnia, quae referunt idearum imagines: tertium vero τὰ μιμητικὰ, ad horum exemplum confecta, quorsum pertinent pictae imagines, poëtarum figmenta, reliqua hujusmodi. Hanc autem veluti mensuram tenentibus, expeditum ni fallor erit dijudicare quales, et quo loco ideas habuerit Plato. Scilicet quantum tabula picta distat ab ipsa quam exprimit imagine, tantumetiam haec imago remota est ab idea ad cujus exemplum fuit conformata. Constituunt itaque ideae veluti mundum νοητὸν, solâ mente et cogitatione percipiendum, purum,

aethereum, in fummo coeli vertice fitum, in quo vivit atque regnat beatus Deus, beatisfimo quippe verae esfentiae fpectaculo gaudens. Hujus vero mundi imaginem referunt negotia humana et *fenfibilia*. Plura lubens de fublimi argumento disfererem, fed arduum est tironi diutius in altis philofophiae mentibus verfari: tum etiam ad concinnam interpretationem dicta fufficere videantur. L. Mihi faltem aliquantum lucis fubortum est. Sed abfolve quod inchoasti, atque infuper trade qua ratione hominibus earum rerum notitia fit. M. Tam pura atque fincera est haec de qua agimus *natura*, ut a corpore ejusque fenfibus *neutiquam percipiatur*, atque non nifi puro et in fe collecto animo fibi praebeat adfpectum. Animus enim, verae huic esfentiae cognatus, fi quidem nullis hujus corporis impedimentis retineatur, ad beatum hoc fpectaculum fuapte evolat. Quandiu vero corpori fit conjunctus, ad idearum confpectum non admittitur. At vero, cum de eo conftet, idearum nos habere notionem, adeo quidem ut fine iis nec *judicare* nec discernere quidquam posfimus, tum etiam hominem, dum in hac vita degat, alium cognitionis fontem non habere nifi qui in fenfibus est, necesfario inde colligit Plato, hanc notitiam fibi parasfe animum priusquam in corpus intraret: illudque explicat elegantisfima fabula, *quae* in Phaedro occurit (10). Ita vere *arctisfimo* nexu placitum nostrum de recordatione et vita ante-

teriore, cum reliquis Platonis placitis cohaeret. L. His jam contenti ad crisin transeamus: de industria vero dicta in brevem fyllogen contraham. Vidit Plato, homini inesse plurimarum rerum notitiam, quae per sensuum foramina in eum inducta non est. Assumit vero, aliam cognoscendi viam non esse, nisi quae per sensus fiat: atque inde concludit quae de ideis et recordatione dixisti. Itane rite intellexi? M. Probe, mi bone. L. Equidem igitur sic opinor, egregie sane philosophum perspexisse ideas sive notiones universales, sive qualicunque nomine designes νοούμενα illa, et habere in se οὐσίαν quandam, et sensuum ministerio non innotuisse homini, sed minime inde deducendum, quod sine probatione assumit Plato, ideo haec omnia tanquam τύπους extra hominem exstare: multo etiam minus inde necessitas quaedam vitae anterioris efficienda est. Probandum enim fuisset optimo viro, non aliud animo inesse ὄργανον, internum illud, quodque suae naturae vi secundum certas leges producat notiones illas, sensibus non percipiendas. Quod cum ita sit, merito dicamus, omne placitum de ideis atque recordatione innixum esse hypothesi nec probatae nec probandae. Contrarium enim abunde docuisse videntur ii philosophi, qui in ipso animo idearum fontem exquisiverunt: atque ideo vanam esse immortalitatis spem, tali fundamento superstructam.

M. Videris mihi, Cebetis instar, καρτερώτατος

πρὸς τὸ ἀπιστεῖν τοῖς λόγοις: nec video quo pacto hinc Platonis doctrinam tuear probabiliter. Verum ſervandum eſt paroemium, „amicus Plato —" L. Age, o bone, pergas hoc animo, quae ſuperſunt, mecum communicare argumenta. M. Pervenimus ad quintum argumentum, cujus nexum cum praecedentibus, ſcriptis expoſui. Ait enim Socrates, communem eſſe hominum metum, ne animus mortuo corpore una diſpergatur et ventis quaſi diffletur; quaſi mors non ſolum corporis, ſed et animi eſſet diſſolutio. Quibus ſi ſuccurrere velimus, videndum erit, quid ſit diſſolutio, tum etiam cujus naturae ſit animus, ut inde fiat concluſio. Diſſolutio nihil aliud eſt niſi partium, quibus res compoſita eſt, disjunctio; *ſolvi* igitur nequit res, quae partibus non conſtat.

Arg. 5. p. 35-46.

L. Hoc certe omni reprehenſione eſt majus. M. Si jam aſſumamus, duplex eſſe rerum genus, compoſitum alterum, alterum ſimplex, dubium non erit, quin res mutabiles, τὰ πολλὰ, varia et incerta, ſint compoſita: immutabilis vero eſſentia, *ipſae ideae* ſint ſimplicis naturae. Atque alia etiam huic convenit rerum diviſio: namque res illae compoſitae et mutabiles ſenſibus externis percipiuntur: altera vero illa ſpecies, quam ſimplicem et immutabilem diximus, oculis non cernitur. Duplex igitur *univerſe* eſt rerum genus, alterum quod complectitur res viſibiles, mutabiles: alterum inviſibiles, immutabiles: quorum hoc indiſſolutum perdurat, illud diſſolutio-

tioni obnoxium est. His constitutis videamus utri speciei adscribendus sit animus. Homo constat animo et corpore: non est quod dubitemus, quin hoc sit visibile; animus vero, ab homine certe, conspici nequit. Si igitur secundum humanam naturam loquimur, invisibilis est, ideoque simplex. Verum etiam aliunde haec simplex et immutabilis animi natura colligitur. Convenit enim (quod supra tetigimus) et cognatus est animus illi essentiae, quam conspectu et mutatione carere diximus: vide enim Licini, nonne familiarem ipsum dicamus iis rebus, quibus si accesserit, vivit demum et beatus est? Et vero, possisne negare, eo tendere omnem ipsius vitam, omniaque studia, ut sincerus ad ipsam immutabilem escendat veritatem, ejusque contemplatione fruatur, erroribus sensuumque illecebris vacans? adeo ut in veritatis veraeque essentiae veluti consortio vivens, ea tandem gaudeat felicitate ad quam attingendam informatus est. Quod si haec est animi natura, ut quamprimum corporis impedimentis sit solutus, vivat in familiaritate et perceptione rerum immutabilium, qui fieri aliter possit, quin ipse semper sit idem sibique constans atque immutabilis? L. Paulatim nebulae diffunduntur, nec tamen plene etiamnum perspicio, qua ratione Plato humanum animum dixerit immutabilem. Ajunt enim hoc in viris non nisi raro, in foeminis fere numquam deprehendi. M. Non ita tu, Licini, mitte intempestivas in pravitatem humanam

ele-

elegias. Tu vero simplex placitum sic accipe. Si veram animi naturam intueamur, dicendum est, ipsum visu carentem et simplicem esse, et sua natura similem verae essentiae, nulli mutationi obnoxiam. L. Haec igitur missa sunto; perge narrando. M. Hoc unum est addendum. Cum animus corpori imperet, corpus vero serviat, sequitur, illum esse divinum, hoc vero mortale. Jam autem longiorem argumentorum seriem brevi summa contrahamus. Constituimus, duplicem esse rerum speciem, quarum haec compositas complectitur et dissolutioni obnoxias, illa non compositas nec dissolvendas. Ad priorem retulimus nostrum corpus, quippe mutabile, visibile, mortale: ad alterum animum, utpote non visibilem, immutabilem atque divinum. Quod si autem talem agnoscamus animum, quis tandem metuat, ne morte dissletur atque interimatur, cum ne corpus quidem mortale et dissolutioni obnoxium statim dispergatur, sed nonnumquam, si cura ipsius habeatur, per immensum tempus post mortem perduret, quod accidere solet cadaveribus Aegyptiorum more exsiccatis, tendines vero et ossa fere non dissolvantur? Profecto dubium non est, quin post mortem revertatur animus ad sibi similem naturam atque bonum Deum, si in se collectus ope philosophiae, purus a corpore secedat! L. Consolationis plena est haec quoque dialogi pars: sed quanto magis animadvertimus, compositam variisque hypothesibus innixam

es-

esse disputationem, tanto etiam attentius singula erunt recolenda. Hypothesis totius argumenti est, ni fallor, duplex esse rerum genus, compositum et simplex. Mirandum tamen est, nullam ejus probationem a Platone esse subjectam. Non enim dicendum est, esse genus simplex, quia est aliquod compositum: quoniam non omnis thesis habet sui contrarium. M. Si quid video, ratio quaedam subest Platonicae disputationi, si non firma et indubitata, at certe probabilis et ex naturae legibus desumta. Manifestum est Platonem deducere hanc distinctionem exinde, quod quaedam res sint mutabiles sua natura, aliae vero immutabiles. Videamus autem, quid proprie rei cujusdam sit mutatio. Ut opinor, quod et ipse voluisse videtur, est illa partium, quibus res quaedam consistat, dissolutio atque transpositio: licet enim rem alteri adjungas, vel de loco eam moveas, nisi tamen substantiam transpositis partibus innoves, neque eam mutabis, neque aliam ex alia facies. Quod si verum est, age, aliud mecum observa. Duas mihi videor invenisse normas universales; primo, eo ut res possit mutari, requiritur ut partibus constet: secundo, si res partibus constat, fieri potest ut mutetur: nam partes semper dissolvi possunt: quod enim ita cum aliqua re cohaeret, ut nec re, nec cogitatione ab ea disjungi possit, partem non constituit, sed est unum cum re ipsa. Si igitur adsit essentia, quae mutari nullo modo possit, ne-

ces-

cesse est partibus non constet, ideoque sit simplex. Agnoscimus autem in Deo, in ipso pulcro, vero, bono, naturam immutabilem: est igitur re vera simplex quaedam natura. L. Forte aliquid dicis; fateor enim vehementer me assentire Platonis placito, qua statuit, esse naturam quandam simplicem et non dissolvendam, etiamsi impar sim dijudicandae argumenti efficaciae: adversam certe materialistarum opinionem egregie recentiores philosophi profligasse videntur. Sed quidquid sit de hac distinctione rerum in simplices et compositas, modus quo haec animi simplicitas demonstratur, probandus non est. Primum enim nosti de ideis quid *sentiam*: quae si non *existant*, corruit *certe argumentum*, cujus vis ex animi cum ideis cognatione petitur; tum etiam hoc vide. Nisi *me* lateat, primum argumentum hoc est: ideae invisibiles sunt simplices: animus est hominibus invisibilis, ergo quoque est simplex. Quasi hic applicandum esset axioma mathematicum, duas res, quae sunt aequales tertiae cuidam, etiam inter se esse aequales. At vero, si rite sibi constare voluisset Plato, primum ipsi fuisset probandum (quod facile factu non arbitror) omne quod invisibile est, ideo quoque esse simplex. Dein fuisset demonstrandum, animum re vera per se et sua natura esse invisibilem; nam vides quam incautum sit, sine ulteriore probatione animum ideo invisibilem pronuntiare, quoniam humani oculi aciem fugit. Itaque, me judice,

ce, tantis in forma vitiis laborat hoc ratiocinium, ut strictae probationi inservire nequeat. M. Non habeo quod respondeam. At alterum attulit argumentum ex animi cum natura simplici convenientia et quasi familiaritate desumtum. Anne et hoc eadem sententia damnandum esse censes? L. Imo mirum in modum me movit. Nam licet Platonicam de ideis doctrinam non integram accipiamus, e natura tamen et studiis animo insitis egregie ipsius simplicitas elucescit. Cum enim corporea et visu percipienda omnia per se appareant varia, nullo ordine cohaerentia, atque perceptiones nostrae externae confusae sint et discretae, mens vero humana haec omnia ad conjunctionem et unitatem revocet, atque tum demum suae naturae satisfecisse videatur, si, quantum fieri possit maxime ad simplicia et mutationibus non obnoxia adscenderit; cum praeterea omnis de se ipso cogitatio ad simplicem et numquam dividendam unitatem — *Ikheid* Belgice dicitur, — referatur, juste exinde efficere licet, simplicem quoque esse animi nostri naturam, quae nullam sibi metuit dissolutionem.

M. Licet invito, ut videtur, Marte huc usque Platonem nostrum propugnaverim; et pauculas tantum exuvias saevo tuae critices gladio eripere contigerit, pugnam tamen renovandam esse censeo, nisi vincendo nimium sis fatigatus. L. Rides, Marce! procedas modo, Grotiani istius memor symboli.

M. Per-

Arg. 6. p. 57-62. M. Pertinet sequens argumentum ad refellendam opinionem, quae, si vera sit, nullum immortalitati locum relinquit. Contendit enim illa, animum non ipsum per se existere, sed harmoniae inter oriri et justo temperamento humoris et siccitatis, caloris et frigoris: unde sequitur, ipsum, quippe e corporis partium concentu quodam ortum, una cum corpore nasci et perire. Facili negotio ostendit Plato, Socraticum hominem non decere hujusmodi placitum, quod supra expositum est. Nos autem animum convertentes in secundam hujus ratiocinii partem, inquiramus in ipsam harmoniae naturam, qualem proposuit noster. Harmonia hoc sibi habet commune cum omni re composita, ut necessario eodem modo existat, quo variae partes quibus constituitur: neque facultatem aliquam habet aut vim exercet, nisi quae principium habeat in partibus illis. Quam ob causam nulla res harmonice composita imperat iis e quibus consistit, sed sequitur et obtemperat. L. Liceat orationem interpellare: videtur enim significare Platonis disputatio, rem compositam non posse efficere nisi quod singulis partibus proprium est, quod tamen non ita videtur: nam sic ne harmonia quidem cogitari posset. Vide enim! singuli soni harmoniam non continent: non igitur eorum effectus esse possit harmonia, si quidem unaquaeque facultas rei compositae jam adesse debuit in singulis partibus. M. Non hoc certe voluit Plato. Sed dis-

distinguendum est inter ipsam novam qualitatem, e partium compositione oriundam, et principia veluti et elementa, quae necessario requiruntur ad efformandam novam illam qualitatem. Exemplo proposito expeditior erit dictorum intelligentia. Compositis secundum certam normam variis sonis, accedit iis nova idea harmoniae. Haec vero existere nequit, nisi singulis illis sonis insit vis, qua aurem certa ratione afficiant, quae est primarium omnis harmoniae requisitum. Hanc vim si spectemus, ab ea totam harmoniam pendere animadvertemus. Si enim acuti sunt soni, acuta erit harmonia. Si graviter sonant illi, haec obtemperabit: et sic in reliquis. Eleganter autem rem exposuit Mendelssohnius, qui totam hanc materiam Platonicam, imo totum Phaedonem (ut ajunt Icti) specificatione fecit suum. L. Recte intelligo harmoniam vim non habere nisi cujus principium sit in singulis sonis, neque aliquo modo eam quidquam pati, quod ab iis profectum non sit. Jam a Mendelssohnio divertentes ad Platonem revertamur. M. Idcirco harmonia numquam sonat aliter quam soni quibus constat, nec his ullo modo contrarium facit. Sed insuper hoc animadverte. L. Quid? M. Fieri nequit ut alia harmonia magis sit illud ipsum, harmonia, quam alia. L. Contrarium docere videantur musices periti, qui alios sonorum concentus plenos vocant, alios minus plenos:

alios

alios dissonantibus, alios consonantibus sonis effici dicunt. M. Re tamen inspecta nihil inter se differunt, hoc sensu, quod nulli horum concentuum prae reliquis magis conveniat harmoniae cognominatio, ideoque omnes aequaliter sint *harmonice compositi*. Aliudne censes? L. Proh pudor! nugatus sum! — Sed quorsum divergimus? M. His in antecessum positis, ad animum ita redit Plato. Animo proprium est, ut numquam magis aut minus quam alius sit id ipsum, animus; quod eadem ratione atque in harmonia tuto affirmamus. Quod si verum est, necesse est, ut vel dicamus animum harmoniam non esse, *vel ut absurda statuamus*. Dicimus enim, et merito, alium animum prudentem et bonum: alium insanum et pravum: illi virtutis est praeditus: virtus autem nascitur ex harmonica compositione trium animi partium νόου, θυμοῦ, et ἐπιθυμίας: hic virtutis et harmoniae expers. Jam, quaeso, quo modo haec sibi conveniunt? Nam qui statuit animum esse harmoniam, simul debet admittere aliam quandam in eo harmoniam, si virtute sit praeditus: vel ἀναρμοστίαν, si pravus sit, et sic alia harmonia magis ipsam alia harmonice esset composita, alius animus alio magis esset animus. Quod utrumque absurdum esse vidimus. Patet igitur, eum qui statuit, animum esse harmoniam, simul affirmare, nul-

lum

lum esse in homine vitium: quod sane perquam absurdum est. L. Caveamus tamen, amice! ne speciem pro Junone amplectamur. Consequentia enim falsa ex firma hypothesi ducta est. Vidimus omnem harmoniam eundem in modum esse harmoniam, nec quidquam in se recipere, quod faciat ut magis minusve harmonia sit. M. Quid igitur? hoc unice volebam. L. Haec sit vera hypothesis. Sed jam ad animum transferenda erit. Dic mihi o bone! estne plane similis harmonia musica atque illa quam isti in humano corpore agnoscunt? aut qualem hanc dictam opinaris? M. Harmonia illa, credo, quae animum constituit, dicitur esse effectus justi temperamenti humoris et siccitatis, caloris et frigoris. L. Quo nomine igitur cum musica harmonia convenit? estne plane huic aequalis, an diversa species ejusdem generis? M. Harmonia proprie dicta musica, est effectus sonorum rite temperatorum secundum certam normam. L. Igitur conveniunt inter se tanquam ejusdem generis species: nam hoc commune habent, quod utraque existat justo quodam temperamento partium singularium, quae communiter ad certum aliquid efficiendum conveniunt. Hujus generis species non tantum cernitur in harmonia musica, sed in quocunque instrumento composito, v. c. in horologiis, in quibus partium concentu certus aliquis producitur effectus, isque vel major vel minor pro majore vel minore partium in idem convenientia, et virium in-

tea-

ratione. Nisi enim hanc illius generis definitionem assumas, non video, quis sanus sensus possit sententiae tribui quam h. l. oppugnat Plato. M. Nondum video, Licini, quo nomine Plato tam graviter peccaverit: plenius explices quid velis. L. Ex illa definitione concludo, licet verum sit animum esse harmoniam, non tamen inde necessario sequi, ipsam nihil unquam esse effecturum, quod, ex alia idea dijudicatum, harmonia non sit. Sit exemplo, mola ferro cudendo inserviens: si haec rite suo munere fungatur, harmonice composita est. Nonne? M. Videtur, ex tua definitione. L. *Verum rotationibus* suis et pulsationibus strepitum excitare solet, auribus tam molestum, ut nihil magis ab harmonia musica alienum sit. Mola igitur nostra harmonice composita est, et nihilominus *ἀναρμοστίαν* habet. Ratio vero in promtu est. Mola harmonica est, quia virium temperamento ferro cudendo probe inservit: sin vero ejus strepitum ad musices rationem et ideam referas, harmoniam non habet. Vera autem in mola erit *ἀναρμοστία*, si fractis alis sive rotis, cesset conjunctis partium viribus efficere, cui efficiendo erat composita. Si jam exemplum ad animum transferas, secundum contrariae opinionis philosophos ita statuendum videtur: *Animus nascitur ex temperamento humoris et sicci*, frigoris et caloris in corpore humano: est animus secundum hanc opinionem facultas cogitandi, ap-

pe-

petendi, rejiciendi, nata ex hoc temperamento: quatenus igitur hae facultates re vera vigent et excitantur, existit etiam harmonia animum constituens. Verum nihil attinet utrum his facultatibus aliquid efficiatus, quod aliae ideae, v. c. boni vel mali, consonet, an vero quod ab ea discrepet. Prouti enim machinae in exemplo strepitus, abhorret ab harmonia musica, salva tamen ipsius harmonica compositione, ita etiam salva corporis animum efficientis harmonia, hujus effectus possunt discrepare a perfectissima omnium, morali harmonia. Corporis enim, tamquam subtilissimae machinae harmoniam consistere vidimus in eo, ut efficiat animum cogitantem, appetentem, respuentem. Licet igitur toto coelo absim, ut inhumanam hanc tuear opinionem, hoc tamen, quod memorasti, Platonis argumento eam non refelli existimo. Sin vero libere dicam, unde errorem natum esse censeam, idem mihi quod in priore argumento videtur reprehendendum, summum Platonem nimis adhaesisse verborum sono, neque magnopere attendisse variam eorum significationem pro vario usu quo adhibentur: atque eo deceptum, mathematice nimis in hac quaestione esse versatum (11).

M. Acrem te geris Platonis adversarium, atque in praesenti nihil mihi restat, praeter spem, alium post me ipsius causam melius esse acturum. Quocirca satius mihi erit alteram ostendere viam, quam ingressus est ille, ut harmoniae fautoribus occur-

curaret. Ait enim, quod nemo in dubium vocat, animum, praesertim si prudens sit, imperare, corpus contra obedire: neque hoc convenienter corporis affectionibus atque cupiditatibus, verum saepissime reluctante corpore: saepius enim sitienti vel esurienti resistit animus: vel etiam aegrotanti membrum aliquod amputat: vel, quietem licet appetens, gymnastica defatigat. Tum etiam, quod mirandum est, saepius semet ipsum tamquam diversum a corpore alloquitur, cujus rei exempla apud incultos etiam homines occurrunt, atque antiquissimae aetatis poëtas. Quod ideo negligendum non est, quia nativa haec *prisci aevi vox* declarare videtur, quantum talis de animo, diverso a corpore, opinio, conveniat humanae naturae. Jam vero, nisi hominum sim ineptissimus in sermonibus dijudicandis, cuivis manifestum esse opinor, haec omnia ab harmonica animi natura immensum discrepare. L. Marce, miserum esset, si opinionem tam vehementer cum intimo hominis sensu cohaerentem, instituta disquisitione falsam deprehenderemus. Sed bono sis animo, atque mecum vide, quam egregie disputata ex priore hypothesi illustrentur. Quamvis enim observatum sit, fieri posse ut res harmonice composita aliquid efficiat, quod, si cum alia idea compares, harmonia non sit, firmam simul agnovimus veritatem, nullam harmoniam posse quidquam efficere quod sibi ipsi repugnet: sive, ut ait Plato, nullam

Iam harmoniam excitari, aut sonare, aut quidquam facere, quod partibus quibus constituta sit, adversetur. Huic hypothesi convenienter, si quidem animus constitueretur corporis partium concentu, sitiente v. c. corpore necesse esset, ut tota corporis harmonia, cogitatio, impetus, sensuum cupiditates in idem illud consonarent, ut partium quibus constet perpessioni obtemperarent: itaque cogitatio et impetus omni opera hoc agerent ut potionem pararent, donec bibendo satures essent cupiditate affectae corporis partes: et sic in reliquis foret dicendum, quae exempli gratia attulisti. Plane vero contrarium observamus, ita quidem ut tota ista harmonia potius appellanda videatur continua corporis et animi discrepantia. Obstinatis igitur harmoniae propugnatoribus nihil restat, nisi ut uniuscujusque contrariae in homine sive perpessionis sive affectionis effectricem diversam statuant harmoniunculam: cui veluti cohorti una praeficienda erit major harmonia cogitationis parens, in qua sensus egoismi (*Ikheid*) habitet: et haec sane lepida esset hominis fabrica! M. Papae! bona verba Licini! risum moveas in re tanti momenti. L. Ne aegre feras: risum quoque amavit Socrates. Verum, quod res est, apta videtur Platonis sententia, quam memorasti, atque plena cognitionis naturae humanae: quo enim acuratius hominem, cogitandi praesertim facultatem, observemus, eo quoque luculentius apparebit, hanc

 non

non esse compofitarum corporis partium effectum, fed fimplici cuidam naturae propriam, diverfae illi a corpore et per fe fubfistenti. Haeccine autem ad Platonis argumentum dijudicandum fufficiant? M. Exhausta quidem haec disquifitionis materia nondum est. Sed alia fuperest longiuscula disputatio, cui haec veluti fundamento est. Cum enim hoc argumento fit probatum, animum per se a corporis partibus diverfum fubfistere, jam erit demonftrandum, quod fupra tentatum erat, ipfum morti prorfus fubjectum non esfe. Jubesne me igitur procedere? L. Quantum posfim attente aufculto. M. Memoria, credo, tenes *postremum Platonis argumentum*, petitum e disquifitione in caufam universalem existentiae et interitus. Ibi enim investigatur caufa, ob quam res existant tales, quales funt, deinde fecundum hanc normam efficitur, quomodo res intereant. L. Memini, tum etiam docti istius fophistarum ratiocinii, quo vehementer fum delectatus. M. Mittamus fophistas, quo magis integris viribus ad ipfam Socratis fententiam explorandam accedamus. Brevibus contracta eo redit: caufa quae facit ut res aliqua sit illud quod est, et hanc, non aliam, habeat qualitatem, est in praefentia ipfius ideae fecundum quam cognominatur. Exempla autem haec funt: res *pulcra* omnis, talis est praefentia ipfius pulcri *ideae*: res vitalis praefentia ideae vitae: *reliqua* innumera. Ideae autem ipfae mutari vel aliud ex alio fie-

Arg. 7. p. 62–80.

fieri nequeunt: ipſa magnitudo parva numquam erit, neque ipſum pulcrum turpe. Si igitur diverſa idea accedat rei quae continet diverſam ideam, haec necesſario interibit aut decedet, non vero in accedentis ideae diverſam qualitatem tranſibit.

L. Nondum magnopere perſpicio quid voluerit Socrates. M. Apertius igitur dicere conabor. Recordaris quod ſupra disputavimus, Platonem veram existentiam, certamque normam ad quam referendae ſunt perceptiones nostrae, poſuisſe in ideis, sine quibus nulla cogitatio, nullum judicium est. Statuit igitur, omne nostrum de rebus judicium conſistere in earum comparatione cum ideis quarum participes ſunt: et vero ſecundum hanc normam res talis qualis est, dicenda est, quia particeps est ideae univerſalis cujus imaginem refert. Sic menſa talis est, quia fabricata est ſecundum ideam menſae ὄντως οὔσης (12): si inſuper pulcra sit, talis est, quia refert τὸ καλὸν. Atque ſimul hoc modo intelligimus, qui fieri possit, ut eadem res eodem tempore pulcra v. c. et minus pulcra a nobis dicatur. Si rem ſingularem, comparatione cum ipso pulcro inſtituta, pulcram judicamus, fieri potest ut mox eandem non ita pulcram dicamus, ratione habita alius rei, quae propius ad ipſam pulcri ideam accedat. Etenim non tantum res per ſe ſumtas cum ideis comparamus, verum etiam ſi varias res inter ſe comparamus, ſecundum eandem normam judicium inſti-

tuimus: quocirca dicendum est, omne nostrum de rebus judicium consistere in earum comparatione cum idea quadam singulis communi, et inde explicandas esse varias qualitates, quae rebus adscribuntur. L. Jam nunc paulo melius intelligo. M. Neque igitur metuendum est, ne umquam in eum incidamus errorem, ut eandem rem eodem tempore sibi contrariam esse dicamus. Sic v. g. si Simmiam minorem dicamus Phaedone at majorem Socrate, non eo significatur Simmiam per se magnum esse et parvum: nam ipsa quae in eo est magnitudo parva esse nequit; neque et parvitas magna unquam erit: *sed si eum cum* Phaedone comparamus, parvus est, quia propius accedit ad parvi ideam, atque aufugit ex ipso magnitudinis idea, quam ei tribuimus si Socrati eum comparemus. Itaque, prouti Arg. 2. vidimus omnem mutationem fieri a contrario in contrarium; eo sensu ut nulla res accipiat qualitatem sive cognominationem, nisi antea contrariam habuerit, hoc quidem loco agnovimus ipsa haec contraria, a quibus res cognominantur, numquam fieri sibi contraria, neque in sui invicem statum transire, sed necessario accedenti sibi contrario cedere atque aufugere, vel interire. L. Sit ita Marce! sed quorsum tendimus? M. *Placide* Platonis legamus vestigia. Vidimus *causam* existendi esse in praesentia ideae: sunt *autem* plurimae res quae non tantum suam contineant sin-

 gu-

gularem, sed et aliam generi alicui propriam: sic ignis habet sibi propriam ideam a qua cognominatur, et insuper caloris, quacum necessario conjunctus est: sic etiam 3, 5, 7. praeter sibi specialem, continent etiam universalem imparitatis ideam. Tenendum autem est, hic significari res, quarum sine concursu duarum pluriumve idearum, nulla est existentia, pronti v. c. non est ignis, nisi conveniant in eandem rem et *ignis* et *caloris* idea. Hoccine satis explicate dictum? L. Sufficienter. M. Facile autem e dictis colligimus, hujusmodi res non solum non recipere in se ideam sibi contrariam salva sua existentia, sed et respuere omne quod sibi cognatae ideae repugnet. Sic ternio non recipit duadem quia cognata haec est ideae paritatis, quam respuit ternionis idea: licet etiam 3 et 2 ut numeri sibi contrarii non sunt. Atque idem in reliquis verum est. Nam in his omnibus speciei idea tollitur nisi generis pariter idea adsit. L. Spinosa sit semita quam sequimur Marce! neque magnopere exitum conspicio. M. Et tamen ad metam accedimus. Sed priusquam progrediamur, tutius erit dispicere, quousque processerimus. Quo melius quaestionem, num animus ex vita in mortem transire possit, absolveremus, primum investigavimus causam, ob quam singulis rebus sua qualitas sit tribuenda, ut inde elucesceret, quemadmodum res illae in diversum statum transire possint. Causam agnovi-

vimus in praesentia ideae secundum quam res cognominatur: nullam vero mutationem ita fieri posse vidimus, ut res accipiat sibi contrariam ideam, salva sua existentia: accedente enim nova eaque contraria idea, pristina evanescit vel abit: nam duo contraria in eadem re eodem tempore esse nequeunt. Sic vidimus ternionem non recipere paritatem, neque ignem frigus, alia innumera. Quae si vera sunt, tuto affirmamus ternionem esse paritatis expertem; ac pariter injustum quidvis justi esse expers. Jam autem eadem ratione de animo videamus. Animi idea sibi conjunctam habet vitae ideam. Mors contraria est *vitae: igitur* animus numquam recipiet *mortis* accessionem, est igitur mortis expers et immortalis. L. Obstupui ad celerem hunc disputationis cursum. Sed Marce, primum quod animadvertendum habeo est, Platonem non satis sibi constare in hoc *dialogo*. Licet enim probe distinguam prius illud argumentum, quo monstratum est, omnem generationem fieri a contrario in contrarium, a nostra disputatione, vel sic tamen utraque haec parum secum convenire arbitror. Secundo enim argumento dictum est, mortuos fieri ex vivis, ideoque animum in conditione fuisse quam vocat mortem, priusquam in corpus intraret: jam vero mortis expertem pronuntiat Plato. Quomodo haec conveniunt? *M.* Optime, modo rem accurate distinguas. *Bifariam* enim Plato consideravit mortem: priori loco eam

ha-

habuit animi viventis a corpore separatam existentiam; hic vero, utpote vitae contrariam, eam dixit vitae privationem. Num quid vis plura? L. Sufficit mi bone! latuerat enim varie accepta mortis vox. Sed, ut hoc mittamus, exiguum sane humano generi solatium praebet quod demonstravit Plato, animum mortem non recipere; nam nisi fallor, hoc longa argumentatione non indiget, animi naturam consistere in cogitatione et vita, ideoque ipsum, quamdiu animus sit, numquam recipere mortis ideam. Sed nihil eo efficitur, nisi hoc unum, animum amittere hanc suam naturam, quam primum mors ad eum accesserit. In iisdem igitur versamur tenebris, quibus dialogi initio eramus circumfusi. M. Ne quid nimium festines Licini; idem enim probe animadvertit Plato; sed sine ut reliqua paucissima superioribus jungam. Si ea sit natura caloris, qui adest in igne, ut interitus sit expers, necessario quam primum igni admoveatur frigus, calor non extinguatur, sed sospes aufugiat. Atque pariter, si illud, quod mortem non recipit, sit quoque interitus expers, necessario accedente morte incolume evadet. Quod si haec nolis, dicendum est, calorem et animum viventem hisce in casibus interire: nam tertium cogitari nequit. Et vero fieri saepius videtur, ut aliqua res accedente sibi contrario pereat. Nam v. g. accedente paritatis idea ternioni, haec re vera interimitur; nulla enim est ternio, neque um-

unquam exstitit, quam primum paritatem receperit. Verum igitur cum duorum alterutrum necesse ſit, vel ut res accedente ſibi contrario incolumis evadat, vel ut in hac perpeſſione pereat, eligas utrum horum ſit dicendum de ipſo eo quod mortis est expers? An non dicamus, ſi quid aliud, certe Deum rerumque ideas, et omne quod mortis est expers, interitum non pati? Socraticus certe homo, cui perſuaſum est, animum ideis cognatum eſſe et ſimilem, dubius in hac electione non haeſitabit. Tu vero, quid ais? L. Ne quid aegre feras optime Marce! ſi contendam nihil certi *hoc* ipſo demonſtratum eſſe. Nam, quod *priore* venit loco, omnis illa de cauſis *existendi disputatio* pendet a placito de ideis; de quibus ſupra ſententiam protuli: quibus ſi fides habenda non est, una quoque corruunt placita inde derivata. Et profecto, Plato non tam conſtituiſſe videtur cauſam, quae faciat ut res quaedam per ſe et re vera ſit illud ipſum quod est, quam quidem rationem ob quam nos homunciones ei certas quasdam qualitates adſcribamus, pro nostra humana percipiendi et judicandi ratione, quae certe nullam vim habet ad conſtituendam ipſam rei, de qua quaerimus, naturam. Sic, ut hoc utar, ſi dicat Plato, rem pulcram esſe 'ideo quia particeps est ideae pulcri,' proprie nihil aliud ſignificat niſi quod *nos*, pro nostra percipiendi et ſentiendi *ratione*, rem pulcram judicemus, quoniam convenit pulcri, quae

in

in nobis est, ideae; proinde neutiquam eo declarari causam propriam, quae faciat ut res illa hoc modo nos afficiat, usque talis sit qualis est. Dicendum igitur est, quoniam ideae subjectivam tantum nostri judicii formam continent, ab iis minime ad ipsam rerum naturam esse concludendum, quod tum demum jure fieret, si valide probatae essent hypotheses, ideas habere objectivam realitatem, atque harum accessione rerum existendi modum definiri: quod tamen a Platone factum non est. Verum etiam licet, quod dixi, concedamus, animum quamdiu talis sit, mortem non recipere, non video cur ideo minus interitui sit subjectus. Nam nulla est idonea ratio ob quam existimemus, illud quod sine vita existere nequeat, potius interitum non pati, quam aliud quidvis; unaquaeque enim res aeque necessario est illud ipsum quod est, atque ideo aeque necessario respuit interitum, quandiu manet illud ipsum quod est. Eodem vero redire videtur Platonis disputatio, ac si quis affirmaret, horologium, fractis ejus partibus, existere non posse, dein ipsum frangi ideo non posse contenderet; quia, si quid aliud, illud certe frangi nequeat, quod sine partium integritate existere non potest; cum tamen quotidie fracta horologia videre liceat. M. Ἵττω Πλάτων, vereor enim ne vires deficiant meae, ad vindicandam summi viri sententiam. L. Secundum disputata igitur aeque probabile est, ut animum accedente mor-

morte interimi quam sospitem et vivum assurgere. Sin vero aliunde probaveris, animum nunquam desiturum illud ipsum, animum, esse, tum demum concedendum erit, eum nec vita, nec cogitatione umquam privari posse; animus enim non est nisi qui vivat et cogitet. Argumentum, quo hoc fuit probatum a Platone, supra recensuimus, eo loco, ubi immortalitatem nostram deducit ex animi similitudine cum ideis omnique vera essentia. Cum vero de iis actum jam sit, dicta ad epicrisin sufficiant; nisi alia sentias. M. Non sine dolore animadverto Licini, quam idigne Platonis caussam tuitus sim: nam fatendum est, *imparem me* esse profligandis dubitationibus *quae* nullis fere non placitis opposuisti; neque etiam posse vindicare quod ingeniose ultimo hoc argumento disputasse videbatur egregius Philosophus. Si enim oculos retro convertam in campum quem *sumus* peragrati, paucissima tantum conspicio loca firmiter constituta, quae tutum praebeant veluti asylum infelici generi humano. Nam quia tota fere Platonis disputatio pendet ab eo, num re vera ideas rerum esse dicamus, illud vero rationibus probare non potuerim, hujus fundamenti casum insecuta est totius aedifici superstructi ruina. Neque tamen minus mirifice placet pulcerrimus dialogus. Impium enim esset nisi grato animo *confiterer*, quantam exinde perceperim verbis *non* declarandam voluptatem; quamque egregie ipso firma-

mata sit atque stabilitata dulcis fiducia vitae et felicitatis futurae. Unde autem explicandus videatur jucundus iste sensus, quo invitum veluti afficiat Phaedonis lectio, etiamsi argumentorum efficaciae parum tribuamus? L. Operae pretium erit Marce, ut ex editiore, in quo jam collocati sumus loco, totum dialogum uno obtutu pertusrremus: sic enim nisi me spes decipiat, brevi manifestum erit, quid tandem de eo sit judicandum. — Itaque pars altera Phaedonis absolvitur argumentis et ratiociniis, in quibus ponderandis satis diu morati simus Nobilem in iis thesin sibi probandam sumit Plato, animum esse immortalem: quod tum demum demonstratum erit, si doceatur, ipsum per omne tempus existere, atque una cum existentia servare sui conscientiam cogitandique vim. Hoc consilio ductus, arg. I. erectam excitat spem immortalitatis, tum vero arg. 2—6. agit de existentia animi nec finem, nec dissolutionem metuente: et denique ostendit, arg. 7. animum ita superesse ut cum existentia simul servet sibi propriam vitae ideam, quae quidem non est sine cogitatione et sui conscientia.

Admirati sumus acrem eximii viri in disputando solertiam, cum simplicitate et elegantia conjunctam; verum simul agnovimus, ideo potissimum plurima ratiocinia fiduciam non excitare, quia plus quam fas est in iis argumenta transferentur a nostra humana percipiendi cognoscendique ratione,

ne, ad res ipsas per se spectatas: et sic, quod sponte e placito de ideis ductum est, saepius rerum qualitates et cognominationes quae unice ab animi nostri et cogitationis legibus pendent, tamquam per se subsistentes consideravit. Opus autem non est ut haec fusius recolamus, cum sparsim suo loco a nobis declarata sunt; atque satis est in universum observasse, quam necessarium accidat, ut minus probandae sint *Platonis* demonstrationes stricte dictae, quippe deductae e principio non probando.

Altera pars continet sermones qui non inserviunt strictae demonstrationi, *quaeque exhibet dramaticam* descriptionem: et haec est Marce! quae tam *mirifice* placuit legenti. Ratio vero hujus rei non recondita est. Nam primum omnium, qualiscunque tandem de argumentorum vi sententia feratur, tanta certe est dictionis venustas, ut non facile aliud ex antiquitate scriptum excites quod frequentius imitando exprimere studuerint recentioris aevi homines docti, quo fit ut qui manu egregium librum sumserit, deponere nequeat nisi saepius relectum. Sed aliis insuper commendatur dotibus. Omnis enim Platonici Socratis oratio spirat honestatis, sanctaeque virtutis sensus, qui sua sponte animum extollunt, atque gratam humanae dignitatis conscientiam in pectore excitant; mentemque audientium ubivis *revocat* ad generosa, quae animo innata sunt, studia, ejusque

prae

prae corpore praestantiam. Quae quidem si plenam demonstrationis formam et vim non habeant, ideo tamen nescio quomodo tenent atque persuadent, quoniam arctissimo vinculo cum intimo hominis sensu conveniunt. Etenim, philosophiâ, quae ipsius animo inerat, ductus Plato, egregie sensit quod postea probavit Kantius, hypothesin de immortalitate non ratiociniis demonstrari, sed tamquam necessariam et veluti postulatam assumi, hanc unice ob causam, quia cum ipsa nostri animi et suprema moralitatis lege cohaeret nexu non dissolvendo: et idcirco, exhausta omni in ratiocinando sagacitate, ad intimam audientium persuasionem tamquam supremum aliquod tribunal, quaestionem dirimendam remittit: quod facit, ut alia taceam, in fine ultimi argumenti. Tum vero maxime, si practicam, quae vocatur, placitorum spectas praestantiam, parum sane ad horum efficacitatem facere videtur, e quo tandem principio deducta fuerint: nam, mi bone, ea est, mihi crede, naturae benignitas, ut raro generosae indolis homo in constituendis moralibus placitis a vero deflectat, licet etiam frustra tentaverit varia sua placita firmo principio fulcire. Ita, qualiscunque tandem sit nostra de vi argumentorum opinio, ipsam certe firmam immortalitatis spem eo adhibet Plato, ut hominum animos informet ad virtutem, proposita summa beatitudine, cujus purus castusque animus post mortem fiet particeps.

M.

M. Intelligo quid velis, et te praeeunte agnosco Socratem ex imo pectore disserentem mirifice animum tenere: atque videatur inde illustrari, quae Mendelsfohnius, servatis colloquis omnique forma dialogi nostri, nova tantum argumenta Platonicis subſtituerit. L. Vera forte animadvertis Marce! Sed in recensendis causis quibus efficitur, ut Phaedon tantam in legentium animos vim exerceat, una praetermissa est omnium gravissima. Nam si quid aliud, Socratis certe, sedato animo et placide mortem opperientis exemplum, acutissimis pro immortalitate argumentis est anteponendum. Admiramur *Leonidam*, Regulum, *alios heroës plurimos*, qui vero honoris studio patriaeque amore accensi, neci se tradiderunt: obstupescimus adspectu martyrum, qui atrocissimam mortem, religionis servandae gratia, subierunt: verum isti vitam honori aut religioni postponentes, sacro quodam furore vel nimia mortis contemtione fuerunt agitati, atque horrore potius quam leni futurae beatitudinis consolatione animum afficiunt. Socrates vero mortalium integerrimus et sapientissimus, nullis animi affectibus commotus, sed mentis plene compos atque tranquillus, cicutam ideo sereno vultu hausit, quoniam firmiter tenebat persuasionem vitae futurae, quam meditatione indefessa ex ipso animo elicuerat. . . . . Marce! *argutiis* illud demonstrare non possum, sed famat et versus coelum extollit tam sublime Socratis exemplum.

plum. Quocirca legas egregium Platonis librum, debitisque prosequare honoribus philosophum tam praeclare de humano genere meritum. In primis vero ex nostra disputatione efficias consolationis plenam veritatem, rationis quidem humanae acumen saepius deficere et in errores inducere, verum ipsam nostrae naturae innatam persuasionem tutum praebere asylum, et veluti arcem nullis argumentationibus expugnandam. M. Sit ita precor: nam hercle! lautissimum mihi praemium reportasse videbor, si valuerint sermones ad sanandum qui in nobis habitat puerum meticulosum, atque leniendam formidabilem mortis cogitationem.

NO-

NOTAE.

Pag. 19 (2). Quominus aliquid de praecipuis dramatis personis moneam, faciunt egregiae Wyttenbachii animadversiones; quae eaedem omnino consulendae sunt de fontibus e quibus Plato multa hausit argumenta. Cf. etiam Cic. Tusc. Quaestt. I. 17.

Pag. 29 (3). Diutius forte quam *pro disquisitionis* hujusce finibus, in hac utriusque loci ratione indicanda moratus sum. Verum facere videbatur ad intellectum excelsae Socraticae orationis, si quidem ostenderem, quanta argumentorum ubertate usus sit Plato in exponendo placito, quo sublimius nullum est in practica philosophia, quodque tam egregie convenit Christi effato: Μακαριοὶ οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται. *Matth.* 5: 8.

Pag. 52 (4). Cum videamus corpora semper mutari, nec ullo momento sibi perfecte aequalia manere, affirmari posse videatur, nova semper succedere pristinis, vi animi qui principium est vitae.

Pag. 55. *Sermonum.* Vocem Platonis servavi. Observandus autem est varius vocis λόγος usus. Pro vario enim quo adhibetur sensu, est vel ipsa *ratio*, tamquam facultas ratiocinandi: cui respondet τὸ λογιστικὸν, (cf. *Rep.*